Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XVI. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

QH
7
C66
v.16
SCNHLB

I.

Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie. Tome quatrieme. à Paris. chez P. Alex. le Priéur 1768. 4. maj. Hiſtoire pl. $15\frac{1}{2}$. Memoires alph. 3. pl. $18\frac{1}{2}$. tab. aen. 9.

i. e.

Commentarii Academiae regiae chirurgicae Tom. IV. cet.

Traditur in hoc volumine hiſtoria Academiae ab eius prima inſtitutione vſque ad annum huius ſeculi quadrageſimum tertium. Quemadmodum chirurgia ipſa antiquitus iam exculta eſt, ſic ſeculo decimo quarto in Gallia quoque ita aeſtimata fuit, vt chirurgorum ordo inſtitueretur, qui, quamquam doctrina excellebat, vniverſitati tamen Pariſinae adiungi non poterat, quae tum temporis ad eccleſiaſticum magis ſtatum pertinere videbatur. Seculo decimo ſexto tamen huic ordini, non ſolum iura, quibus fruebantur academiae ciues, ſed et conuentus publici in templo St. COSMI et DAMIANI conceſſa ſunt. Haec itaque ſchola erat, in qua non ſolum mutuis ſtudiis ſe exercebant chirurgi, ſed etiam pauperioribus conſilia da- p. 1.

bant. AMBROSIUS PAREUS ex ea exiit, cuius merita in medicinam et chirurgiam digne laudantur.

p. 8. Sub initium ſeculi decimi ſeptimi, regnante LUDOVICO XIII, a variis chirurgis quidem culta, neque tamen fauore principis adiuta eſt chirurgia, barbitonſores potius ad aliquod exercitium artis admiſſi et chirurgis iuncti ſunt. Nec morbus LUDOVICI XIV ex abſceſſu ad anum natus et neglectus, tandem multa cum cura, operatione chirurgica, ſanatus, verae chirurgiae culturam recte commendare poterat. Non defuerunt quidem chirurgi ſuo ſtudio excitati, qui artis dignitatem confirmabant, ſed publica cura artem non euehebat.

p. 35. Sub initium huius ſeculi demum non ſolum ſtudium chirurgorum magis inclaruit, ſed etiam Regi commendatum eſt, ita vt anno triceſimo primo, Academia regia chirurgorum inſtitueretur, et ab eo tempore elaboratione et editione obſeruationum et tentaminum, in commentariis ſubinde prodeuntibus, ſingularia doctrinae ſpecimina ederet *).

p. 63. Proponitur poſtea aliquod ſpecimen doctrinae de *diſtenſione oſſium, peluim conſtituentium*, quo appareat, quomodo experientia rationem in iis rebus confirmet, quae tandem ad praxin transferendae ſunt. HIPPOCRATES hanc ſeceſſionem oſſium peluis fieri dixerat, aliis tamen diſſentientibus, et quaeſtio iam 1579 in ſchola medicorum Pariſina agitata eſt. Poſſibilem enim horum oſſium diſtenſionem PAREUS et PINNEUS Cll. Viri defendebant, quibus Cl. DULAURENS contradicebat, prioribus tamen
p. 73. accedebat Cl. GUILLEMEAU, quod in partu primo dolores puerperarum acerbiores ſunt. HILDANUS et

*) Reliqua, quae inſtitutionem huius Academiae regiae chirurgicae concernunt, in Tom. II. commentariorum expoſita ſunt. vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. II. p. 575 ſqq.

DSI

et RIOLANUS tandemque HARVAEUS ſententiae accedunt, et SCULTETUS eam tribus exemplis in feminis, durante partu, mortuis, confirmauit.

Mittimus hic propoſita teſtimonia, recentiorum ſcriptorum, hanc diſtenſionem affirmantium, cum ſucceſſiue et praecipue vltimis grauiditatis menſibus in feminis iunioribus illa fieri poſſit, et MORGAGNIUS et HALLERUS eam, durante partu, interdum euenire concedant. Argumenta igitur, quae p. 80.
Cl. ROEDERER, ex dimenſione oſſium iam ſiccatorum, in contrariam ſententiam propoſuit, breuiter refelluntur. Patet enim, cartilagines ſub affluxu humorum largiore ſenſim intumeſcere, oſſa coniuncta nonnihil ſecedere et peluim ampliorem reddi poſſe, quamobrem, relaxatis his partibus, ſub ipſo partu vis diſtendens applicatur. Foetus moles non ſolum creſcit, ſed humores etiam affluunt et ad ramificationes quoque collaterales deferuntur. Polypus narium etſi mollis eſt, hac ratione tamen dura et firmiter connexa oſſa extendit; et cartilagines inter corpora vertebrarum in iis, qui placide et extenſo corpore dormiunt, extenſionem maiorem cum humorum largiori affluxu habent. Diſtenſionem itaque peluis non ſolum, vti Cl. ROEDERER putat, in cachexia venerea affectis, ſed et in ſanis, quod exemplis probatur, admittenda eſt.

Cum autem haec res ad vtilitatem praxeos trans- p. 84.
ferenda ſit, obſeruationes plures et eae quoque, quae Cl. HERRMANNUS in diſſertatione de oſteoſteatomate tradidit *) et oſſium peluis, aliorumque oſſium, cartilagine coniunctorum, diductiones concernunt, recenſentur. Nec tantum diagnoſis monitis illuſtratur, ſed etiam, in morbo mox in principio cognito, remedia varia v. c. ſanguinis miſſio, fumigatio, balneum frigidum et faſciae, commendantur.

 Inſtru-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XV. Part. III. p. 484.

p. 103. Inſtrumenti poſtea cuiuſdam, ab academia probati, deſcriptio additur. Eſt hoc a Cl. BAQUIÉ, chirurgo Tolutano Academiae ad examinandum et diiudicandum propoſitum, et ab Auctore *Tiretete a double croix* dictum. Videbantur Cl. Auctori omnia ad caput foetus, a corpore auulſum et in vtero relictum, excutiendum inuenta machinamenta, ſiue laqueos ſiue marſupia, ſiue forcipes ſiue vncinos nominaueris, ſcopo ſuo non ſatis apta eſſe. Ipſe, quem Cl. LEVRET commendauit, extractor, et qui ſub nomine *Tiretete a baſquile* inter obſtetricantes notus eſt, Auctori et iure quidem omni ex parte non probatur. Hinc de nouo ferramento cogitauit, quod in difficili hoc ſaepius caſu, obſtetricantium votis ex aſſe ſatisfaceret. Neque tamen hoc nouum nobis videtur, neque aliis iam vſitatis vllo modo praeferendum inſtrumentum, quin ob complicatam ſuam fabricam, indeque ſub ipſa applicatione metuenda varia incommoda, ceteris longe poſthabendum. Nouum non eſt, cum iam a Cl. BURTONO*) eiuſmodi extractor deſcriptus fuit, qui ab hoc non niſi in eo differt, quod duo tantum ex lateribus proſilientia habent brachia, quorum Noſter quatuor oſtendit. Reliquis non praeferri poterit extractoribus, cum eodem modo, ac illi, capitis, ſi nimis magnum fuerit, molem non imminuit et nimis compoſitum eſſe id vnum demonſtrabit, quod in ſumma eius, quae princeps eſt, parte duodecim adſint mobiles articulationes, quibus brachia iſta proſilientia vario modo vel explicari vel complicari poſſunt. Liceat nobis in genere de caſu relicti capitis in vtero eam apponere ſenten-

*) Vid. BURTON *Midwifery* p. 276. Tab. XVII. fig. 6. et WALLBAUMII translationem germanicam libri Leuretiani, qui inſcribitur: obſervations ſur les cauſes de pluſieurs accouchement laborieux Tom. I. Tab. V. fig. 3 et 4. p. 530.

ſententiam, vt ſi nimium excedat capitis volumen diametrum ſuperioris peluis aperturae, optime Smelliana forcipe ad imminuendum, ſi autem non excedat moles peluis amplitudinem, ſed vel ob foetus putredinem, vel ex obſtetricantis errore diuulſum caput ſit, ſola manu ad extrahendum illud vti debere aſſeramus. Cum et ea ſit ſeculi noſtri indoles, vt quilibet fere in arte obſtetricia famam ſuam nominisque celebritatem noui inſtrumenti inuentione tueri ac parare ſtudeat, cumque his moliminibus factum ſit, vt magis de multitudine, quam de paucitate tam ferramentorum, quam regularum, in arte hac praeſcriptarum, querendum ſit, optamus et nos, vt quilibet ea monita, quae ſub fine praecedentis articuli, celebre quoddam Academiae Chirurgorum membrum ſcite et eleganter appoſuit, in nouorum inſtrumentorum inuentione vel in inuentorum correctione perpendat curaeque habeat.

Exhibetur etiam catalogus ſociorum, Academiam regiam chirurgorum conſtituentium. p. 109.

His praemiſſis, ad recenſionem commentariorum progrediamur.

I. *De cura vulnerum ſclopetorum* auctore Cl. DE LA MARTINIERE. Agitur potiſſimum de amputatione membrorum, quam Cl. BILGUER minus neceſſariam dixerat et Cl. TISSOT magis diſſuaſerat, Noſter vero hac operatione, maxima cum cura facta, vitam ſaepe ſeruari poſſe declarat. Commemorantur primo laeſiones, in quibus amputatio exigitur. Si membrum totum abripitur, vulnus irregulare eſt et lacerum, etſi vero et tunc vulnus ſanari poteſt, tamen ratione figurae et loci commodior eſt amputatio, inprimis ſi partes iam corruptae, vel ſtaſis humorum nimia in loco vulneris obſerua- p. 1. p. 3.

 tur.

p. 7. tur. In magna deſtructione v. c. articulorum, vaſorum cet. inciſiones ſaepe non ſufficiunt, et aeger minus ferre poteſt curationem longam, quam tot ſymptomata accedentia magis doloroſam et viribus inſidioſam reddunt, quam gnauiter inſtituta amputatio.

p. 10. His expoſitis, de vulneribus ſclopetorum in vniverſum agit. Vulnera haec colliſa per inciſiones a ſtagnatione humorum in vaſis et neruorum tenſione liberanda ſunt. Sed inciſiones non niſi ad ductum corporis laedentis, quem digitus chirurgi immiſſus detegit, fiant; nimiae enim inciſiones nocent. Via vero ſetaceis vel linteis in margine fimbriatis libera ſeruetur, quae vt corpus peregrinum laedens non conſideranda ſunt, linteis carptis ſiccis vulnus optime repletur et venaeſectiones viribus aegri accommodatae ſint. Inciſionum autem rationem vlterius definire tentat, et de remediis internis exhibendis pauca monet, cum ſaepius aegri, et defatigati laboribus, et diaetam negligentes ad curationes recte ſubeundas minus idonei ſint. Tartarum emeticum, parua doſi in ptiſanis datum, vt leniſſimum purgans laudat, nec vſum corticis Peruuiani et alia ſymptomatibus accommodanda remedia negligit.

p. 22. 2. *Commentarius de nonnullis rebus, quae vulnera ſclopetorum concernunt.* Auctore Cl. LE VACHER. Vim aëris a motu globi ex tormentis bellicis pulſi, vulnera contuſa efficere, quid quod ad ſubitaneam mortem diſponere, a multis traditum eſt; Noſter itaque et tum, cum, cute illaeſa, ſanguis extrauaſatus, coagulatus, muſculi compreſſione emolliti, et oſſa fracta deprehenduntur, non aëri, ſed globuli ipſius impulſui, laeſiones has adſcribendas eſſe contendit, neque enim vim, neque velocitatem aëris moti phaenomenon explicare poſſe arbitratur, cum experientia doceat, equiti femur abripi poſſe ſine laeſione

ſione equi: brachium militis vnius globo tormenti tolli ſine laeſione ſocii, arcte ad eum appreſſi, eundem globum per femora tranſire et vnum vehementer contundere, altero prorſus illaeſo. Aliis quoque argumentis agit contra Cl. TISSOT, qui rem mathematice definire anniſus eſt.

Globi laedentis motus rectilineus integris viri- p. 27.
bus agit, et abripit ſaepe membrum, ſi vero a latere impellitur, vim contundendi tantum habet: cutis quidem cedit, partes vero, ſub cute poſitae, tandem contra oſſa dura premuntur, a quorum reſiſtentia laeſio deriuanda eſt. Hanc vim etiam in aliarum partium laeſionibus declarat, et v. c. eos, qui, reſpiratione cohibita, per motum aëris occidi videntur, a compreſſione pectoris enecatos eſſe contendit. Obſeruationes de directione obliqua glo- p. 32.
bulorum laedentium ſub cute, non ſolum per oſſa, ſed etiam per muſculos, ſeu molliores partes, inducta, ſententiam Cl. Auctoris egregie illuſtrat.

3. *Obſeruationes nouae de muſculis femoris poſt am-* p. 40.
putationem retractis et de auxiliis retractionem auertendi Auctore Cl. LOUIS. Doctrinam de amputatione membrorum, quam iam in aliis commentariis egregie declarauerat Noſter *), nunc obſeruationibus in vltimo bello praecipue collectis, illuſtrare pergit. Varias quidem cauſſas retractae et ſubſidentis carnis muſculoſae recenſet, cariem tamen in ſpongioſa et interiori oſſis parte nimis procedentem iis addit, et cum exfoliatio abſciſſi oſſis cauterio actuali adiuuetur, pleraque cauteria minus apta ſint, aliud forficis forma inuenit, quo os amplecti poteſt.

Quod autem retractio muſculorum cauſſa eſt oſſis nimis eminentis, illa non ſolum a contextu cel-

 luloſo

*) Vid. Memoires de l' Acad. Roy. de Chirurgie Tom. II. p. 268. 355. et Comment. noſtr. Vol. III. Part. IV. p. 598 et 605.

lulоſo deſtructo pendere videtur, ſed Cl. Auctor obſeruauit, retractionem carnis in interna et inferiori parte maiorem, quam in anteriori et externa fuiſſe, quoniam hic muſculus cruralis et vaſtus externus oſſi firmius adhaerent, quam reliqui muſculi. Hinc conſuetam faſcias applicandi rationem, cum linteo cruris melitenſis forma ſciſſo et linteis complicatis, cruciatim applicatis, reprehendit, et poſtquam circulari faſciae ductu deſcendit, tantum a latere poſteriori et interno, lintea complicata longa comprehendit et adſtringit, eaque poſtea cruciatim, ſuper extremam femoris reſecti partem, leuiter adducit et faſcia aſcendente iterum comprehendit. Monet porro, femur in vlteriori cura non furſum adeo flectendum, ſed ſitum aegri ad lumbos recte diſponendum eſſe, ne carnes in nimia flexione ſuper os
p. 49. reſectum nimium reducantur. Varia poſtmodum contra monitum Cl. POUTEAU *) regerit, quae re-
p. 60. petere haud poſſumus. Tandem de machina tortili ſub operatione recte applicanda differit, et ſine hac, dummodo alius chirurgus arteriam cruralem, manu a latere applicata, comprimit, amputationem abſolui poſſe affirmat.

p. 63. 4) *Obſeruationes de cura vulnerum cum ablata parte corporis.* Auctore Cl. PIBRAC. Qui de ſuturarum abuſu alibi egerat **) in hac tractatione in vniverſum monet ſeriem medicamentorum, in inflammatione, ſuppuratione, deterſione, incarnatione et cicatriſatione vulnerum mutandam, nec certam, nec vtilem eſſe, inprimis ſi natura moderatos ſuccos adducit,

*) Vid. Melanges de chirutgie à Lyon 1760. 8. p. 359. et Comment. noſtr. Supplementum ad primam decadem p. 154.

**) Vid. Memoires de l'acad. de chirurgie T. III. p. 408 et Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. II. p. 215.

ducit, nec crebra deligatione opus eſt. Confirmat p. 65.
hoc ex obſeruationibus et primo eas commemorat, vbi brachium vel digiti amputatione ablati ſunt, in quibus noxam vnguentorum digeſtiuorum cognouit, et vel ſicca deligatione cum fructu vſus eſt, vel lintea, decocto frigido radicis althaeae imbuta, applicauit, calorem enim tumorem labiorum nimium augere aſſerit. Siccam et raram deligationem etiam in mammarum amputatione vrget, cum pus irritationem impediat et ſanationem acceleret, dummodo linteis carptis imbibatur, quae cuncta, in ſanis de reliquo hominibus, ita euenire concedimus.

5. *Commentarius, quo declaratur, regenerationem* p. 74.
carnis non fieri in vulneribus, per quae pars corporis ablata eſt. Auctore Cl. FABRE. Geneſis carnis vel elongatione vaſorum, vel eorum dilatatione in contextum cellularem rarum, qui tandem denſatur, explicata eſt. Hanc geneſin non fieri Noſter oſtendit, ſed in formatione cicatricis poſt partem extremitatis amputatam, in vulneribus ad os vſque penetrantibus, nec non in abſceſſibus poſt effluxum copioſi puris, partes ſubſidere, et, nutritione iterum largiore facta, contextum celluloſum tantum quodammodo repleri affirmat. In cura vulnerum has p. 79.
partes neceſſario ſubſidere et ſe contrahere debere, ex eo cognoſcimus, quod nimia nutritio et affluxus humorum ſanationem impedit. Idem declarat ſuppuratio interdum moderata, interdum nimia. Cica- p. 82.
trix itaque eſt exſiccatio et contractio extremitatum vaſorum, quae, ſucco nutritio accedente, eius tamen humiditate nimia perſpirante, denſior redditur et ſubſidet, quamquam contextus celluloſus ſubtus poſitus, poſtea iterum extendatur. Tubercula ſiue granula, quae in ſuperficie vulnerum et vlcerum ſuccreſcunt, regenerationem carnis non probare

oſten-

oſtenditur, quod ille tunc praecipue adſunt, quando humores in vaſis adhuc turgent. Noſter itaque de omni vulnerum mutatione, ad phaenomena varia attentus, erudite diſſerit.

p. 92. Eandem rationem ſubſidentium et ita ad ſe inuicem accedentium, tandemque conglutinatarum fibrarum in cauis abſceſſuum et in vulneribus, in quibus globuli plumbei partes organicas perforant, declarat. Obſeruationes de glande penis, de integumentis ſcroti et penis, poſt ſcarificationem ſeparatis et iterum reſtitutis, negat, nec has partes vere ſeparatas fuiſſe affirmat. Sic alias quoque apparentes regenerationes carnis conſiderat, in quibus potiſſimum in longitudinali tractu fibrarum muſcularium et inter ſe, et ab oſſibus ſecedentium, noua coalitio facta eſt; quam ſucceſſiue extenſis vaſis relictis adſcribit. Mittimus alia, quae contra Cl. DU HAMEL in regeneratione ſubſtantiae vegetabilis monet. De regeneratione oſſium ſaepius obſeruata, et per affluxum ſucci explicata, nihil monet, cum ad tractationem ſuam non pertinere affirmet.

p. 106. 6. *Commentarius de conſolidatione vulnerum cum parte corporis ablata.* Auctore Cl. LOUIS. Et hic abſciſſas partes non regenerari poſſe affirmat, et ſuper hac re HIPPOCRATIS et GALENI teſtimonia addit. Curationem abſceſſus, vlcus poſt variolarum inſitionem mutatum et aliud vulnus cum deſtructione muſculoſae partis ad os vſque conſiderat, et in omnibus nullam veram regenerationem ſubſtantiae, ſed aliquam contextus celluloſi extenſionem
p. 115. deprehendit. Inflammationem in vulnere et inde turgentes partes non carnem eſſe, vt BOERHAAVIUS dixerat, cum commentator eius VAN SWIETEN magis definiat inflammatas contextus celluloſi partes, quae tamen ſubſident. Quam rem Cl. Auctor

accu-

accurato examine partium, in quibus regeneratio credita eſt, explicare annititur.

Inprimis vero vulnera per mediam quandam p. 122. partem penetrantia et coalita, ſubſidendo coaluiſſe et coalitum hunc in nouo ano et in vulneribus ventriculi apertis relictis ſuccedere non potuiſſe declarat. Apparentem eleuationem carnis in vulnere, et formatam eminentiam, ex inflammatorio tumore pendere, et labia vulnerum, digeſtiuis vnguentis nimis emollita, ideo carnem fungoſam exhibere, cuius depreſſio ſicca deligatione et aliis auxiliis efficienda eſt. Suppurationem diſtinguunt in primam, p. 131. quae partes deſtructas tollit et aliam, quae regenerationi carnis fauet. Noſter vero in puris naturam accuratius inquirens, nec in altero pure aliquam vim regenerandi carnes detegit. Subiungit igitur breuem, ſed accuratam tractationem de cura vulnerum in vniuerſum et cicatricis formationem deſcribit, quae denſa et noua quaſi cutis eſt, ſine papillis cutaneis, ſine ſucco mucoſo et ſine contextu cellulari.

7. *Obſeruatio de paralyſi a cauſſa venerea.* Auctore Cl. HOUSTET. Monet quaedam in vniuerſum p. 141. de praeparatione ad inunctionem mercurii neceſſaria, ac de cauto huius vſu, et obſeruationem de aegro addit, non tantum languore vniuerſali affecto, ſed in quo excretio vrinae et alui minus recte procedebat ex paralyſi partium, quae ſimul in extremitatibus inferioribus obſeruabatur. Cauſſa itaque in miaſmate venereo quaeſita, cum imbecillitas aegri ſaliuationem mercurialem haud admitteret, lenes inunctiones mercuriales tentauit Noſter et hanc aliasque medendi rationes, ad aegrum ſanandum adhibitas, accurate deſcribit.

8. *Commentarius de vſu mercurii ſublimati.* Auctore Cl. PIBRAC. Commemorantur effectus tri- p. 153.

ſtes

ſtes et letales mercurii corroſiui, externe vlceribus carcinomaticis applicati, et vires eius neruis potiſſimum infeſtae declarantur. Et aquam phagedaenicam ſaliuationem excitaſſe accurata obſeruatione oſtenditur. Internum quoque vſum mercurii ſublimati ſaepe funeſtum eſſe, affectiones incommodae ventriculi poſt ſumtum remedium non ſolum confirmant, ſed ſi etiam ea, quae ab inuentoribus exigitur attentio, euidentes laeſiones auertit, morbis tamen lentis occaſionem dare poſſe Noſter contendit.

p. 164. 9. *Commentarius ſuper modum vniendi inteſtinum, cuius pars in hernia gangraenoſa ablata eſt.* Auctore Cl. PIPELET. Sen. Feminae quinquaginta ſex annorum in hernia gangraenoſa deſtruebatur pars inteſtini ilei quinque vel ſex pollicum longitudine, ita tamen ſanata eſt, vt foeces per nouum anum ſecederent. Haec cum annum ſeptuageſimum ſecundum ageret, et, errore diaetae commiſſo, colicis doloribus afficeretur, leni medicamento purgante dato, excrementa vrgebantur, quo iterum per praeternaturalem hanc viam egrederentur, ſed ea cicatrice clauſa erat, progreſſus tamen ſcybalorum ad anum directus eſt, ita vt ad annum octuageſimum ſecundum vſque, quo haec femina, alio morbo correpta, obiit, conſuetam hanc viam ſeruarent. In diſquiſitione cadaueris in ea parte inteſtini aliqua quidem contractio obſeruata eſt, continuus tamen canalis apparuit, a parte, ventriculum ſpectante paulo amplior, quam a parte, anum reſpiciente. Haec res icone illuſtratur et Noſter ſparſim obſeruationes notatu dignas immiſcet.

p. 173. 10. *Commentarius de minus cognito effectu conſtrictionis in hernia inteſtinali.* Auctore Cl. RITSCH. In hernia inguinali incarcerata, operatione curata,

chirur-

chirurgus inteſtinum cum leuiter tantum inflammatum eſſet, repoſuit, ſed aeger paulo poſt obiit. Diſquiſitio cadaueris Noſtro oſtendit, inteſtinum ileum duobus in locis, vbi antea annulo compreſſum fuerat, tantam conſtrictionem paſſum fuiſſe, qualem, filo circumducto, vix fieri poſſe apparebat. Suadet igitur in eiusmodi operationibus extractionem quandam inteſtini, antequam denuo reponatur, et praeternaturali diſpoſitione inuenta, partis reſectionem, nouum vero coalitum charta, terebinthina illita, in tubum introducere et filis firmare iubet. De qua etiam operatione monita nonnulla ſubiungit.

II. *Nouae obſeruationes de herniis veſicae et ventriculi.* Auctore Cl. PIPELET. Iun. Vir ſexaginta annorum hernia inguinali laborans, eandem faſcia commoda facile retinuit, ſed aliud incommodum ex ſaltu ſuper foſſam acceſſit, dolor nimirum cum tumore in perinaeo ſe monſtrauit, quam ob rem vrinae excretio moleſta reddita eſt. Noſter itaque herniam veſicae in perinaeo obortum fuiſſe ex ſignis perſpexit, quam machina comprimente, priori perizomati herniali iuncta, coërcuit, cuius fabricam ample deſcribit. Rarius in viris hernias veſicae in perinaeo oriri, ex fabrica partium declarat, in feminis autem ex grauiditate crebrius obortas fuiſſe, variis exemplis additis, euincit. p. 181.

Ratione herniarum ventriculi ea, quae Cl. GARENGEOT propoſuit *), et monita ſuper hac re a Cl. GÜNZIO prolata **) breuiter diiudicat, et varietatem harum herniarum, ſeptem obſeruationibus commemoratis, deſcribit, ex quibus apparet, non ſolum tum, cum regioni epigaſtricae aliqua vis externa p. 188.

*) Vid. Memoires de l'acad. roy. de chirurgie Vol. I. p. 702.

**) Libellus de herniis, Lipſiae 1744. 4. §. 20. p. 87. ſq.

na illata eſt, ſed et in dubiis ſignis ex cauſſa interna cum vomitu et digeſtione laeſa, regionem ventriculi ſub vario ſitu diſquirendam eſſe, cum tumores tales hernioſi inter muſculos rectos ad lineam albam obſeruantur, qui, apta faſcia comprimente, coërcendi ſunt. Haec quidem non accurate deſcribi poteſt, ſed variam compreſſorii figuram, ratione tumoris eiuſque extenſionis exigit. ideoque peritiae cuiuslibet chirurgi et tentaminibus repetitis recte forma-
p. 198. tur. Addita eſt obſeruatio de hernia ventriculi a latere ſiniſtro ſub vmbilico exorta, in qua pars zonae coli extenſa et attenuata ſuſcepta eſt.

p. 201. 12. *Diſquiſitiones hiſtoricae gaſtrotomiae ſiue inciſionis infimi ventris in cauſſa voluuli vel intusſuſceptionis inteſtini.* Auctore Cl. HEVIN. Recenſentur ſententiae variorum auctorum et veterum et recentiorum de hoc argumento, et oſtenditur, a multis operationes in herniis ſuſceptas et relatas, alias vero deſcriptiones non ab artis peritis factas eſſe, nec ab vno alteroque euentu ſingulari, rationes operationis adeo difficilis definiri poſſe, inprimis cum ſigna mutationum ſingularium in inteſtinis et partium laeſarum non adeo certa ſint, nec in viuo homine ſeries
p. 215. inteſtinorum facili negotio diſquiri queat. Ea igitur, quae nunc in vniuerſum expoſita ſunt, quindecim obſeruationibus morborum inteſtinalium, cum academia regia chirurgorum communicatis, illuſtrantur, quae, etſi a nobis repeti non poſſunt, tamen confirmant, naturam rarius, partibus abſceſſu aut gangraena motis et per vires vitae ſuperatis, aegros ſeruaſſe, in aliis et pluribus vero inſpectionem cadaueris demum impoſſibilem ſanationem declaraſſe, ita, vt in omnibus his gaſtrotomiam cum ſpe proſperi ſucceſſus inſtitui haud potuerit, cum tumores, adhaeſiones, conſtrictiones et aliae mutationes praeter-

naturales

naturales non niſi ex generalibus ſymptomatibus pateſcant, nec cauſſam veram in viuis indicent.

13. *Annotationes ſuper diuerſas cauſſas conſtrictionis et retentionis partium*, etranglement, *in herniis*. Auctore Cl. GOURSAUD. Auxilia chirurgica pro differentia ſymptomatum variare debere, cum aliis vrget, et primo quidem in cauſſa inflammatoria, quae, dolore protinus oborto et aucto, vehementi tenſione tumoris et febre inſigni praecipue declaratur, ſanguinis miſſiones easque repetitas inſtituendas et moderatam tumoris compreſſionem tentandam, repoſitione autem non ſuccedente, protinus ad operationem progrediendum eſſe. Si canalis inteſtinorum foecibus et ſpiritu turget, nec ſigna inflammationis ſe monſtrant, nec venter nimis tenſus eſt, varia auxilia accommodata cum aliqua cunctatione applicanda et repoſitiones iteratis preſſionibus iuuandae ſunt. Ad hanc rem magis illuſtrandam varias obſeruationes deſcribit, in quibus repoſitio herniae tardius quidem, ſed ſine vlteriori incommodo ſubſequuta eſt. Subiungit tamen et alias, in quibus vel adhaeſio inteſtinorum, vel aliae cauſſae acceſſoriae operationem tandem neceſſariam reddiderunt. p. 243.

Quo autem auxilia herniae reponendae melius diiudicentur, monita quaedam addit. Preſſio ſit blanda et repetita et repulſionem materiae contentae in inguinalibus herniis verſus os ileum, in cruralibus verſus vmbilicum tentandam eſſe arbitratur Cl. Auctor. Cum emollientia medicamenta, quae ſpaſmos leniunt, inertiam inteſtinorum ſaepe augeant, roborantia caute electa permittit et Cl. MONROI teſtimonium affert, qui vino rubro frigido et niue repoſitionem accelerauit; de applicatione frigidorum tamen dubius eſt et monet, in cauſſa inflammationis gangraenam his reprimentibus accelerari et, ſi omentum p. 256.

ſimul in tumore continetur, pinguedinem nimis denſari. Purgantia fortiora interdum herniam conſtrictam curaſſe, obſeruationes quaedam et eae quoque, quas Auctor recenſet, docent; ſed ſigna bene perpendenda ſunt, agunt enim tantum in iis herniis, in quibus, laterali parte inteſtini conſtricta, canalis ipſe ex parte liber eſt, vel vbi in magnis herniis annulus ſatis dilatatus eſt, vel tandem vbi clyſmata
p. 268. viam verſus inferiora liberam reddiderunt. Hoc potiſſimum efficiunt clyſmata fumi herbae nicotianae copioſius inflata, quorum effectus teſtimoniis confirmantur et machinae ad hos vſus accommodatae diiudicantur, addito tamen monito, et hic ad cauſſas reſpiciendum eſſe. Tandem de ſitu aegri agitur et exempla proferuntur, vbi, capite demiſſo et pedibus erectis, repoſitio adiuta eſt.

p. 281. 14. *Monita ſuper operationem herniarum.* Auctore Cl. LOUIS. Similes ſunt annotationes iis, quae in praecedenti commentario propoſitae ſunt et chirurgum de auxiliis, ad cauſſas accommodandis, recte inſtruunt. De ſitu aegri, vulnere integumentorum primum et de inciſione ſacci hernioſi poſtea agit, quam minus neceſſariam iudicauerat Cl. PETIT, Noſter vero, teſtimoniis variorum auctorum repetitis, eandem vrget, quo mutatio partium, in ſacco contentarum, rectius diſquiratur et reliqua, quae
p. 295. operatio poſtulat, accuratius effici poſſint. Impugnat poſtea dilatationem annuli digito vel alio inſtrumento tentandam, quippe quae vel non fieri poteſt, vel tenſionem nimiam partium iam laeſarum efficit et modum dilatationis annuli ita docet, vt, ſacco hernioſo ſatis aperto, a parte ſuperiori annuli inciſio inchoetur, partibus contentis deorſum reclinatis, tunc enim et ſine ſpecillo, ſcalpello, cuius apex
p. 299. globulo munitus eſt, ea fiat. Simili ratione de reductione

ductione ſacci hernioſi diſputat et, diiudicatis variis auctorum opinionibus, affirmat, illam tuto non fieri poſſe, etiamſi poſt clyſmatum et leniorum purgantium vſum et operationem de reliquo bene ſuccedentem efficiatur. Examinat tandem Noſter operationem, in qua gaſtrotomia inſtituitur et de faſciis recte applicandis ſub finem diſſerit. p. 311.

15. *Obſeruationes de ſuppuratione membranae teſticuli propriae.* Auctore Cl. PETIT. Albuginea, vt membrana teſticuli propria, laeſa, ſaepe pus griſeum et filamentoſum exit, quod ſubinde teſticulum mole minorem reddit, quid quod totum reſoluit, quatuor itaque obſeruationes non membranae teſticuli, ſed fabricae ipſius teſticuli, ſuppuratione reſolutae, referuntur. p. 323.

16. *Summa obſeruationum de morbis ſinus maxillaris.* Auctore Cl. BORDENAVE. Structura ſinus maxillaris et membranae, eum inueſtientis, breuiter deſcribitur et morbi, variis vbique obſeruationibus iunctis, illuſtrantur methodusque medendi additur. Indicemus praecipuas res, quo ratio inſtituti melius pateat. p. 329.

Cauitate ſinus maxillaris, vel dentis maxillaris euulſione, vel alia laeſione aperta, mucus copioſus effluit, qui purulentam materiam non refert. Interdum tamen inflammatio in hoc ſinu oritur, cuius ſigna praeter generalia, ſaepe dubia ſunt, ſuppurationem tamen factam eſſe, effluxus puris ex naribus oſtendit, qui ſub ſitu capitis, ad orificium internum accommodato, potiſſimum euenit. Ne itaque vlcus carioſum generetur, attentione opus eſt. Noſter itaque in MEIBOMII, COWPERI et DRACKII medendi rationes inquirit, easque obſeruationibus illuſtrat, cum vero illa dentis euulſione perficiatur, monet quidem, dentem carioſum inuentum euellendum p. 331.

 eſſe,

eſſe, ſi autem omnes ſani ſunt, nec maxillarem primum, nec vicinum caninum, ſed tertium potius maxillarem eligendum eſſe, Cl. Auctor declarat, cum eius aſcenſus in ſinum perforationem facilem et vtilem reddat, quamquam vero turundis ex ſpongia orificium apertum ſeruari poſſit, in diuturno tamen effluxu cannulam argenteam applicandam ſuadet.

p. 351. Cl. LAMORIER, dentibus ſanis exiſtentibus, aperturam ſuper arcum alueolarem efficiendam ſuadet. Eſt ibi aliqua eminentia, quae apophyſis malaris appellatur. Labio itaque ſuperiori per vncum quendam, quem ſpeculum oris dicit, et digitum eleuato, integumenta oris et gingiuarum inciduntur, et, oſſe denudato, perforatio fit inſtrumento, quod acutum apicem linguae ſerpentis forma habet et orificium factum amplius reddit. Inſtrumenta et methodus operationis icone illuſtrantur et variis obſeruationibus confirmantur.

p. 357. Iniectio medicamentorum, mediante ſyringa, per orificium naturale in ſinum maxillarem, a Cl. ALLOÜET tentata quidem, ſed a Cl. JOURDAIN, inſtrumentis indicatis, deſcripta eſt. Illa ſunt 1. ſpecillum ſolidum argenteum, 2. aliud ſimile cauum cum filo, poſt applicationem educendo, 3. ſyringa: quorum methodus applicandi etiam deſcribitur; orificium tamen nonniſi in iis, in quibus ſatis magnum eſt, detegi poſſe, iniectiones ſanationem non recte abſoluere et exempla curationis, hac methodo fa-
p. 361. ctae, dubia eſſe Noſter pronuntiat. Quoniam vero cum his ſinuum maxillarium morbis, alii v. c. venerei complicati ſunt et caries partium vicinarum et dentium ſimul attendenda eſt, etiam hae curationes multis chirurgorum obſeruationibus et ratione medendi adhibita, illuſtrantur, quae quidem, etſi lectu digna ſunt, a nobis tamen breuiter indicari nequeunt.

17. *Com-*

17. *Commentarius de operatione labii leporini, quo ea, ex primis artis doctrinis, de vnione vulnerum declaratur.* Auctore Cl. LOUIS. Communis ferme chirurgorum ſententia eſt, labium leporinum in neonatis eſſe morbum, ex defectu ſubſtantiae partis ipſius labii, ideoque diuerſum a vulneribus labiorum recentibus in adultis, Noſter vero oſtendit, hiatum, ex quo ad defectum partis labii concluditur, nonniſi a muſculorum actione pendere, ideoque in curatione acus vtrinque introducendas et filo circumvoluto combinandas, neceſſarias non eſſe. In attenta igitur curationis ratione deſcribenda verſatur. Refectio marginis primum attendenda eſt, quo vulnus cruentum fiat. Inſtrumentum, quo margo labii ante refectionem comprimitur et refectionem cum forfice iam ab aliis neglectam eſſe oſtendit; ſcalpello potius efficienda eſt inciſio et omnis caro mollis cum exigua particula cutis ita remouenda eſt, vt angulus acutus ſub naſo in duas lineas diuergentes, recte vniendas efficiatur. Etſi vero ſuturam cruentam non commendet Noſter, de acubus tamen et modo eas applicandi, multa diſputat et modum vniendi labia ita docet, vt partes vicinae genarum verſus labia ita premantur, vt, diductione marginum vulneris impedita, cura in recenti vulnere fiat. Cum autem in laeſionibus labiorum inſignis varietas ſe offerat, primo tumorum cancroſorum ad labia exſtirpationem diiudicat et quinque prioribus obſeruationibus docet, quibus auxiliis interdum vulnus tunc ſatis amplum vniri debeat, illud tamen non ſemper praecipue in magno tumore fieri poſſe, ſed tum foedam cicatricem relinqui concedit.

p. 385.

p. 391.

p. 403.

Reliquae obſeruationes labium leporinum concernunt. Hoc ſi duplex eſt, duplicem operationem exigit, quarum altera ſexta vel octaua demum hebdomade poſt priorem fieri debere, exemplo felicis p. 415.

 curationis

curationis declarat, ſimilemque cum fiſſura palati deſcribit et, additis aliis obſeruationibus, in ſuturae cruentae incommoda vlterius inquirit, ſiccamque per emplaſtra glutinantia commendat et monet, operationem tunc in infantibus fieri poſſe, nec expectandum eſſe, donec hac deformitate affecti, ad quintum vel ſextum annum accedant.

p. 429. 18. *Commentarius de angina inflammatoria.* Auctore Cl. RECOLIN. Venaeſectionem eamque repetitam praeſtantiſſimum auxilium in angina inflammatoria eſſe, omnes conſentiunt, ſed ſelectus venae attendendus eſt. Noſter enim de vtilitate venaeſectionis primae in pede, qua ſanguis a ſuperioribus deriuari dicitur, dubitat et inde potius abſceſſus ad pulmones naſci, argumentis et exemplis confirmat: poſtea teſtimonia veterum et recentiorum auctorum de venaeſectione in brachio et inciſione venarum ſublingualium affert et ſanguinis miſſionem ex brachio et iugularibus praefert.

p. 440. Gargariſmata reprimentia poſt venaeſectionem in pede metaſtaſin ad pulmones accelerare, variis porro obſeruationibus declarat et, veterum auctoritate nixus, in caſu metaſtaſeos haec medicamenta minus accommodata eſſe iudicat, vim morbi potius ad externas partes dirigendam eſſe. De cucurbitulis et ſubſequente ſcarifatione in locis vicinis externis v. c. ſupra clauiculam, exemplum curationis habet. Quod vero tandem tumores in abſceſſus tendunt et hi ſaepe latentes ſunt, nec ſponte aperiuntur, eorum maturationem non expectandam eſſe monet, etſi enim, inciſione facta, non pus verum, ſed cum eo materia corrupta, ſanioſa, viſcida et ſanguinolenta exit, ſymptomata tamen cum commodo leuari, exemplis confirmat.

19. *Com-*

19. *Commentarius de bronchotomia.* Auctore Cl. LOUIS. Reſpirationis liberae neceſſitate ad conſervandam vitam in vniuerſum declarata, ad impedimenta ex angina inflammatoria tranſit et bronchotomiam in ea non ad vltima, ſed prima ſaepe auxilia pertinere affirmat. Fiſtulam per fauces ad maxillam vſque intrudendam, qua ſpiritus in pulmones traheretur, HIPPOCRATES praeceperat, bronchotomiam vero ASCLEPIADIS inuentum eſſe declaratur. Exponit poſtea de iis, quae medici Graeci et Arabes de hac operatione tradiderunt, quae ab aliis laudata, ab aliis neglecta eſt. FABRICIUM AB AQUAPENDENTE poſtea eiusque accuratas deſcriptiones commemorat et CASSERII monita de operatione hac efficienda, ipſamque iconem huius Auctoris, qua ratio inciſionis et cannula poſtea applicanda delineatur, repetit. p. 455. p. 459. p. 467.

Reliqua tractatio exhibet ampliſſimam et lectu digniſſimam recenſionem omnium Auctorum, qui de bronchotomia egerunt, inſperſis variis monitis, cuius ſummam tradere haud poſſumus. Subſiſtamus itaque tantum in fine eius, vbi operatio, ad Cl. BAUCHOT methodum peracta, indicatur. Hic nec acum triquetram, nec lanceolam faſciola obuolutam in aperienda trachea adhibuit, ſed ſcalpellum anceps manubrio ita adaptauit, vt cannulam compreſſam, cuius margo paruos annulos annexos habet, ſimul in vulnus inflictum introducat. Etſi vero, durante operatione, trachea digitis ſatis firma retineri queat, tamen inſtrumentum, margine ſemilunari inſtructum, in hos vſus inuenit, quae inſtrumenta in tabula addita delineantur. Quoniam vero non in omni angina inflammatoria bronchotomia aegro accommodata eſt, obſeruationibus additis, definitur, in quibusnam praecipue ſpeciebus de ea efficienda cogitari poſſit. p. 475. p. 506.

p. 513. 20. *Commentarius alter de bronchotomia, in quo de corporibus peregrinis, in tracheam delapſis, diſſeritur.* Auctore Cl. LOUIS. Puella fabam deglutiuerat et cum difficultas reſpirandi per aliquot dies continuaſſet, cum deglutitio libera inuenta eſſet, cum propoſita a Cl. Auctore bronchotomia neglecta eſſet, illa obiit, in ſectione tamen cadaueris faba in trachea inventa et extracta eſt, ex qua re euictum eſt, aegram
p. 519. bronchotomia ſeruari potuiſſe. Recenſentur ideo plures obſeruationes de corporibus peregrinis, poſt mortem in trachea inuentis. Etſi vero vel ſternutatione, vel vomitu excitatis, corpora peregrina, in imis faucibus haerentia, mouere intendunt, haec tamen auxilia in corpore, ex trachea ipſa emouendo, ſaepe minus caute applicantur. Commemorantur ideo variae obſeruationes de corporibus, diu in confiniis laryngis et pharyngis haerentibus, attamen feliciter excuſſis; adduntur tamen nonnullae, quae declarant, puluillos in cura vulnerum thoracis, vel particulas coſtae fractae, introrſum delatas et pulmonibus vlceroſis inhaerentes, tandem cum muco et pure ex trachea et larynge tuſſiendo reiecta eſſe.

p. 531. Progreditur Cl. Auctor in examine obſeruationum, in quibus declaratur, vel corpora peregrina, inciſione facta, in viuis extracta eſſe *), vel poſt mortem demum, ſectione cadaueris inſtituta, declaratum eſſe, hanc operationem ad vitam aegri ſeruandam inſtitui potuiſſe. Cum enim interdum ſubita mors non ſequatur, ſed ſigna ſubinde manifeſta fiant corporis, in trachea haerentis, cum emphyſema, ex aliis cauſſis natum, ſaepe profundas inciſiones in his partibus poſtulet, in ſignis quodammodo definiendis

*) His exemplis praecipue addi debuiſſet ſalutaris bronchotomiae effectus in oſſiculo ſat magno educto, quem declarauimus in recenſione libelli germanici Cl. ENGEL. vid. Comment. noſtr. Supplement. II. p. 242.

dis Noſter verſatur, quibus chirurgus ad broncho-tomiam efficiendam ducitur, inprimis cum haec operatio in eiusmodi morbis ſine metu ſiniſtri euentus inſtitui poſſit.

21. *Commentarius de trepanatione ſterni.* Auctore Cl. DE LA MARTINIERE. Oſſa caluae modiolo exſcindenda ſunt, ſi nec fractae partes, nec ea, quae ſub iis haerent, remoueri poſſunt. Idem etiam, in fracto ſterno fieri poſſe, oſtenditur. Etſi vero primaria Cl. Auctoris obſeruatio doceat, fragmenta ſterni ſpecillis ita leuata eſſe, vt puri, in mediaſtino contento, exitus conceſſus ſit, in fractura tamen, quae abſceſſum tegit, trepanationem a chirurgo cum fructu inſtitui poſſe et debere, Noſter monet. Idem valet in abſceſſibus ſub ſterno, ex aliis laeſionibus natis, ſi enim tumores, in pectore orti, inciduntur vel exſtirpantur, qui profundiora vlcera produnt, modiolo applicato, ea detegenda ſunt. Variis itaque exemplis declaratur, ſignis mali latentis cognitis, modiolum applicandum eſſe, quod in ſcapula quoque factum eſſe docetur. Commemoratur tamen ſanatio abſceſſus, ſub ſterno, formati, qui ſine trepanatione ſterni, idoneo tantum ſitu aegri obſeruato, ſanatus eſt. p. 545. p. 552.

Cum autem caries oſſis ſterni hanc operationem praecipue vrgeat, obſeruatio GALENI recenſetur, qui, carie oſſis remota, quamquam modus non deſcribitur, abſceſſum profundum ſanauit. Proponuntur poſtea plures obſeruationes lectu dignae chirurgorum, qui, trepanatione ſterni adminiſtrata et variis partibus vicinis remotis, tandem veram ſanationem effecerunt. Commemoratur etiam deſtructio ſterni ex cauſſa venerea, vbi tumor, ſuper os ſterni natus, ita ſeparatus eſt, vt, fundo vlceris detecto, pulſus cordis per pericardium accurate percipi po- p. 558. p. 563.

 tuerit.

tuerit. Etſi vero haemorrhagia mammariae arteriae cohibita eſt, vires tamen aegri nimis depreſſae, nec natura, nec arte ſeparationem cariei admiſerunt. In icone addita traditur delineatio thoracis cum laeſione, a ſterno medio vſque ad vicinas coſtas ſe extendente. Repetit Noſter, hac data occaſione, ab HARVAEO traditam obſeruationem de iuuene, cui per plures annos, cúm conſtanti de reliquo ſanitate, infima pars ſterni ita remota eſt, vt per vlcus, cuius depuratio quotidie efficienda erat, pulſus cordis cognoſceretur.

p. 567. Neque tamen modiolus in omni carie ſterni applicandus eſt, cum haec in ſuperioribus laminis nata, oſſe ad viuam vſque partem abraſo, tollatur et quidem promptius, quam ſi os laeſum cauſticis tentetur, ex quorum vſu partes vicinae haud raro vitium contrahunt. Sub finem adiiciuntur duae obſeruationes, in quarum prima vis naturae in remouenda parte corrupta oſtenditur, in altera vero mors ſubſequuta eſt. Neglectus trepanationis in vtroque caſu deprehenditur, cum in priori vis naturae in ſeparatione corruptae partis adiuuari, in altero aeger forte ſeruari potuiſſet.

p. 573. 22. *Commentarius de luxatione coſtarum.* Auctore Cl. BUTTET. Recenſet primo doctrinam de luxatione coſtarum, a variis auctoribus traditam, et ex diſſenſu eorum, ex ſignis minus certis et ex auxiliorum propoſitorum indole concludit, non ex vera obſeruatione, ſed ex theoretica tantum conſide-
p. 580. ratione, eos doctrinam hanc propoſuiſſe. Ipſe poſtea luxationem diiudicat, repetit fabricam coſtarum praecipue ratione articulationis ligamentorum et muſculorum et inde concludit, capitula, corporibus vertebrarum annexa, introrſum dimoueri poſſe, ſi ligamenta, quibus ad corpora et proceſſus trans-

verſos

verſos vertebrarum anneƈtuntur, laeſione violenta dilacerantur. Nec hoc accidere poſſe in coſtis primis veris, ſcapula defenſis, ſed potius in quatuor vel quinque inferioribus veris, in his etiam magis, vtpote maxime incuruatis et ſterno arƈtius nexis, quam in inferioribus ſpuriis, quae magis fluƈtuant. Hac luxationis ſpecie declarata, illam, quae ſurſum et deorſum fieri dicitur, prorſus negat.

Signum praecipuum huius luxationis proponit p. 587. ſtridorem, auribus perceptum, ſi aegri peƈtus ab anteriori et poſteriori parte ſimul comprimitur vel ſi aeger ope muſculorum ſe eleuare annititur, et monet, hunc ſtridoris ſenſum ab eo differre, quem coſta fraƈta excitat, reliqua vero ſigna reſpirationis et tuſſis dubia iudicat. Quamquam vero haec luxatio minus funeſta eſt, tamen cum ſymptomata maxime moleſta oboriantur, naturae ſuccurrendum eſſe, vrget Noſter. Praeter ea vero remedia, quae ſymptomata exigunt, curationem luxationis fieri docet, ſi panni comprimentes quatuor digitos lati, oƈto vel decem longi et craſſitiem duorum digitorum habentes, faſcia apta ita applicantur, vt prior compreſſio fiat in articulatione coſtae luxatae cum ſterno, altera in dorſo ad latus, luxationi oppoſitum, ſuper proceſſus transuerſos et coſtas, iis annexas, aegro interea quieſcente.

Ne vero haec fiƈta videantur, Cl. Auƈtor obſer- p. 588. vationem tradit de luxatione coſtae, in qua de ſigno, ex ſtridore ſingulari ab aliis quoque percepto, et de applicatione faſciae nunc propoſita accuratius diſſerit et varia dubia reſoluit.

23. *Nouum auxilium curuaturas ſpinae dorſi prae- p. 596. cauendi et curandi.* Auƈtore Cl. LE VACHER. De incommodis, ex curuitate ſpinae natis, nec non de cauſſis, eam inducentibus, varia diſputat et poſtea

ad

p. 600. ad auxilium declarandum procedit. Etſi vero ſpina dorſi in naturali ſtatu varie curuata eſt, in eo tamen etiam rectitudinem conuenientem refert, quam aequalis muſculorum actio ſuſtinet, quae protinus ceſſat vel debilior fit, quando ſpina a rectitudine declinat. Incommoda auxiliorum, quibus variae pectoris partes nimium comprimuntur, vel quibus corpus, quamquam idonea ratione ſuſpenſum, agitatur, breuiter recenſet, monetque, extenſione ſucceſſiua et conſtanti, capitis et ſpinae rectitudinem effici poſſe. Hunc finem machina maxime compoſita aſſequi tentat, quam quidem in omnibus partibus accurate deſcribit et, addita icone, illuſtrat, quae, cum a nobis repeti nequeant, ſummatim tantum indicabimus.

p. 604. Thorax ex virga balenaria formatus et ab anteriori parte adſtringendus, ſuſcipit in parte media poſteriori laminam cupream duplicem, per cuius medium tranſit baculus ferreus, denticulis ab vno latere inſtructus, ita adaptatus, vt et a lamina ſuſtineri et in ea ſurſum deorſumque duci queat. Huius parti ſupremae ab occipite ſuper caput ad frontem vſque extenſus arcus iungitur. Capiti vero accommodatur mitra, annulo circa tempora adaptato, ex cuius parte poſteriori ſimilis arcus, ſuper caput extenſus, nectitur, qui in vertice cum priori arcu coniungi et, denticulis applicatis, adſtringi et relaxari poteſt. Hac machina compoſita, caput et ſpinam in rectitudinem ducere et in ea retinere ten-
p. 609. tat. Etſi vero haec machina maxime compoſita eſt, tamen interdiu applicatam actiones conſuetas non impedire, ſed etiam noctu affixam remanere poſſe, Noſter perhibet, et hanc curationis rationem exemplis confirmat. Certum omnino auxilium promittit, ſi aetatem duodecim annorum nondum ſuperauerint aegri, in aliis tamen, in quibus curatio non efficitur, varia ſymptomata, ex curuitate ſpinae oriunda, leuari docet.

24. *Com-*

24. *Commentarius de fractura colli oſſis humeri.* p. 614. Auctore Cl. MOSCATI. Cum faſcia circularis vt in fractura mediae partis hic loci applicari nequeat, niſi vero pars fracta in firmo ſitu ſuſtineatur, timendum eſſe, ſuccum oſſificum in formando callo nimium ad latera effundi et anchyloſeos cauſſam eſſe, cum nec faſcia, quae ſpica dicitur, nec alia, octodecim capitibus inſtructa, aequalem partis fractae et repoſitae ſitum efficere queant, de alio auxilio Noſter cogitauit. Ille igitur pannos comprimentes et puluillos, albumine ouorum imbutos, circa partem ita adaptauit, vt, his poſtea nonnihil exſiccatis, cauum figurae partis accurate reſpondens efficiatur, quod poſtea, faſcia bene applicata, retineri poſſit, et hanc curationis rationem exemplis illuſtrat.

Additur ſumma obſeruationum de fractura colli oſſis humeri. p. 622. Oſtenditur Cl. LE DRAN in ſitu humeri ad corpus ipſum ita adſtricti, vt interpoſitis puluinaribus os humeri tamen a corpore non nihil remoueatur, idoneam curationis rationem quaeſiuiſſe. Lintea comprimentia, albumine ouorum imbuta, admixta etiam bolo armena, nimis rigida fieri et ita partes laedere. Anchyloſin in his fracturis a ſucco oſſifico, ad articulum effuſo, non timendam eſſe, cum aliqua tantum pars capituli articulum cum ſcapula formet. Proponitur etiam icon fracturae femoris p. 625. ad collum eius cum inſigni copia calli excreſcentis et caui in eo relicti. Etſi vero callus in cauum articuli non tranſiit, aeger tamen vlceribus fiſtuloſis incurabilibus languidus redditus, tandem obiit.

25. *Commentarius de fractura colli femoris.* Auctore Cl. SABATIER. p. 630. Diagnoſin et methodum medendi in hac fractura praecipue illuſtraturus Cl. Auctor, primo quidem monet, ſub vario impetu collum femoris frangi poſſe, quam maxime tamen ſi

quis vehementer in trochanterem maiorem inciderit. Tunc vero ſigna ſe offerunt ſequentia, dolor in inguine partis laeſae, motum impediens; crus brevius redditum, trochantere ſurſum ducto; retractio partium poſt factam extenſionem per vim muſculorum; crus laeſum verſus ſanum directum, nonniſi cum dolore ab eo remouendum; praecipue vero extremitas pedis extrorſum flexa, genu ſimili ratione directo, cum leui flexione. Haec ſigna, variis obſeruationibus propoſitis, illuſtrat et quaedam de ea fractura monet, vbi partes parum dimouentur.

p. 640. De extenſione recte adminiſtranda monita varia ſubiungit et de faſciis applicandis differit. Applicationem faſciae, ſpica dictae, reprehendit, quod nimium motum femoris fracti exigit et nimiam per hanc et alia auxilia adſtrictionem aegro moleſtam, quid, quod exitioſam eſſe oſtendit. Exponit etiam de aliis faſciam applicandi methodis, et Cl. FOUBERT conſilia de extenſione repetenda examinat, variaque incommoda, quae longam curationem huius fracturae ſequuntur, commemorat.

p. 649. Additur tandem ſumma obſeruationum et monitorum de ſignis et curatione huius fracturae; cuius rei vberiorem tractationem alio tempore, a Cl. LOUIS, in proponendis et enodandis doctrinis chirurgicis ſolertiſſimo, expectamus.

II.

II.

Elementa metallurgiae ſpeciatim chemicae, conſcripta atque obſeruationibus, experimentis et figuris aeneis illuſtrata a IOHANN. GOTSCH. WALLERIO, Phil. et Medic. Doct. Chem. Metallurg. et Pharmac. Profeſſ. reg. et Ord. Vpſ. Acad. Imper. N. C. nec non R. R. Acad. Stockh. et Vpſal. Socio. Holmiae, impenſis Carol. Abr. Aſkergren, 1768. 8. alph. 1. pl. 5½. fig. aen. 1.

Praemiſſo prooemio, quod de metallurgia in genere et metallurgo agit, in duabus ſectionibus elementa metallurgiae tradit Cl. Auctor et in priore quidem de montibus et habitaculis metallorum, de modo mineras inueſtigandi, atque de metallurgia mathematica et mechanica agit, in poſteriore autem metallurgiam chemicam conſiderat, hancque rurſus in quatuor partes diuidit. In prima nimirum metallorum et ſemimetallorum indoles ac natura, vbi inprimis de actione ſulphuris et arſenici in metalla agitur, explicatur, ceterum eorundem ortus atque minerarum metallicarum diuerſa natura et origo conſiderantur. In ſecunda parte fundamenta eliquationis metallicae traduntur. In tertia parte indicatur, quomodo quodlibet metallum ſingulatim ſua e minera eliquandum et ad ſuam perfectionem redigendum ſit. In quarta demum parte de manufacturis metallicis ac metallorum nobilitatione pauca proferuntur.

Metallurgiam adpellat Cl. Auctor ſcientiam, quae tradit fundamenta, quibus minerae metallorum et ſemimetallorum inueſtigari, a ſuo domicilio ſeparari, in diem educi inque bonum deinde metallum vel ſemimetallum excoqui et eliquari, haecque demum p. 1.

ad

ad perfectionem ſuam redigi poſſunt. Praeter ſcientias, quae antecedere debent, eae, quae immediate ac proxime ad finem tendunt, ſunt 1) ſcientia de habitaculis metallorum et ſemimetallorum ac arte, eadem inueſtigandi; 2) metallurgia mathematica, quae duas comprehendit partes, nimirum geographiam et geometriam ſubterraneam; 3) metallurgia mechanica, quae inprimis circa operationes ſubterraneas verſatur et quinque partes comprehendit, nimirum artem, ſaxa et venas rite ac debite effringendi et effodiendi, dein architecturam, hydraulicam et aërometriam ſubterraneam, tandem artem, ſaxa et mineras extrahendi et ad ſuperficiem terrae vel montis euehendi; 4) metallurgia chemica, quae verſatur circa operationes ſupraterraneas, quae fiunt cum minera fracta et ſeparata, atque in ſuperficiem terrae vel montis eleuata. Diuiditur haec ipſa in tres partes, nimirum in metallurgiam chemicam ſtricte ſic dictam, quae verſatur circa lapidum, minerarum, metallorum ac ſemimetallorum cognitionem chemicam; deinde in metallurgiam monticularem, quae etiam fuſoria appellari poteſt, et furnos, focos ac methodum deſcribit, quibus breuiore via ac minimis impenſis ex minera data metallum vel ſemimetallum obtineri poteſt; tandem in metallurgiam artificum, quae etiam fabricatoria appellari ſolet et fundamenta ac methodum tradit, quibus metalla ac ſemimetalla ad vlteriorem perfectionem ſiue fundendo, ſiue indurando, ſiue extendendo, ſiue alia quacunque ratione in vſum reipublicae nobilitari poſſunt. 5) Metallurgia oeconomica et legalis, quae vt ex nomine patet, duplex eſt, nimirum oeconomica, quae non ſolum ad focos et furnos, ſed etiam ad ignem, ſyluas et carbones ſe extendit, atque oſtendit, quomodo expenſae connumerandae et reditus, ſeu vſusfructus cum expenſis expendendae ſint;

deinde

deinde legalis, quae iurisprudentiam metallicam ſuis cum priuilegiis et ſtatutis tradit. Inter omnes has metallurgiae partes chemicam inprimis tractandam ſibi propoſuit Cl. Auctor, de reliquis breuiter tantum diſſerit, metallurgiam tamen oeconomicam et iurisprudentiam metallurgicam ſicco pede praeterire, Ei placuit.

Accedimus cum Cl. Auctore ad ipſam tractationem, vbi primo de montibus in genere et in ſpecie de monte metallifero agit. Montes appellat Noſter illas telluris partes, quae inſigni quadam mole ſiue ſupra, ſiue infra ſuperficiem terrae exiſtunt, ac ea deprehenduntur duritie, vt non niſi per aperturas maiores vel minores aquam transmittant, quae etiam ab aqua emolliri nequeunt. Diuiduntur ab Eodem montes 1) in ſolitarios, 2) in coniunctos et concatenatos, hique cum arbore comparantur, trunco nimirum cum ſuis ramis ramulisque praedita. Alios ſporadicos montes in regionibus parum aut nihil eleuatis, plus minus concatenatos germina vocat. Oſtendit porro Cl. Auctor, montes quoad altitudinem differre, aliosque eſſe depreſſos, alios humiles, alios altos, alios demum excelſos. Aliam diſcrepantiam montium quoad vertices ac ſummitates eſſe, aliosque parum conuexam ſummitatem habere, alios acuminatos exiſtere, alios ſummitatem planam oſtendere, alios demum figuratum quaſi verticem exhibere, notat. Quoad formam externam et figuram adeo variabiles exiſtere montes, putat Noſter, vt vnum alteri aequalem reperire, miraculum eſſet. Eminentias ceterum ſeu protuberantias laterales in plerisque montibus ſaxoſis tam ad radicem, quam circa medium vel eorundem verticem reperiri, monet. Integritatem montium dum conſiderat, vix dicere audet, an mons quoad omnia integer vllibi exiſtat; cum vero alii maiora, alii minora de-

p. 13.

ſtructae integritatis exhibeant indicia, poſteriores hos integros, priores vero fiſſos, fractos vel deſtructos adpellat. Quoad indolem et materiam intrinſecam, qua conſtant montes, multum eos inter ſe differre, notat, atque alios, qui ſimpliciori lapidum genere praediti ſunt, ſimplices vocat; alii compoſiti nominantur, qui nimirum ex duobus aut tribus lapidum generibus compoſiti ſunt et communiter ſaxa appellantur. Alios aggregatos montes nominat, qui nimirum a maioribus vel minoribus fruſtulis et ſegmentis lapideis vel ſaxoſis olim ſunt accumulati et poſtmodum conglutinati, vel in ſeparatis fruſtulis nullibi adhuc exiſtentes. Alios denique montes, qui a peregrinis corporibus originem ſuam ducunt, et petrificata hinc illinc inſperſa ac immixta habent, vel peregrinis his corporibus aut peregrina materia integre coaliti exiſtunt, peregrinos vocat.

Quod ad ſtructuram intrinſecam attinet, alios ex ſaxo aut lapide abſque mutatione ad inſignem et indeterminatam profunditatem conſtare, atque in his venas metallicas aliasque reperiri, montesque venoſos, germanice *Ganggebürge*, vocari, perhibet. Alios ex ſtratis conſtare vel vno eodemque vel diuerſo lapidum genere, alibi craſſioribus ad plurium perticarum craſſitiem, alibi tenuioribus, craſſitie digiti vnius vel minore, diuerſae inclinationis et declinationis, vel horizontalia, vel perpendicularia, vel obliqua, vel arcuata, plus minus fluctuantia et flexa eſſe et montes ſtratoſos, germanice *Flötzgebürge*, vocari, notat. Tandem quoad maiorem vel minorem particularum duritiem ac connexionem lapides et montes vel molliores vel duriores deprehendi, monet. Ex his obſeruationibus colligit Cl. Auctor, non omnes montes eandem agnoſcere originem, neque idem indurationis tempus, aliosque ad primum creationis tempus referendos et primige-

nios

nios appellandos eſſe; alios, in diluuio vniuerſali ortos, diluuianos, aliosque demum, forſan a terrae motibus aut igne ſubterraneo ortum ducentes, temporarios vocat. Omnes tamen montes ea forma ac facie tam externa, quam interna, qua primum fuerint creati et producti, non exiſtere, ſed primigenios tum in initio creationis, tum etiam a diluuio vniuerſali, diluuianos vero et temporarios montes vel ab ipſa formatione vel a ſubſequente induratione et exſiccatione mutationes ſuſtinuiſſe, autumat. Mutationem primaeuam a fluida materia, a qua totum globum terraqueum productum eſſe putat, deinde a ſubſequente exſiccatione et induratione ſucceſſiua, nec non partium ſeparatarum ad ſe inuicem attractione et compreſſione a grauiore mole incumbente deducit. Mutationem deinde diluuianam a diluuio vniuerſali et quidem non tam ab ipſa aqua, quam potius a violento et maximo motu, in interioribus terrae tunc exiſtente, dependere, aſſerit. Diluuianorum vero et temporariorum generationem et formationem non adeo facile oſtendi poſſe, putat; videntur interim Eidem triplici modo produci potuiſſe, nimirum a congeſtione et accumulatione, deinde a praecipitatione ac ſubſidentia particularum terreſtrium, quieſcentibus aquis; tandem a ſucceſſiua quadam inundatione materiae fluidae conglutinantis, ad materiam lapidificationi idoneam.

His de montibus in genere praemiſſis, montes vel metalliferos vel ſteriles eſſe, oſtendit, hancque montium diuerſitatem non a caſu quodam fortuito deducendam, ſed vel in ipſa origine montium diuerſa, vel in diſcrepante eorum natura, vel in ſitu, poſitione, directione ac extenſione montium, vel denique in alia cauſſa, ſiue extrinſeca, ſiue intrinſeca, minerarum generationem vel efficiente vel impediente quaerendam eſſe, putat. His demonſtratis et praemiſſis, colligit Cl. Auctor, metalliferos montes pro- p. 36.

babiliter eſſe 1) primaeuos vel diluuianos fiſſiles; 2) eosdem ſimplici vel compoſito lapidum genere conſtare; 3) molliore textura et compoſitione, vel ſi duriores fuerint, tum ſimul aut fiſſiles, aut fragiles exiſtere; 4) in regione montoſa et potius in ramis, ramulis vel germine, quam in trunco repoſitos eſſe; 5) humiliores apparere, qui leuiter lata baſi aſcendant et deſcendant; 6) directionem ab euro ad caurum; 7) eandemque aequabili cum extenſione obſeruare; 8) demum in ſuperficie non fracturis et hiatibus, ſed fiſſuris ac rimis ordinatis, vacuis vel conglutinatis praeditos eſſe; ſteriles vero montes contrario ſe plerumque modo habere.

p. 48. De modo, mineras metallicas inueſtigandi, Noſter agens, primo ad varia ac diuerſa phaenomena, quae circa metalliferos montes occurrere ſolent et a vaporibus ſulphureis vel metallicis dependent; deinde ad indolem terrae, montem obtegentis, vel in vicinia exiſtentis; tum ad aquas et earum indolem; porro ad fragmenta diſperſa; tandem ad externam montium metalliferorum peculiarem faciem et indolem attendit, ſimulque acus quoque magneticae et virgulae diuinatoriae mentionem facit.

p. 64. Venas metallicas dum conſiderat Noſter, metalla ac mineras metallorum reperiri dicit, vel extra ſua domicilia, vel in ſuis domiciliis ac loco natali. Extra ſua domicilia, vt oſtenditur, reperiuntur minerae et metalla 1) ſub aquis in fundo et ad litora lacuum, paludum, fluuiorum et fontium; 2) in ſuperficie telluris, vel in forma terreſtri, vel in forma arenacea, vel in forma lapidea. In domiciliis metalla ac minerae occurrunt, quae in montibus reperiuntur et vel integrum conſtituunt montem, vel certis in locis ac tractibus in montium viſceribus incluſa ſunt, vel denique in ſuperficie montium ſub forma renum et glandularum obuia ſunt. Integri montis, mineram metallicam conſtituentis, rariora exem-

pla

pla eſſe, dicit Cl. Auctor, reperiri tamen, vt conſtet a monte Taberg in Smolandia, qui mineram martialem conſtituit, nec non a montibus Kerunavara ſeu monte Fridericiano et Luoſauara ſeu Vlricae Eleonorae in Lapponia Torneåenſi ſitis, qui nuda minera ferrea conſtant. An huiusmodi integri montes metalliferi etiam aliis in locis reperiantur, Noſtro adhuc ignotum eſt. Mineras, quae certis in locis montium incluſae ſunt, pro diuerſa indole loci reperiri perhibet Cl. Auctor 1) in venis extenſis; 2) in venis cumulatis, germanice *Stockwerk;* 3) in glandulis et renibus, qui etiam in ſuperficie montium reperiri dicuntur; 4) in ſtratis, germ. *Floetzwerk;* 5) extra domicilia in fragmentis accumulatis, germ. *Geſchiebe.* Locis igitur, vbi minerae metallicae reperiuntur, indicatis, oſtendit Cl. Auctor, venas metallicas in initio fuiſſe molliores ac molliori in ſaxo et lapide productas, immo aſſerit, duriſſimos quoque lapides olim liquida materia fuiſſe concretos; ex analogia demum, in reliquis naturae regnis obuia, concludit, totum geocoſmum primitus ab aqua fuiſſe productum, hocque ſacras quoque indicare litteras. Ab aqua vero terreſtrem materiam fuiſſe productam et ab hac montes atque lapides, ac tandem in montibus venas ac mineras metallorum generatas, veriſimile Noſtro videtur et haec cuncta intra tres primos creationis dies conſummata.

Tandem de modo, mineras a monte ſeparandi p. 96.
et eruendi, de fodinis, puteis, cuniculis, hydraulica et aerometria ſubterranea agit Cl. Auctor, resque ſcitu neceſſarias breuiter quidem, ſed concinne explicat, de quibus autem vix quidquam decerpere licet.

Progredimur ad ſectionem poſteriorem, vbi me- p. 117.
tallurgiam chemicam Cl. Auctor tradit, primoque de metallorum ac ſemimetallorum natura ac origine agit. Hic eas ſolum colligit Noſter proprietates, quibus eorum indoles in igne pateſcit; vnde de eorun-

dem eliquatione et tractatione in igne iudicare poſſimus. Itaque breuiter de calcinationibus, vitrificationibus, reductionibus et compoſitionibus metallorum et ſemimetallorum agit. Quod ad horum illorumue naturam attinet, duo tantum principia agnoſcit, terram nimirum determinatam et ſubſtantiam inflammabilem. Sic in ferro terram argillaceam ab acido vitriolico vel potius ab electrica materia, in eadem fixata, in terram martis mutatam, in cupro terram vitreſcibilem, a ſubtili principio ſulphureo penetratam et mutatam, in ſtanno et zinco terram calcaream, principio quodam inflammabili penetratam et mutatam eſſe, oſtendit. Plumbum ab alcalino quodam principio, ſalino vel terreſtri, a materia inflammabili penetrato et mutato, ac quoad partem volatiliſato, originem ducere, aſſerit. Mercurium, argentum, aurum et biſmuthum, quam maxime cum plumbo analoga et homogenea, eadem quoque agnoſcere principia, exiſtimat, eorum vero differentiam tam in horum principiorum minori aut maiori attenuatione, quam in eorum diuerſa proportione nec non fortiori ac debiliori nexu conſiſtere, Ipſi probabile eſt. In auro terreſtre illud ita attenuatum Noſtro videtur, vt, qua terreſtre, vlterius non appareat vel inueniatur, vnde non poſſint non partes arctius combinari. Principium in auro tingens, idem inflammabile, quod in cupro vel ſtanno repeRiatur, eſſe autumat. Arſenicum cum mercurio aliquam affinitatem alere, eſſeque productum a concentrato acido eodemque ſalis, ſeu a concentrata inflammabili materia, in acido ſalis exiſtente, aſſerit. Cobaltum demum et niccolum quam proxime convenire, hisque ſemimetallis non calcaream, ſed potius vitreſcibilem ineſſe terram, hancque principio quodam ſulphureo vel inflammabili, quod nondum determinari poſſit, eſſe vnitam, penetratam et in metallicam indolem redactam, notat.

Mine-

Minerarum metallicarum indolem, naturam et p. 151. originem conſideranti Noſtro placuit, eas in tres claſſes diuidere: 1) in mineras, quae nudum et natiuum continent metallum, diuerſa forma et figura; 2) in mineras, quae calcinatum continent metallum aut magis terreſtre; 3) in mineras, quae ſolutum continent metallum, in quibus metalla, ſulphure vel arſenico vel aliis ſulphuratis metallis aut ſemimetallis ſoluta et mineraliſata, exiſtunt. Notat porro Cl. Auctor, in aliis non niſi vnicum dari metallum, hasque vocat mineras ſimplices, in aliis vero et quidem plerisque duo et ſaepe plura ſimul commixta reperiri metalla, hasque compoſitas nominat. Tandem oſtendit, mineras metallicas, ſiue calcinatum ſiue ſolutum contineant metallum, et, ſiue ſimplices ſiue compoſitae fuerint, plerumque in non metallica quadam terra vel lapide immixto exiſtere, quae matrix appellatur, quam non vt conſtituens, ſed vt domicilium minerae conſiderat. Ex his colligit, mineram definiri poſſe, *quod ſit mixtio metallica, quae vel calcinatum, vel ſolutum continet metallum, ſaepius combinatum cum ſulphure vel arſenico, vel his vtrisque, nec non aliis interdum cum metallis, in matrice terreſtri aut lapidea.*

Ad ſulphuris actionem et mutationem in metalla p. 155. ac ſemimetalla plane cognoſcendam varia inſtituit experimenta, ex quibus concludit: 1) ſulphur omnia metalla ſoluere, auro, platina et zinco exceptis; 2) idem non ſoluere cineres et crocos metallorum, exceptis calcibus plumbi, niccoli et biſmuthi; 3) omnia metalla non aequalem ſuſcipere ſulphuris copiam, e. g. argentum, plumbum, mercurium et biſmuthum vix vltra ſeptimam partem ſulphuris retinere; cuprum fere quartam partem; ferrum octauam partem; regulum antimonii fere dimidiam; ſtannum dimidiam fere ſui ponderis quantitatem ſulphuris ſuſcipe-

re, ſed nihil retinere; 4) toſtione ſeu vſtulatione debita, quae, vaſe non clauſo, fieri poſſit, ſed aperto, metallis adhaerens ſulphur ſeparari poſſe inprimis ab argento, plumbo, ſtanno, biſmutho; difficulter a regulo antimonii, difficillime nec vnquam complete a cupro et ferro.

p. 170. Ex inſtitutis experimentis cum arſenico colligit Cl. Auctor: 1) omnia metalla colorem ab arſenico admixto perdere; alia fieri alba, vt cuprum et ferrum; alia griſeo colore, vt argentum, aurum et zincum, ſtannum vero colore exaltari; 2) omnia metalla, arſenico mixta, malleabilitatem perdere et fieri fragiliora ac duriora, platina forſan excepta; 3) arſenicum pleraque metalla volatiliſare, ſimul vero vitrificare plumbum, vnice calcinare ſtannum.

p. 175. Mineris metallicis analytice examinatis, experimenta communicat Cl. Auctor, per quae, mineras ſynthetice componi poſſe, oſtendit; atque ex hac minerarum metallicarum, tam per analyſin, quam ſyntheſin euoluta theoria colligit, 1) in omni minera metallica, quae ſolutum continet metallum, non plures partes conſtitutiuas conſiderari poſſe vel debere, quam metallum ipſum ſeu metalli principia conſtitutiua, ac ſulphur et arſenicum; 2) eorum hinc corruere opinionem, qui plurimis in mineris, ſi non in omnibus, ſolum ſeminia metallorum ineſſe, contendant; 3) eorum quoque opinionem falſam eſſe, qui exiſtiment, non metalla, ſed terram metallicam mineris ſolum ineſſe; 4) ſimiliter et eos a via deflectere, qui in mineris terram quandam non metallicam, eandemque vt mineram conſtituens, conſiderent; 5) plura non dari mineraliſantia media nota, quam ſulphur et arſenicum et metalla ſulphurata aut arſenicata. Cum porro nulla mineraliſatio arte fieri poſſit, niſi in fluiditatis ſtatum redigantur metalla, ita quoque exiſtimat Noſter, vix vllam dari poſſe

poſſe mineraliſationem naturalem, niſi in fluiditatis ſtatu fuerint metalla conſtituta; vtque media mineraliſationis nominata, ſulphur et arſenicum metallicam mollem et fluidam penetrare poſſent materiam, neceſſe eſſe, putat Noſter, vt etiam illa in ſtatu vel fluido vel vaporoſo mineraliſationis iſtud opus perficiant. Exinde autem concludit, mineraliſationes factas eſſe a ſulphure et arſenico in forma vaporoſa, in locis ſubterraneis, in quibus metalla vel metallica principia, in ſtatu fluiditatis conſtituta, ab iisdem penetrata, hosque ſulphureos et arſenicales vapores viciſſim a metallis et ſemimetallis fixatos, vnde totum mixtum in ſolidum corpus ſeu in mineram mutatum fuerit. Tandem oſtendit, hodierno quoque die mineras generari poſſe, minerasque hodiernas et temporarias originem debere, tum deſtructis mineris, quarum particulae, per deſtructionem volatiles factae, alii ſe affigentes loco nouam mineram conſtituant, tum etiam principiis minerarum metallicarum remotis, generari poſſe.

In parte ſecunda eliquationis metallicae funda- p. 189.
menta tradit Noſter, variasque operationes, arte inſtituendas, conſiderat, atque ideo de ſeparatione minerarum, de expoſitione earum ſubdiali, earumque fatiſcentia, de contuſione, trituratione et lotura minerarum, de toſtionibus earum, de fluoribus ſeu adminiculis calcinatoriis et fuſoriis tandem de fuſionibus agit. Ex his tantum notamus, No- p. 218.
ſtrum magis proficuum aeſtimare, toſtiones ligno, quam carbonibus inſtituere. Quod ad additamenta ſub vſtulationibus minerarum, a nonnullis laudata, attinet, ea, quae fuſionem minerarum ſub toſtione impedirent, non ſolum vt inutilia, ſed etiam vt noxia a Cl. Auctore conſiderantur; additamenta figentia, inprimis calcarea ſeu alcalina, ſub toſtione cum mineris miſcenda itidem non laudat, eaque noxia ma-

gis, quam proficua exiſtimat, atque ſulphur et arſe-
p. 222. nicum figere potius, quam expellere, oſtendit. Aquas vero et lixiuia ſeparatoria, quibus heterogenea plurima a mineris ſeparari poſſint, vſu ſuo, vbi requirantur, non carere, autumat. Recte autem monet, talia lixiuia eligenda eſſe, quae vim ſoluendi in materiam ſoluendam exercere poſſint. Sic lixiuia alcalina ſulphur, aquas ſalia, aquas aluminoſas bitumina ſoluere perhibet. Mineras poſthac ab his mediis adhaerentibus lotione purificandas eſſe, innuit.

p. 223. Inter fluores ſeu adminicula calcinatoria et fuſoria calcem et lapides calcareos referri, conſtat; ſed calcem terrasque calcareas, nec in vſtulationibus, nec in fuſionibus ſulphur ſeparare, ſed potius figere et plus damni, quam vtilitatis praebere, Noſter aſſerit. Mineras vero ſpatho, pyromacho vel petroſilici immixtas, ad fuſionem facilius redigi poſſe, addita calce vel calcareis lapidibus et vbicunque ab iisdem hepar calcis generari poſſit, ibi ad fuſionem redigi in igne lapides refractarios, talcoſos, ſteatiticos, micaceos aliosque illiquabiles, addita calce, fluxiles reddi, notat. Spathum vitreum ad plurium minerarum et matricum faciliorem fuſionem, inprimis, vbi calcareum quid in mineris fundendis ſimul admixtum fuerit, vtile eſſe, putat. Quarzum, vt fuſionem ſubleuans non conſiderat, in mixtura tamen cum calce et calcareis lapidibus quarzum fundi, ſed hanc fuſionem facilitari et optime perfici, additis ſimul ſcoriis fuſibilibus, monet; et quarzum eatenus ad fuſiones minerarum cuprearum nonnullis in locis adhiberi, quatenus maiorem calorem, conſequenter etiam tenuitatem ſcoriis conciliet, perhibet. Ad lapides, per ſe in igne fluentes, refert quidem fiſſiles ac corneos omnes, eos tamen non eam ab rationem adhiberi putat, vt fuſionem promoueant, cum craſſas praebeant ſcorias, ſed vt mineras nimis flu-

xiles

xiles paulisper tardiores in fluore reddant, vt eo melius ſeparetur et praecipitetur ſubſtantia metallica. Inter praecipuos vero fluores, quibus vtuntur monticolae, merito Noſter commemorat ſcorias, cum ob indolem vitream aequalem praeſtent in fuſionibus vſum. Vix tamen alias in fuſionibus adhibendas eſſe ſcorias, quam quae de metallo eliquando participent et in eiusdem generis metalli eliquatione generatae ſint, autumat, ideoque cupreas ſcorias cupreis mineris, plumbeas plumbeis et ſic porro addendas eſſe, ſuadet. Inter potentiſſimos demum fluores pyriten ob multiplicem vtilitatem connumerandum eſſe, et potiſſimum ad metalla ſulphurata producenda inſeruire et hanc ob cauſam, vbi in minera non reperiatur naturaliter admixtus, addi, perhibet.

In vltimo huius partis capite de fuſionibus agit Cl. Auctor, et ad tria momenta attendit, nimirum 1) ad ipſam mineram, ſeu id, quod fundendum eſt; 2) ad media et inſtrumenta, quibus fuſio peragenda eſt, quaeque reſpectu finis variare debent; 3) ad ipſum fuſionis modum, vt ſine damno omnis fuſio perficiatur. Ad mineram quod attinet, conſiderandum hic eſſe, monet Noſter, vtrum pauperior vel ditior, an facilioris vel difficilioris fluxus ſit. Media, in fuſionibus adhibenda, quatuor enumerantur: 1) ipſa fuſio, quae duplici fieri ſolet modo, ſcilicet vel fuſione ſimplici minerae, vel metalli quaeſiti incorporatione aliis cum metallis; 2) calcinati metalli reductio; 3) reducti metalli praecipitatio; 4) praecipitati metalli conſeruatio. Ipſam demum fuſionem dum conſiderat, 1) ad furnos ac eorum inprimis ſtructuram et folles; 2) ad fuſores eorumque officium attendit. p. 238.

In tertia parte de modo, quodlibet metallum e minera ſua ſingulatim excoquendi et ad ſuam perfe- p. 265.

ctionem redigendi et primo de ferri excoctione, praeparatione et malleatione agitur. Minerae martiales, reſpectu fuſionum, a Noſtro in aridas et fuſibiles diſtinguuntur. Aridae dicuntur, quae per ſe in igne minus tenuiter et perfecte fluunt, haeque duplices ſunt; aliae nimirum attractoriae, hoc eſt, quae a magnete trahuntur, ſeu metallicae vocantur, cum ſincerum et purum contineant ferrum vel magis nudum, vel ſaxoſis particulis involutum, a quibus mineris ferrum malleatum ductile obtinetur; aliae nominantur minerae haematiticae et terreſtres, quae potius ex terra martiali, quam metallo puro conſtant, haeque maximam ſub fuſionibus requirunt carbonum copiam et ferrum praebent minori ductilitate et tenacitate praeditum. Minerae fuſibiles vocantur, quae ſine additamento fuſionem ſubire poſſunt et cum aridis mineris commixtae easdem ſecum in fluorem redigunt. Duplices eaedem ſunt; aliae praebent ferrum calidum fragile, hoc eſt, quod, dum calore ignis rubet, ſub malleo facile frangitur, frigidum vero malleabilitate et tenacitate maiore praeditum eſt. Prouenit eiusmodi ferrum a minera pyritacea; hinc productum ferrum ſulphuris et acidi ſulphurei particeps fit. Aliae praebent ferrum frigidum fragile, hoc eſt, quod calore ignis rubens eſt malleabile et bene cohaerens, fragile vero et in partes diſſiliens, cum frigidum fuerit. Obtinetur tale a mineris, in quibus deficit principium inflammabile naturale, ſcilicet haematiticis, lacuſtribus, paludoſis aliisque. Ratione toſtionis minerae martiales a Noſtro in tres ſpecies diuiduntur; 1) in mineras martiales non vſtulandas, quales ſunt minerae paluſtres et ſubaquoſae, quae ferrum dent frigidum fragile; 2) in mineras ferri parum vſtulandas, quae nec fortem, nec diuturnum requirunt ignem, quales ſunt pleraeque minerae aridae metallicae ſeu

attra-

attractoriae; 3) in mineras ferri fortiter vſtulandas omni cum diligentia et ſollicitudine, quales ſunt pyritaceae et arſenicales. His expoſitis, oſtendit Cl. Auctor, quid ratione vſtulationis et fuſionis obſervandum ſit, ideoque regulas neceſſarias tradit ac furnos tam vſtulatorios, quam fuſorios accurate deſcribit. Ferrum debite fuſum, e foco extractum, et crudum adhuc ad officinas ferrarias translatum renouatam, vt oſtendit Noſter, ſubit fuſionem et debitam ſub malleo extenſionem, et quidem triplicem ob cauſſam; 1) vt heterogenea, quae ferro crudo immixta eſſe ſolent, melius ſeparentur; 2) vt ferro debita ductilitas concilietur; 3) vt ferrum commodo vſui magis inſeruiat, faciliusque tranſportari poſſit. Monet autem Cl. Auctor, in renouanda fuſione et malleatione probe cauendum eſſe, ne ferrum comburatur, neque idem ſubitaneo frigore durum et minus malleabile fiat, quapropter varias regulas tradit, quae circa malleationes ferri crudi obſeruandae ſunt. Cum autem ferrum, renouata fuſione in foco vel fortiori igne et breuiori tempore, vel mitiori igne et longiori tempore purificari poſſit, hincque foci magis vel minus profundi aequali cum effectu conſtrui queant, diuerſos inde promanare modos, quibus ferrum malleatum in officinis ferrariis producatur diuerſum, perhibet. Sex itaque modi, qui in Suecia in vſu ſunt, a Noſtro deſcribuntur et nominantur 1) malleatio gallica; 2) malleatio germanica; 3) malleatio ſemigermanica; 4) malleatio ruſtica; 5) malleatio ferri Oſmund; 6) malleatio curſoria. Expoſitis differentiis, quae inter germanicam et gallicam obſeruantur, concludit Cl. Auctor, in malleatione germanica bonum obtineri ferrum mitiori igne, foco profundiori, ſed tempore longiori, tamen absque diſpendio carbonum vel ferri, ſed potius carbones ſuperſtites relinqui et maio-

moiorem ferri copiam praeſtari, quam ordinationes requirant; in malleatione gallica bonum etiam obtineri ferrum fortiori igne, foco minus profundo tempore breuiori, ſed vix ſine diſpendio vel carbonum vel ferri vel vtriusque. Semigermanicam malleationem a nonnullis circumſtantiis, in malleatione gallica et germanica obuiis, compoſitam, quaſi medium quoddam inter easdem conſtituere, ruſticam autem malleationem ob id, quod a monticulis ruſticis vſurpetur, ita nominatam non niſi impurum ferrum, tandem malleationem ferri Oſmund, cum in minoribus fruſtulis purificatio haec inſtituatur, cum malleatione gallica conuenire, Noſter perhibet, quas vt praecipuas conſiderat, ideoque plures alias varietates praeterire, Ipſi placuit. Tandem oſtendit Cl. Auctor, perfectionem et bonitatem ferri cognoſci, 1) ſi ferrum aequabile et ſine fiſſuris, fractumque griſeo nitente colore praeditum et filamentoſum ſit; 2) ſi duritiem proportionatam habeat, quae partim per ſonum parum obtuſum, partim per repercuſſionem et veſtigium ab ictu mallei percutientis relictum manifeſtatur; 3) ſi ductile ſit, hoc eſt, ſi in varias formas et figuras extendi poſſit absque omni fracturae metu; 4) ſi in fila tenuiſſima trahi et extendi ſe ſpatiatur, ideoque tenax ſit; 5) ſi demum tum in percuſſione, tum in flexura elaſticum appareat.

p. 299. Mineras cupri, ratione mixtionis, in tres ſpecies diuidit Noſter; 1) in mineras cupri puras, quae nihil ſulphuris, parum vero heterogenei vna cum cupro continent; ad quas refert cuprum natiuum et praecipitatum, ochras cupri coeruleas et virides; 2) in mineras cupri ſulphuratas, minus vel non martiales, quales praebent minera cupri griſea, minera cupri carbonaria; 3) in mineras cupri pyriticoſas, quae vna cum cupro ſulphur et ferrum continent,

nent, maiori vel minori proportione. Has maximam minerarum cupri partem conſtituere, maximamque difficultatem efficere, docet Noſter, ad quas etiam mineras cupri arſenicales, in quibus cuprum, pyrite albo mineraliſatum, exiſtit, refert. Caeterum in his nominatis cupri mineris etiam alia immixta metalla, e. g. zincum, plumbum, argentum, aurum et plura reperiri, notat. Modos cuprum praeparandi in duos principaliores diuidit, nimirum in eum, qui per extractionem aquoſam, atque in eum, qui per fuſionem fit. Via humida quidem per omne fere liquidum cuprum e minera ſua ſeparari poteſt, ſed hic tantum de ea extractione humida agit Noſter, quae maiori in quantitate per aquam inſtituitur. Huic tamen negotio non puram et ſimplicem aquam, niſi minera prius vitriolificata fuerit, ſufficere, ſed aquam ſpiritu ſulphureo ſeu vitriolico impraegnatam requiri, hacque ratione naturaliter cuprum e mineris ſuis in fodinis plurimis, et artificialiter e mineris, huic negotio idoneis, in lucem protractis extrahi poſſe, monet et vtrumque modum breuiter deſcribit. Via ſicca eliquari cuprum e minera ſua per fuſiones, praemiſſis, vbi requiratur, toſtionibus, et pro diuerſitate minerarum in iſtis operationibus magnam dari diuerſitatem, oſtendit. Itaque ratione vſtulationis et fuſionis mineras cupreas in tres ſpecies diuidit; 1) in mineras cupri ſimplices, quae rudes ſine vſtulatione fundi poſſunt et fuſione cuprum rude praebent, quales ſunt minerae cupri purae et plurimae minerae cupri ſulphuratae; 2) in mineras vſtulatorias, hoc eſt, quae minori quantitate ſulphuris et ferri conſtant et ad chalybem parum aut non ſcintillant, quales ſunt plurimae lazureae, minerae cupri flauae et flauo virides chalybeae; 3) in mineras fuſorias pro lapide metallico, hoc eſt, quae ex maiori pyri-

tis

tis copia, minori vero quantitate cupri conſtant, ideoque ad chalybem ſcintillant, quales ſunt pleraeque minerae cupri pyritaceae pauperiores. Vt autem viam ſibi pandat Cl. Auctor ad ſufficientem cognitionem operationum metallurgicarum pro obtinendo cupro e minera ſua via ſicca, varia experimenta, cum cupro inſtituta, addidit, per quae oſtendit, ſulphur a cupro, mediante ferro, ſeparari, hocque vt additamentum et praecipitans aliquando in fuſionibus minerae cupri adhiberi poſſe. Licet autem non negandum ſit, cuprum et ferrum naturaliter cum ſulphure in omnibus mineris cupri pyritaceis exiſtere, et arte coniunctim a ſulphure ſolui, ſub iteratis tamen fuſionibus, leni ſolum interiecta vſtulatione tam ferrum, quam ſulphur maximam partem deſtrui, per experimenta euincit. Tandem quoque oſtendit, magis proficua videri ad fuſiones minerae cupri additamenta, quae vitreae indolis ſint, vel ad vitrificationem deduci poſſint, vt eo melius ſcorificetur ferrum, quam calcarea, quibus fuſio ferri facilitatur et ferrum praecipitatur. His praemiſſis, ad ipſas operationes metallurgicas circa eliquationem cupri accedit Noſter, vbi oſtendit, triplici via cuprum e mineris ſuis obtineri; 1) e mineris non vſtulandis, ſola ſimplici fuſione; 2) e mineris vſtulandis, vſtulatione et fuſione, vel loco vſtulationis, ſaepius iterata fuſione, leui ſolum interiecta vſtulatione, vel addito ferro ſola fuſione; 3) e mineris pyritaceis vſtulatione frigida, fuſione in lapidem ſulphureo-metallicum, vſtulationibus verſabundis et fuſione in cuprum rude. Ex his id tantum notamus, quid Cl. Auctor ſub vſtulatione frigida et vſtulationibus verſabundis intelligat. Vſtulatio frigida eſt, quae perficitur in foueis aut furnis, ſimpliciore compoſitione, tribus vel quatuor lateribus ſaxoſis, diuerſimode ratione magnitudinis et ſtructurae in aperto aere

non-

nonnullibi ſub tecto exſtructis. In his vſtulatio haec ita inſtituitur, vt ſupra ligna ad dimidiae vlnae altitudinem, plus minus in furno impoſita, interdum cum carbonibus mixta, accumuletur minera, in fragmenta minora diuiſa, eademque deinde contegatur minoribus minerae fruſtulis, cum terra mixtis, vt ab iniuriis et libero influxu aeris ignis defendatur. In hac vſtulatione, ligno accenſo, ſulphur in minera praeſens accenditur et minera maximam partem proprio igne, a ſulphure pendente, calcinatur. Vſtulationes verſabundae vocantur, ſi minerae cupri rudes, ſed ditiores, atque lapides ſulphureo metallici, quae in furnis, plerumque plurimis collateralibus, ſaxoſis fragmentis exſtructis, alibi ſub tecto, alibi in libero aere cum ligno, vel carbonibus vel vtrisque vſtulantur, ab vno furno in alterum ſucceſſiue tranſportantur, vbi ita inuertuntur, vt, quae ſuperiorem locum in vno furno habuerunt, inferiorem in altero habeant.

Mineras plumbi diuidit Noſter in ſimplices et p. 333. compoſitas. Ad priores referuntur eae, quae ex plumbo et ſulphure conſtant, abſque conſpicua vel attentione digna miſcela aliorum metallorum et ſemimetallorum, quales ſunt galena pura, plumbum ſpataceum, ochra plumbi etc.; poſterioribus adnumerantur, e quibus non ſolum plumbum, ſed etiam argentum vel cuprum vel vtraque haec metalla obtineri poſſunt. Itaque eliquatio plumbi diuerſa eſt; ſed hic tantum de modo, eliquandi plumbum, e minera ſimplici agitur. Minerae plumbi ſimplices diuiduntur 1) in mineras ſolidas, quae adhaerente ſaxo vel lapide carent; 2) in mineras lauandas, quae multo lapide ſunt refertae vel lapidibus immixtae exiſtunt. Ex inſtitutis experimentis concludit Cl. Auctor, 1) ſulphur, in mineris plumbi exiſtens, minima ad hoc metallum attractione prae-

ditum eſſe et ſola deflagratione ſeparari poſſe; 2) ipſum plumbum facile in igne fuſibile exiſtere, immo facilius et citius a minera, ſaltem ad partem effluere, quam ea ipſa fundi poſſit; 3) plumbum a ſulphure deflagrante vel auolante non calcinari; 4) cum autem non omne plumbum a minera ſua ſine fuſione obtineri poſſit, nec omnis minera eiuſdem indolis ſit, neceſſario fuſioni ſubiiciendas eſſe mineras plumbi, vt omne inhaerens plumbum obtineatur; cumque ſulphure praeſente, fuſione inſtituta, non niſi plumbum ſulphuratum praecipitetur, pro ſeparando itaque vel diſſipando ſulphure mineras plumbi vel ante fuſionem vſtulandas, vel cum tali additamento, quod ſulphur attrahat et a plumbo ſeparet, rudes fundendas eſſe; 5) mineras vero plumbi, quae pyritaceum quid contineant, cum ob martiale principium ſulphur fortius retineant, ante fuſionem fortius vſtulandas eſſe, praecipit. Ex his vlterius colligit, plumbum a ſua minera ſeparari poſſe, 1) vſtulatione ſola abſque fuſione minerae inſtituta; 2) ſola fuſione, ſine praemiſſa vſtulatione cum additamento, ſulphur ſeparante; 3) vſtulatione et fuſione vel in diuerſis furnis vel in vno eodemque furno regimine ignis diuerſo inſtituendis.

p. 338. Mineras ſtanni itidem in ſimplices et compoſitas diuidit Noſter. Priores ſunt, quae ex minera ſtanni ſola conſtant, in matrice ſua lapidea vel ſaxoſa immixta, aut plus minus admixta. Poſteriores ſunt, quae cum pyritaceis vel arſenicalibus vel etiam ferri, cupri, interdum quoque cobalti aut biſmuthi mineris commixtae ſunt. Ex inſtitutis experimentis colligit Cl. Auctor: 1) ſtannum inter metalla pondere eſſe leuiſſimum, in igne facillime fluere, ſimul et facillime calcinari, ſaepius calcinatum et reductum malleabilitatem perdere, atque ab igne, diutius protracto, deſtrui, nec reduci poſſe; 2) plerum-

rumque, ſi non ſemper, cum arſenico mineraliſatum exiſtere, a quo in igne calcinetur et ab eodem, in maiore proportione admixto, fragile reddatur; 3) a ſulphure etiam fragile fieri; 4) ab omni metallo et ſemimetallo, pro diuerſa proportione admixto, plus minus durum et fragile reddi. Ex his demum colligit, 1) fuſiones minerae ſtanni ita inſtituendas eſſe, vt ipſum metallum reductum et eliquatum in igne vlterius non calcinetur; 2) a mineris ſtanni omnia ante fuſionem ſeparanda, quae vel eandem retardant, vel non niſi ſcorias praebent, vel ſtannum impurum et fragile reddunt. His praemiſſis, oſtendit, quaenam minerae contundendae et lavandae vel vſtulandae ſint, et quo demum modo fuſio inſtitui debeat.

Argenti mineras reſpectu mixtionis et conſe- p. 345. quenter argenti excoctionis in quatuor ſpecies diuidit Noſter; 1) in puras, quae magis ſimplices ſunt, et argento plerumque abundant, vt argentum natiuum, minera argenti vitrea, minera argenti rubra et alba etc.; 2) in galenicas, quae magis compoſitae argentum, plumbo mixtum, ſeu argentum, plumbo ſulphurato mineraliſatum, continent, vt in plerisque galenae varietatibus plus minus eſſe ſolet; 3) in pyritaceas, quae minorem argenti quantitatem, pyriti vel minerae martiali immixtam, parum vero vel nihil plumbi aut galenae continent; 4) in cupreas, quae non ſolum argentum, galena mineraliſatum aut alia ratione immixtum, ſed etiam cuprum, pyrite aut ſulphure mineraliſatum, continent, quas Cl. Auctor mineras decompoſitas vocat. Cum argentum nunquam in mineris ea in copia reperiatur, vt per ſe abſque deperditione magnae partis excoqui vel ſeparari poſſit, tales ſubſtantias ad granula argenti, in minera diſperſa accurate colligenda, addendas eſſe, monet Noſter, in quibus particulae argenti

ſolui et incorporari poſſunt. Id optime per mercurium et plumbum fieri, ideoque amalgamationem cum mineris, vbi argentum purum natiuum reperitur, inſtituendam, ex reliquis autem via ſicca argentum excoquendum eſſe, innuit. Via ſicca, vt oſtendit Noſter, excoquitur argentum pro diuerſitate minerarum diuerſimode; 1) purae nec non galenicae minerae duplici opus habent fuſione, altera quidem incorporatoria argenti cum plumbo; altera ſeparatoria vtriuſque huius metalli; 2) pyritaceae pauperiores minerae, quae contundi et lauari non poſſunt, triplici et interdum quadruplici fuſione opus habent; primo: depuratoria in lapidem ſulphureo-metallicum pro ſeparatione lapideae et ſaxoſae materiae adhaerentis, nec non ferri; deinde fuſione incorporatoria, in qua argentum, in lapide ſulphureo-metallico diſperſum colligitur in plumbo addito; tandem fuſione ſeparatoria argenti a plumbo: 3) minerae cupreae, quae ſimul argentum continent, in ſequenti capite pertractantur. De fuſionibus minerae galenicae notat, eas duplici modo inſtitui poſſe, 1) ſine praemiſſa vſtulatione, dum minerae contuſae rudes purae funduntur cum ferro addito; 2) praeuia vſtulatione, dum latae et vſtulatae in furnis idoneis funduntur, vt particulae argenti a minera ſeparentur, inque plumbo colligantur. Pyritaceas mineras, quae parum argenti, parum vel nihil plumbi continent, nec ad loturam idoneae ſunt, ab heterogeneis admixtis per fuſionem in lapidem ſulphureo metallicum optime ſeparari, ac ſi ſulphuris vel pyritis defectus ſit in minera, ſufficientem illius quantitatem addendam, ſique nimis abundat pyrites, vel praemiſſa vſtulatione fuſionem inſtituendam vel ferrum addendum, ſcorias inſuper plumbaceas ad facilitandam fuſionem addendas eſſe, praecipit. A lapidibus ſulphureo-metallicis plumbi inde productis,

ductis, ſufficienter vſtulatis, argentum, plumbo incorporatum, obtineri, plumbumque ab argento per cupellationem ſeparari, notat. Cum autem argentum cupellatum perfectam puritatem nunquam obtinere poſſit, denuo iſtud depuratione aliqua opus habet, quae appellatur cupellatio purificatoria, plumbum autem, in lithargyrium mutatum, reducitur, quae operatio fuſio reductoria appellatur.

His expoſitis, oſtendit Cl. Auctor, quomodo argentum a cupro et mineris cupreis ope ſcorificationis, eliquationis et praecipitationis ſeparari poſſit. p. 364. Itaque non niſi duplicem methodum, argentum a cupri mineris ſeparandi, dari, autumat, nimirum 1) ſeparationem a cupro praeparato; 2) praecipitationem fuſoriam, per quam argentum primo in mineris cupri ſeparetur, deinde vero ex iisdem cuprum excoquatur. Argentum, vt putat Cl. Auctor, a cupro praeparato ſeparari poteſt triplici modo, 1) ſolutione, conuenienti menſtruo, de qua autem hic non agit Noſter; 2) ſcorificatione, quae fit, dum cuprum, argento impraegnatum, in furnis vel teſtis funditur cum maiore quantitate plumbi vel aliis additamentis plumbaceis, a quibus argentum ſuſcipitur, cuprum vero ſcorificatur, inprimis ſi ſulphuris quidpiam vel de ſcoriis cupreis ſimul aliquid addatur; hanc tamen methodum locum non habere, dicit Noſter, niſi, vbi maior argenti copia in minori quantitate cupri, vt in monetis minoribus, immixta fuerit; 3) eliquatione argenti e cupro, quae fit per tertium quoddam corpus interueniens, quod maiorem ad argentum, quam cuprum, habet attractionem, minorique igne fundi poteſt, quale plumbum eſt. Itaque eliquatio argenti e cupro in binis conſiſtit momentis, 1) in combinatione argenti, in cupro exiſtentis, cum plumbo; 2) in ſeparatione plumbi, argentum ſecum trahentis, a cupro. Com-

binatio argenti, in cupro exiſtentis, per fuſionem ita inſtituenda eſt, vt cupro rudi ea plumbi reducti vel lithargyrii addatur quantitas, qua argentum extrahi poſſit. Facta mixtura et praecipitatione, poſtmodum aequalis cupri et plumbi quantitas furno ingerenda et ſic continuandum eſt, donec tot placentae aerariae, argento mixtae, fuerint praecipitatae, quot in aliis furnis ad eliquationem plumbi e cupro ſimul collocari poſſint. In hac combinatione neceſſarium eſt, 1) vt cuprum potius rude, ſulphuratum, quam a ſulphure purificatum ſit. Si vero antimonialibus aut arſenicalibus aliisque particulis mixtum fuerit cuprum, tum hoc ante combinationem purificandum eſt: 2) vt plumbum addendum purum et ab omni metallo ignobili et ſemimetallo liberum ſit; 3) vt proportio inter cuprum et plumbum addendum obſeruetur. Facta combinatione, placentae illae aerariae, germ. *Kienſtoecke* dictae, in furnis peculiaris ſtructurae eliquantur, quae operatio vocatur fuſio eliquatoria, germ. *Seigern.* Cuprum poſt has operationes reſiduum, eodem modo purificatur, vt cuprum rude, plumbum vero, argento impraegnatum et e cupro exſtillatum tractatur, vt mixtura plumbi cum argento. Quod ad praecipitationem fuſoriam attinet, notamus, a cupro ſulphurato et mineraliſato, cum argento mixto, maiore plumbi copia addita, quam vt a ſulphure praeſenti in plumbum ſulphuratum mutari poſſit, argentum cum plumbo mixtum ſeparari ſeu praecipitari, a minera autem cupri pyritacea, quae aurum ſimul continet, atque cum lithargyrio vel plumbo addito lapidem ſulphureo metallicum mixtum conſtituit, addito ferro, obtineri plumbum purum ſimulque cum hoc praecipitari aurum et argentum, quae tandem cupellatione a plumbo ſeparari poſſunt.

Auri

Auri minerae Noſtro duplices ſunt; reperitur p. 375. nimirum aurum 1) natiuum, quod arenis fluuiatilibus aut marinis immixtum, vel lapidibus aut aliis mineris metallicis tam ſuperficialiter adhaerens, quam immixtum reperitur; 2) pyrite ſolutum atque in ſolutione cum mineris argenti, cupri vel vtriusque commixtum. Hinc duplici modo aurum obtineri poteſt, nimirum 1) via humida, hoc eſt, amalgamatione; 2) via ſicca, vbi nimirum aurum natiuum, aliis mineris immixtum vel mineraliſatum obtinetur. Operatio autem iisdem fundamentis nititur, vt de argento dictum eſt. E mineris argenti galenicis elicitur fuſione incorporatoria cum plumbo et ſubſequente cupellatione, tandem ſeparatione ab argento. A mineris argenti pyritaceis obtinetur primo per fuſionem in lapidem ſulphureo-metallicum, deinde per incorporationem cum plumbo, tandem per cupellationem et ſubſequentem ſeparationem ab argento. E mineris cupri elicitur, ſi vel ex iſtis mineris cuprum rude excoquitur, vel eaedem in lapidem ſulphureo-metallicum funduntur. A cupro rudi fuſionis ope ſeparatur aurum 1) ſcorificatione per ſimplicem fuſionem incorporatoriam cum plumbo et ſubſequentem cupellationem; 2) ſi minus auri in cupro fuerit, mediante fuſione incorporatoria cum plumbo et ſubſequente fuſione ſeparatoria, tandem cupellatione; 3) cum aurum fortius retineat cuprum, hoc per admixtum pyriten ſulphuratum reddendum, hocque more iam indicato tractandum eſt. Aurum demum, cum argento mixtum 1) caementatione; 2) ſolutione, quae vel per aquam fortem vel per aquam regis fit, ſeparatur, per hanc enim ſoluitur aurum, quod poſthac, ſolutione vitrioli martis affuſa, praecipitatur, per illam autem argentum et cuprum ſoluuntur, auro relicto.

p. 384. Mercurium deſtillatione, antimonium ſimplici eliquatione, biſmuthum in fuſionibus minerae cobalti, tandem zincum vel in fuſionibus minerarum cupri vel plumbi accidentaliter elici, vel deſtillatione per retortas lapideas, carbonum puluere admixto, vel demum incorporatione cum cupro obtineri, conſtat. De biſmutho tamen notat Cl. Auctor, hoc ſemimetallum, cum vel natiuum et purum matricibus ſuis incluſum ſit, vel cum arſenico aut acido ſulphuris mineraliſatum, haec autem igne diſſipentur et ſeparentur, abſque omni reducente materia per ſimplicem eliquationem obtineri.

p. 389. In quarta demum parte de manufacturis metallicis et metallorum nobilitatione, inprimis de praeparatione chalybis et praeparatione orichalci, tandem de arſenico, zaffera et ſmalto agit Cl. Auctor, de qua autem praecipua tantum momenta decerpere liceat. Chalybs, vt oſtendit Noſter, a ferro differt, 1) quod ex particulis vel fibris ſubtilioribus conſtet; 2) quod grauitate ſpecifica maiore praeditus ſit, quam ferrum; 3) quod duritiem maiorem habeat; 4) quod magis elaſticus, flexilior et tenacior ſit; 5) quod tardius in aere ferruginem contrahat; 6) quod fractus chalybs, dum diſſilit, peculiarem edat ſonum penetrantem; 7) quod diuerſos in igne ſuſcipiat colores; 8) quod minus in igne ſcintillet; 9) quod ad magnetes artificiales melius ſcintillet. Quod ad realem differentiam inter ferrum et chalybem attinet, hanc ipſam partim a nonnullarum particularum ſeparatione vel reductione ſub praeparatione chalybis, partim a particularum puriorum arctiore connexione pendere, atque re ipſa aliquam acidam materiam a ferro ſub praeparatione chalybis ſeparari, exiſtimat Cl. Auctor. Omne artificium, chalybem praeparandi, 1) in ſeparatione quorundam heterogeneorum et reductione, quae reductionem requirant;

rant, 2) in arctiori nexu, partes compingente, Noſter ponit, chalybisque praeparationem hinc vel a minera martiali vel a ferro malleato et quidem vel per fuſionem vel per coementationem perfici. Chalybem tamen, fuſione praeparatum, meliorem eſſe chalybe, per coementationem parato, opinatur.

Orichalcum definit Noſter, quod ſit mixtura metallica, flaua, malleabilis, ab aere fuſo, fumo cadmiae tincto et commixto praeparata. Ad praeparationem eius tria requiri, autumat; 1) cuprum purum, ſufficienti igne fuſum; 2) fumum pſeudogalenae ſeu lapidis calaminaris; 3) phlogiſton, quo cuprum conſeruetur a combuſtione et fumus cadmiae in forma metallica cum cupro fieri poſſit miſcibilis. Caeterum omnem mineram zinci ad praeparationem orichalci vſurpari poſſe, dummodo debite antea vſtuletur, quo omne ſulphur et volatile heterogeneum expellatur, monet. p. 407.

Arſenicum tandem, quod Noſter pro ſubſtantia metallica ſalino-calcarea, in igne volatili, habet, ſub vſtulatione minerae cobalti obtineri, ex ipſa autem hac minera, additis ſilicibus contuſis vel arena et cineribus clauellatis, zafferam et ſmaltum praeparari, conſtat. Hinc tantum notamus, vnde ex Noſtri opinione color ſmalti coeruleus pendeat. Sententiis variis commemoratis, colorem illum non a martiali principio, vt HENCKEL inprimis ſtatuit, nec etiam a cupro cum ferro et terra aliqua peculiari vitrificabili, quae LEHMANNI inprimis ſententia eſt, ſed a peculiari ſemimetallo, quod cobaltum adpellatur, diſtinctum a ſpeiſo aliisque ſemimetallis, proficiſci, arbitratur. p. 412.

III.

RHAZES de variolis et morbillis, arabice et latine, cum aliis nonnullis eiuſdem argumenti, cura et impenſis IOHANNIS CHANNING, natu et ciuitate Londinenſis. Londini excudebat Guilielmus Bowyer. 1766. 8.

Etiamſi verſio anglica huius libri, facta quondam a THOMA HUNTIO, arabicae linguae apud Oxonienſes Profeſſore, iam ſubiecta eſt Meadiano libello de morbillis et variolis*): tamen ipſe arabicus textus, qui in bibliotheca Leidenſi aſſeruatur, nondum editus fuerat. Sed Cl. CHANNING apographum codicis, manu SCHEDII ſcriptum, nactus eſt, ex eoque textum nunc primus vulgauit. Cum enim reperiſſet, verſionem Meadianam ex eiuſdem quidem codicis apographo, ſed non ſatis vbique probabili, expreſſam, multisque locis mutilam aut vitioſam eſſe: operae pretium ſe facturum putauit, ſi non ſolum arabica, paulo accuratius deſcripta, ederet, ſed nouam quoque verſionem conficeret. Haec itaque latina interpretatio primum ipſi textui ſic adſtricta eſt, vt eum, quantum poteſt, verbum de verbo exprimat: quam diligentiam ſicubi latinitas non ferre videretur, in notis tamen indicatum eſt, quid ad verbum in textu ſcriptum eſſet. Quae ratio interpretandi in iis potiſſimum libris vbique ſequenda videtur, quos maior pars doctorum virorum ipſos legere non poteſt. Magnam porro commendationem ex eo habet, quod cum multa fide refert arabici ſcriptoris ſenſum et, quantum nos quidem comparando intelleximus, in paucis locis ab eo aberrat, quod facile concedi atque condonari debet ei, qui non

*) Vid. the medical Works of RICHARD MEAD. p. 351. et Comment. noſtr. Vol. XV. p. 698.

non ipſum codicem inſpexit, ſed apographo codicis, male interdum habiti atque obliterati, in quibuſdam locis etiam ſine punctis diacriticis ſcripti, vſus eſt. Acceſſerunt Cl. CHANNINGII animaduerſiones plures, quae partim graecam huius libri metaphraſin, a ROBERTO STEPHANO a. 1548 editam, partim RHAZIS ipſius ſententias cum GALENO, AVICENNA, aliisque magni nominis medicis antiquis comparant, tum arabica verba quaedam illuſtrant, vt illud *Weraſhkin* ſeu *Werſekin*, quod vocabulum in lexicis non notatum eſt, ſed ex etymologia *fractionem pectoris* ſiue eum morbum ſignificat, quo pectus neceſſario frangitur, qui vtrum ad empyema, an vomicam referendus ſit, CHANNINGIUS diſceptare non audet. Vidimus etiam in animaduerſionibus arabicae medicinae ſubinde lucem accendi, vt cum deſcriptiones plantarum, aut modi medicamentorum componendorum locis arabicorum ſcriptorum explicantur (p. 62. 110. 112). Acceſſerunt nonnulla ex operibus paruis RHAZIS, quae ipſam hanc de variolis et morbillis doctrinam illuſtrant: praeterea ALZARAVII de eadem re libellus, ex arabico in hebraicum translatus: denique arabicum fragmentum eiuſdem argumenti.

IV.

IV.

Journal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par Mr. A. ROUX, Docteur Regent de la Faculté de Medecine de Paris. etc. Tome XXIII. à Paris, 1765. chez Vincent. 8. Alph. 1. pl. 13. Tome XXIV. 1766. Alph. 1. pl. 13.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, cet. pertinens. Auctore Cl. A. ROUX. Tomus XXIII et XXIV.

Tom. XXIII. Menſe Iulio 1765 haec inprimis memoratu digna deprehendimus.

p. 20. 2. *Obſeruationes de vſu interno bulbi colchici autumnalis, ſub forma oxymellis in hydrope adhibiti*, a Cl. MARGES. Obſ. 1) Vir 45. annorum e catarrho cum ſputo cruento incidit in tuſſim vehementem, ſenſimque in hydropem, poſt vſum vero oxymellis colchici per ſex hebdomadas continuatum plane conualuit. Obſ. 2) Foemina 26. annorum grauida, pleuritide cum ſputo cruento, difficili reſpiratione, intumeſcentia abdominis et extremitatum inferiorum, vrinaeque defectu laborans, eodem remedio 14. dierum ſpatio ſanata eſt. Obſ. 3) Puella quadriennis, tumido corpore, tuſſi ſicca, vrina ſpiſſa et parca affecta, ſumto per 12. dies oxymelle colchici ſanitatem recuperauit.

p. 37. 3. Cl. BONAMY *obſeruationes de puella elingui, quae loqui, deglutire, omnesque reliquas functiones, a lingua pendentes, praeſtare poteſt.* Puellae octenni a variolis malignis et inde exortis linguae vlcuſculis atque gangraena maxima linguae pars deſtructa, ipſaque per tres annos muta facta eſt. Sonos itaque

que tantum confuſos edidit, magna cum difficultate deglutiuit et ſaliua ſemper ſponte ex ore effluxit. Tandem ex inſigni niſu aliquot verba edere, ſenſimque diſtinctius loqui, adeoque cantare, ſine difficultate deglutire et alimentorum ſaporem diſtincte ſentire didicit. Plura eiusmodi exempla ex aliorum obſeruationibus adduntur.

6. Cl. PAMARD filii *obſeruatio de ſtrabiſmo conniuente cum delapſu palpebrae ſuperioris oculi dextri; morbo ſecundario, vt paralyſis, ſine ſucceſſu tractato, e ſolidorum relaxatione exorto, poſteaque vſu continuato humectantium curato.* Viro ſyncope conuulſiua afflicto et euacuantibus, ſudoriferis ac ſpirituoſis remediis tractato, relictus eſt ſtupor ſummaque irritabilitas, ipſeque deinde incidit in ſtrabiſmum cum palpebrae dextrae relaxatione. Veſicatoria, ſcapulis applicata, ſtrabiſmum augebant; dedit itaque Cl. Auctor humectantia, iuſcula ſcilicet carnium, gallinae, balnea tepida et clyſmata frigida, ac palpebra quarto iam die attollebatur; adhibitis deinde balneis frigidis fomentiſque aquae frigidae, capiti applicatis, diarrhoea biliosa critica eſt oborta, oculorumque dolor et ſtrabiſmus ceſſauit. Neglectis poſtea balneis, ac ſumtis iuſculis alterantibus, ſymptomata redibant, quae tamen priſtinis remediis cedebant et aegri ſanitas iterum eſt reſtituta. p. 63.

7. Cl. DE THOMAS *obſeruatio de verme ſolitario, ſ. taenia.* Foemina 86. annorum febre putrida affecta, ſaepe per aluum eiecit partes taeniae atque iam a iuniori aetate ſimiles deiectiones habuit. Sumtis itaque granis quindecim ipecacuanhae in aqua menthae, praeter lumbricos, copioſas taeniae partes eiecit, tandemque adhibitis bolis ex aloë, rhabarbaro diagridio et mercurio dulci factis, taenia viua ſeſquicubiti longitudine, propulſa eſt et aegra conualuit. p. 68.

9. Cl.

p. 83. 9. Cl. MARTIN *obſeruatio de ſeparatis a ſe invicem oſſibus pubis.* Vir 45. annorum a loco alto in poſteriorem criſtam oſſis ilei ſiniſtri delapſus, cubitum ſiniſtrum duplici fractura laeſit, radium in humeri articulo luxauit et paulo poſt miſere periit. In ſectione cadaueris vidit Cl. Auctor, ſymphyſin oſſium pubis tantopere diductam eſſe, vt ibi ſpatium pollicis vnius relinqueretur.

Menſe Auguſto

p. 128. 3. *Epiſtola* Cl. DE LIGNAC *ſiſtens tres obſervationes partuum ſerotinorum.* Foemina in grauiditatis decimae tertiae menſe quinto, poſt crebriores vteri haemorrhagias eiecit molam, nihilominus poſtea perpetuos motus in abdomine ſenſit, ſaepius haemorrhagias vteri paſſa eſt, ac poſt nouem menſes peperit filium demortuum, iuſta magnitudine praeditum, quem per 13½ menſes in vtero geſſit, ac tum ſequebantur duae molae, priori, ante nouem menſes eiectae, plane ſimiles. Eadem foemina paullo poſt rurſus grauida facta, poſt plurimas haemorrhagias vteri, peperit filium, qui per 13½ menſes in vtero latuit, ac ſex hebdomadas vixit. Eadem tandem, per vndecim menſes foetum in vtero gerens multisque eius haemorrhagiis afflicta, peperit filiam, quae vix tertiam iuſtae magnitudinis partem aequabat, ſtatimque moriebatur.

p. 133. 4. *Epiſtola* Cl. MERCADIER ad Cl. ROUX, *de virgine, quae per ſex menſes ſine alimentorum vſu vixit.* Haec 23. annorum aliquoties, accedentibus menſtruis, triſtitia, anxietate et deliquiis afflicta, tandem in lethargi incidit ſpeciem, nec tum ſumſit alimenta, nec loqui poterat, ſuppreſſis potius excretionibus et menſtruis, oculis clauſis, capite declinato, rigido. Semicupia, balnea, clyſmata, cet. parum efficiebant, balnea vero frigida et embroche tandem perfectam ſanitatem ei reſtituebant.

6. Cl.

6. Cl. GOIRRAND *obſeruatio chirurgica de vulnere cum fractura manus et carpi.* Vir 23. annorum ſclopeto vulnerauit tres digitos manus ſiniſtrae, luxauit oſſa carpi et fregit os primum tertiumque metacarpi, ſine cutis laeſione. Cl. Auctor itaque amputauit phalangam primam medii digiti, oſſa fracta et luxata in ſitum redegit, faſciisque aptis ac ſpleniis in eo retinuit, ac tandem apto regimine et generato oſſium callo, vſus manus plane recuperatus eſt. p. 161.

7. Cl. MARTINAY *obſeruatio vteri inuerſi.* Imperita obſtetrix poſt partum difficilem foeminae in educendis ſecundinis inuerſerat vterum, quem cum chirurgus reponere fruſtra tentaſſet, acceſſit gangraena cum febre acuta et iſchuria, quae tamen, educta, ope catheteris, vrina, vſu corticis Peruuiani, clyſmatibus, purgantibusque lenioribus ſanata eſt, vtero tandem ſponte repoſito et ope peſſarii ſuffulto. p. 167.

9. *Obſeruationes* Cl. MARTIN, *quibus declarantur damna, a ſpecillis, poſt amputationem penis applicatis, excitata.* Obſ. 1) Viro 65. annorum amputatus eſt penis, cui Cl. Auctor ob vrethrae anguſtiam aegre immiſit tubulum, qui tamen non ſolum vrinae effluxum impediebat, ſed ſemper etiam rurſus egrediebatur; adhibuit igitur loco tubuli cereolos, quos vero aeger, inſcio Auctore, ſemper educebat, ſenſim tamen plane curatus eſt. Obſ. 2) Alii 21. annorum amputato pene nihil in vrethram immiſit Cl. Auctor, ac vrina per totam curationem bene effluxit. p. 177.

10. *Eiuſdem obſeruatio paralyſeos poſt lapſum accedentis.* Miles poſt lapſum laborabat per quatuor dies abolitione memoriae, delirio, haemorrhagia auris ſiniſtrae, vomitu bilioſo et, quamquam aptis remediis reſtitutus eſt, tamen ei relicta eſt paralyſis muſculorum faciei labiique oris lateris ſiniſtri. p. 180.

Menſe

Menſe Septembri

p. 266. 5. Cl. MARTIN *obſeruatio de calculo in orificio veſicae vrinariae impacto.* Vir 23. annorum hernia inguinali enormi lateris ſiniſtri atque iſchuria laborabat, cuius cum vrethram Cl. Auctor ſpecillo examinaſſet, ibi inuenit calculum, qui veſicae orificium obturabat. At aeger, cum lithotomia differeretur, interea variolis periit. In eius ſectione apparuit calculus, qui veſicae orificium occupabat, formam digiti incuruati ſiſtebat ac pondere vnciam vnam aequabat.

p. 273. 6. *Epiſtola* Cl. DE MORTIERE *ſiſtens obſeruationem de vſu embroches in doloribus.* Hac enim dolorem pedis vehementem, poſt morbum ſeptimeſtrem relictum, breui tempore ſuperauit.

p. 274. 7. *Epiſtola* Cl. FINANT *de hernia cum gangraena.* Quinquagenaria hernia crurali incarcerata laborabat, e cuius ſinu effluebat materia foecalis. Incidit Cl. Auctor hunc tumorem, remouit partes gangraenoſas, fecit ligaturam, ac in 55. dierum ſpatio foeces, huc vſque e vulnere effluentes, rurſus per inteſtinum rectum eiiciebantur, ac aegra plane ſanata dicitur.

Menſe Octobri

p. 312. 2. *Relatio de ictero peculiari, ſuppreſſis haemorrhoidibus, excitato,* Auctor Cl. HOUSSET. Foemina 55. annorum incidit in icterum, qui cutem a regione ventriculi vſque ad ſummam capitis partem inquinabat, aderant ſimul dolores hypochondrii ſiniſtri, alvi obſtructio et tumor dolens regionis vmbilicalis. Dedit Cl. Auctor potionem ex oleo amygdalarum dulcium et kermes minerale ac ptiſanam ex cichoreo et acetoſa, poſtea purgans, tertio die, auctis doloribus, venam brachii ſecauit et clyſma ſuaſit; denique, ſimulac comperiſſet, aegram haemorrhoidibus

bus olim laboraſſe, qui iam per aliquot annos ſuppreſſi eſſent, venam pedis incidit, quo facto haemorrhoides redierunt, ceſſarunt ſymptomata et aegra, ſumto laxante, iuſculis cum herbis coctis, et vino abſinthii per quatuordecim dies continuato, plane conualuit.

3. Cl. PLANCHON *obſeruationes de effectibus oxymellis colchici.* Dedit hoc remedium foeminae quinquagenariae hydropicae, doſin quotidie ad drachmam augens, quo ſenſim aquae diureſi tantopere euacuabantur, vt crurum et femorum oedemata tantum relinquerentur, aegra vero, cum ob pauperiem non amplius hoc remedio vti poſſet, aſthmatica quidem, praeterea tamen ſatis valida fuit. Idem remedium, octogenariae aſciticae datum, diureſin quidem auxit reſpirationemque magis facilem reddidit, attamen mors poſt animi deliquia, eius vlteriores effectus impediuit. Idem in aegro aſthmatico ac hydropico nihil, praeter vrinam turbidam, effecit. Alii hydropico in augenda diureſi et diſſipanda hydrocele inſigni maxime profuit. In grauida, ſexto menſe poſt catarrhum pectoris et pleureſin hydropica facta, hoc remedium praeter diureſin auctam, nihil effecit; peperit ſeptimo menſe, ac poſtea alui deiectionibus debilitata periit. Alia, anaſarca laborans, viginti huius remedii vncias vna cum reliquis medicamentis fruſtra ſumſit, tandemque acceſſu gangraenae crurum, quae aquam ſanguinolentam deſtillabant, mortua eſt. Alia 45. annorum, anaſarca vexata, ab eiuſdem vſu tandem ſanitatem eſt nacta. p. 324.

6. *Obſeruatio herniae inguinalis completae cum inteſtini gangraena coniunctae et exſtirpatione curatae* a Cl. NOLLESON fil. Auriga 33. annorum iam per decem annos hernia inguinali dextri lateris laborabat, quam ipſe reprimere poterat, neque eam p. 361.

 faſcia

faſcia apta coercebat; attamen poſt niſum fortiorem prolapſas partes non amplius reponere potuit ac peſſimis ſymptomatibus eſt afflictus. Cum quinto demum die operatio ſuſciperetur, apparuit, partem epiploi ac inteſtini incarcerati eſſe gangraenoſam, qua reſecta, Cl. Auctor, ad methodum Cl. RAMDHORI, coniunxit vtramque inteſtini extremitatem, ſuturam ad annulum applicauit, ac vulnus intra 30. dies cicatrice, ſine multo aegri incommodo, clauſum eſt. Is vero, cum deinde neglexiſſet diaetam ac duriorem ſumſiſſet victum, paulo poſt periit. In ſectione cadaueris vidit Cl. Auctor, inteſtinum ileum adhaeſiſſe peritoneo et epiploo, ibidemque eius diametrum ad tertiam fere partem contractam eſſe et curuaturam anguli curuilinei formaſſe, vnde cauſſa mortis, a duriore pendens victu, declarabatur.

p. 367. 7. Cl. LEAUTAUD *obſeruatio de dilaceratione muſculi fornicis palati et vuulae.* Puer robuſtus cadendo ita laeſus eſt ab arundine, vt muſculus fornicis palati et vuula dilaceraretur ac delapſi in fauces deglutitionem reſpirationemque impedirent; praegreſſa venaeſectione et depurato vulnere, repoſuit Cl. Auctor partes delapſas et lamina plumbea, linteo inuoluta, in ſitu retinuit, balſamum de mecca applicauit, ac muſculus intra viginti dies cum palato rurſus coaluit, vuulaque ad ſtatum naturalem peruenit, aeger itaque perfecte conualuit, diſtincteque loqui potuit.

p. 369. 8. *Remedium, cuius efficacia in phthiſi et vlceribus internis in Hollandia valde praedicatur*, conſtat ex aſphalti vel bituminis Iudaici ℔j, ſal. decrep. ℔ß, aren. pur. ℔jß, quae in retorta deſtillentur igne fortiore. Aqua prius deſtillata reiiciatur, oleum nigrum ſubſequens, tam diu deſtillandum, quam diu colorem nigrum vel ſubcoeruleum retinet, ipſum ſiſtit reme-

dium

dium laudatum, cuius decem ad quindecim guttae matutino ac veſpertino tempore ſumantur.

Menſe Nouembri

3. Cl. RENARD *obſeruatio de cancro occulto, pilulis e cicuta compoſitis curato.* Monialis cancro occulto mammae ſiniſtrae laborans, quem cicutae viridis vel coctae et cataplaſmatum vſus auxerat, vſu tamen pilularum cicutae ad drachmam dimidiam quotidie ſumtarum, quamquam aegra interdum per interualla duarum vel trium hebdomadum omnia reſpuebat remedia, tandem decimo quarto menſe ſcirrhus plane reſolutus et aegra plane ſanata eſt. p. 411.

4. Cl. PAMARD, fil. *obſeruatio de leucophlegmatia vrinoſa, partim a calculo veſicae, operatione exempto, partim a criſpatione tubulorum ſecretoriorum renum excitata, humectantibus curata.* Pueri quinquennis vrethram calculus veſicae ita interdum obturabat, vt vrina e repleta veſica in maſſam ſanguinis reduceretur, ſenſimque in toto contextu celluloſo anaſarcam ſiue leucophlegmatiam vrinoſam excitaret, quae ceſſabat, ſimulac vrina rurſus per vrethram excernebatur. Cum vero hic morbus ſaepe rediret, incidit Cl. Auctor collum veſicae, quo facto calculus magnitudine nucis oliuae cum vrina exiit et aeger intra duodecim dies curatus eſt. Attamen cum, inſcio Cl. Auctore, alimenta cruda ſumſiſſet, anaſarca vrinoſa denuo acceſſit, quae vſu diureticorum calidorum increuit. Cum autem pulſus aegri vires ſatis validas proderet, Cl. Auctor eum, poſt venaeſectionem brachii, in lintea, aqua tepida madefacta, per quatuor horas inuoluit, eique multum aquae frigidae propinauit, quo remedio vrinae profluuium reſtituebatur. Relaxatio ſyncope declarabatur, quae linteis calidis et ſiccis diſſipata eſt et aeger intra paucos dies plane conualuit. p. 421.

 7.) Cl.

p. 443. 7. Cl. GUERIN fil. *epiſtola, ſiſtens hiſtoriam fracturae complicatae oſſium cranii.* Vir 25. annorum poſt violentam capitis laeſionem in ſoporem incidit; oſſa parietalia, frontale ad ſuturam coronalem et occipitale ad ſuturam lambdoideam erant fracta, multumque puris foetentis emanabat. Oriebantur poſtea plurimi capitis tumores, quos Cl. Auctor incidit et, ſanguine nigro educto, curauit, atque cum ſenſim hinc illinc 27. fragmenta oſſea ſeparaſſet et exfoliatio bene ſuccederet, callus et cicatrix ita formabatur, vt aeger in aliquot menſium ſpatio ſanus redderetur.

p. 449. 8. Cl. BOUSQUET *obſeruatio de fractura humeri, cum vulneribus, fragmentis et gangraena complicata.* Foemina 36. annorum, fracta inferiore humeri parte, ſenſit ibidem, poſt impeditum a nimis arcta ligatura humorum circulum, dolores inſignes, et brachium valde intumuit; aperta faſcia, vidit Cl. Auctor vulnus transverſale ad ſeſquipollicem ſupra cubitum, vacillantes oſſis partes ſeparauit et vulnus linteo carpto, digeſtiuis imbuto, deligauit. Nihilominus acceſſit paulo poſt gangraena in dies aucta, parte tamen gangraenoſa ſeparata, haec fractura poſt 70. dies plane curata eſt.

p. 453. 9. Cl. LEAUTAUD *obſeruatio de calculo, ſub lingua hominis reperto.* Coriarius quinquagenarius tumore duro ſub lingua et ſaliuatione copioſa doloribusque vehementibus vexatus eſt. Cum aeger operationem repudiaret, Cl. Auctor hanc partem emollientibus tractauit, donec hic tumor ſponte ſe aperiret, ac, dilatato vulnere, calculum nucis auellanae magnitudine emitteret. Haemorrhagiam ſubſequentem Noſter agarico ſedauit et aegrum poſtea oris collutionibus ſanauit.

p. 466. 12. Cl. HEILIGENSTEIN *obſeruatio de tumore carcinomatico oculi dextri exſtirpato.* Foemina 62. anno-

62. annorum poſt magnam capitis contuſionem ſenſit viſum imminui, ac tumorem oriri, oui gallinacei magnitudine, qui ad naſi cartilaginem deſcendebat, ſenſimque creſcendo carcinomaticam indolem induebat. In eius exſtirpatione vſus eſt Cl. Auctor acu curua, filo inſtructa, qua tumorem attrahebat et a coniunctiua, cui adhaeſit, vſque ad partem inferiorem corneae ſeparabat, oculus poſtea viſum, foemina plenariam ſanitatem recuperauit. Tumor hic varicoſus aequabat vncias tres cum dimidia.

Menſe Decembri.

4. Cl. BRUN *obſeruatio de irruente affectione hyſterica cum lochiorum ſuppreſſione.* Foemina 27. annorum poſt partum incidit in motus conuulſiuos et epilepticos ſubinde auctos cum ſuppreſſis lochiis. Nudato corpore, vſus eſt Cl. Auctor aqua frigida, vnde ceſſarunt conuulſiones, ſenſus redierunt et, ſedata tuſſi conuulſiua, quae interea acceſſerat, lochia rurſus emanarunt et ſanitas reſtituta eſt. p. 543.

5. Cl. MARIOTTE *obſeruatio de effectibus perniicioſis petroſelini vulgaris.* Foemina 26. annorum ab eſu piſcium cum herba et radicibus petroſelini incidit in epilepticos motus vehementes ac agrypniam, attamen vſu pilularum narcoticarum et foliorum aurantiorum reſtituta eſt. Similes effectus petroſelini hic e pluribus auctoribus citantur. p. 545.

7. Cl. MERSENNE *obſeruatio de ruptura ſacci herniarii et prolapſu partium, in eo contentarum.* Foemina a duriori labore, crebiore partu, ac tuſſi grauiore, ſibi contraxit herniam ventralem lineae albae prope muſculorum pyramidalium inſertionem, eamque thorace ac inprimis eius aſſula media tantopere excoriauit, vt ſenſim in vlcus tranſiret, quod autem, vetito vſu thoracis, aptis faſciis curatum eſt, et aegra per aliquot annos bene ſe habuit. Cum p. 557.

vero haec poſtea in phthiſin pulmonalem ac tuſſim vehementem incideret, ſubito ruptus eſt ſaccus herniae et exiit omentum cum inteſtinorum magna parte, aegra, auxilio tum deſtituta, ſtatim inuoluit prolapſas partes, ac domum rediit. Accerſitus Auctor, cum inteſtina iam tumefacta non ſtatim reponere poſſet, dilatauit vulnus, repoſuit partes prolapſas, lintea carpta vulneri impoſuit et apta medela reſtituit aegram, quae tamen paulo poſt febre phthiſica obiit.

p. 559. 8. *Eiuſdem obſeruatio de bronchotomia.* Foemina 35. annorum ſeptimo grauiditatis menſe angina laborabat grauiſſima; incidit Cl. Auctor glandulam thyroideam, pure plenam, et ita aegrae ſtatim ſolatium attulit, paulo poſt vero haec in ſuffocationis periculum incidit; atque tum inſtituit bronchotomiam ſcalpello et calamo anſerino, ac emanauit multum muci et puris, aegraque in decem dierum ſpatio plane reſtituta et vulnus coalitum eſt.

Tom. XXIV. Tomus XXIV. praeter alia, haec inprimis notatu digna continet. Etenim

Menſe Ianuario 1766 conſpicitur

p. 58. 4. *Epiſtola* Cl. D'AUXIRON, *ſiſtens obſeruationem de homine, qui vrinam per vmbilicum reddidit.* Septuagenarius, iam a pueritia calculoſus, ſaepe calculos per vrethram excernebat, interea dyſuria ſaepe laborabat, et diriſſimos patiebatur dolores, ſi calculos iuſto maiores ex vrethra emittere non poſſet, hic, ſi vrethra calculis obturatur, nunc vrinam per vmbilicum eiicit, in quo parua apertura, margine rubro inſtructa, conſpicitur, vnde vel exhalat, vel pleno flumine effunditur vrina; ſi vero vrethra vrinam transmittit, vmbilici apertura clauditur.

5.) *Eiuſdem*

5. *Eiuſdem obſeruatio de morbo ſingulari, qui fe-* p. 60.
bris intermittens localis dici poſſet. Foemina 26. annorum quotidie per tres hebdomadas prima hora poſtmeridiana ſenſit frigus permagnum, quod occupabat partes externas, ſub vmbilico ſitas, vſque ad mediam partem femorum et internas regionis hypogaſtricae, per duas horas perſiſtens, poſteaque accedebant dolores vteri vehementes. Subſequebatur calor et ſudor harum partium inſignis et effluebat e genitalibus materia, fluori albo ſimilis, deinde ceſſabant dolores. Aegra per 15. horas nullam vrinam, reliquo tempore parum reddidit. Venaeſectiones, purgantia leniora, remedia ſedantia et aptum regimen hunc morbum ſanarunt, aegra enim poſt febrem finitam eiecit e genitalibus materiam ſpiſſam, foeditiſſimam, atque conualuit.

6. Cl. BROTE *obſeruatio morbi conuulſiui.* p. 62.
Foemina per quatuor menſes afflicta eſt motibus conuulſiuis regionis hypogaſtricae, ſuffocatione, ſpaſmo oeſophagi et lumborum doloribus, quos excipiebat ſudor copioſus, per tres horas perſiſtens. Emmenagoga morbum augebant, nec menſtrua reuocabant et vrina retenta ne ſpecillo quidem educi poterat, ac venter maxime intumeſcebat. Aegra deinde balneo tepido bis vſa, in deliquium et conuulſiones incidit, idem balneum repetitum auxit quidem dolores lumbares, attamen ſomnum induxit, tandem cum idem remedium et clyſmata aquae frigidae eiuſdemque epithemata, ventri applicata, per menſem continuarentur, ſanitas ſenſim reſtituta eſt.

8. *De cataplaſmate ſalutari, in vlceribus carcino-* p. 68.
maticis, a Cl. SULZER. Sumatur radix dauci ſatiui, trituretur, exprimatur ſuccus, calefiat et tanquam cataplaſma ſpiſſum vlceri ipſi imponatur, poſteaque linteo calido ſicco tegatur et bis in 24. ho-

 ris

ris mutetur. Supprimit inprimis dolores, imminuit ſuppurationem et foetorem, atque pus bonum generat, margines calloſos emollit et vlcus ſanat. Interea ſuccurrendum eſt reliquis ſymptomatibus aptis et neceſſariis remediis.

p. 75. 9. Cl. MESNY *methodus medendi ſcrophulis*. Reſoluentia quidem remedia et externa et interna requiruntur, attamen haec non ſufficiunt, ſi adſit malignitas; potius itaque quam primum exſtirpetur glandula vel ferro, vel cauſtico, nec prius eius cicatrix claudatur, quam tota glandula ſit deſtructa. Praeparat igitur Cl. Auctor ſcrophuloſos diluentibus remediis et purgantibus, exſtirpat ferro glandulas facile educendas, tumori et vlceri imponit pulverem ſublimati corroſiui cum digeſtiuo mixtum, et ſuperaddit emplaſtrum perforatum, cuius foramen linteo carpto obtegit; poſt duas circiter horas tollit cauſticum idque alii loco applicat, donec tota glandula ſit deſtructa; interdum vtitur viciſſim purgantibus et extracto cicutae, drachma dimidia pro doſi, et aethiope minerali. Hanc methodum feliciter applicatam fuiſſe, quinque additis obſeruationibus, confirmat.

p. 84. 10. Cl. SIMON *obſeruatio de vulnere, ſclopeto inflicto, quod tracheam penetrabat*. Vulnus erat tranſverſum ad ſuperiorem et anteriorem colli partem, quatuor pollicum longitudine, tracheam penetrans. Dilatato hoc vulnere, eduxit Cl. Auctor corpora peregrina, vaſis ruptis agaricum impoſuit, vulnerique linteum carptum et puluillos, vino calido ſaccharato imbutos et poſtea digeſtiua applicauit. Ac omnia iam feliciter ſuccedebant, cum ſexto die denuo ex ramulo carotidis externae haemorrhagia movebatur, quae tamen agarico ſedata eſt, faſcia poſt 48 horas demum remota, vulnus hoc periculoſiſſimum ſine relicto incommodo, duorum menſium ſpatio, coalitum eſt.

Menſe

Menſe Februario.

4. Cl. DE PLAIGNE *hiſtoria ſomni ſingularis, per duos annos continuati, paucis interuallis exceptis.* Virgo vicenaria in ſomnum incidere ſolebat, e quo ſemper ſeptimo die ſponte euigilabat, veſtes induebat, edebat atque ab eius domicilio ibat in templum, indeque reuerſa, rurſus ſomno, per ſeptem dies continuante, capiebatur, ſimilique modo iam per duos annos vixerat, ac ſemel tantum ſomnus quindecim dies durauerat, e quo, ne vſtione quidem plantae pedis, excitari poterat. Corpus dormientis calorem conſuetum referebat, pulſus erat debilis, reſpiratio tarda, vix percipienda, ſudor interea viſcidus et foetens, reliquae excretiones corporis tandem in aegra expergefacta ſuccedebant. In cura huius affectus ſoporoſi medicus poſt venaeſectionem potionem cardiacam propinauit et clyſma applicare iuſſit, quo reiecto, indormiuit aegra; deinde cucurbitulas applicauit et iis locis ſcarificatis veſicatoria impoſuit. Tertia itaque hora euigilabat et cum potione cardiaca aliam catharctico emeticam hauſit, quam euacuationes frequentes inprimis per inferiora ſequebantur. Hac et ſequenti die non incidit in ſomnum adeo profundum, potiones cardiaca et catharctica continuatae ſunt, ſopore tamen non prorſus diſcuſſo, poſtea per triginta ſex dies vſa eſt electuario ex valeriana, rhabarbaro, caſtoreo, ſale ammoniaco et abſinthii, aethiope minerali, trochiſcis de agarico, diagrydio et extracto hellebori nigri compoſito, indeque magis magiſque excitata, in ſomnum adeo profundum non amplius incidit. Haec aegra duodecimo aetatis anno cum variolis laboraret, in earum eruptione per viginti quatuor horas ſub lectulo oppreſſa quaſi haeſit, indeque per tres annos membrorum vſu deſtituta eſt, donec menſtrua accederent. Relicta tamen eſt hemicrania periodica p. 164.

 vſque

vſque ad hanc ſomni profundi epocham anno aetatis viceſimo incipientem. Praecedebant vero hemicrania, anxietas, animi deliquium et poſtea acceſſit ſomnus ſaepe inopinato. Menſtrua omni tempore et ſub ipſo ſomno recte ſuccedebant. Sentit haec virgo etiam poſt recuperatam ſanitatem interdum hemicraniam, ſemper etiam aliquam animi imbecillitatem monſtrat.

p. 169. 5. Cl. PLANCHON *obſeruatio de vulnere capitis cum fractura et depreſſione cranii.* Tricenarius, hoc modo laeſus, ſtatim incidit in ſoporem et conuulſiones; dilatato vulnere, vidit Cl. Auctor, quatuor fragmenta oſſis parietalis eſſe depreſſa, quae ſenſim ope trepani ſeparauit et vulnera, idoneis remediis tractata, intra aliquot menſes, ſaluo aegroto, coaluerunt.

p. 174. 6. Cl. DESHAYES *obſeruatio de glandula maxillari, quae, poſtquam in ſcirrhum tranſierat, intus ſuppurauit, atque pus per ductum ſaliualem* WHARTONI *emiſit.* Vir quidam iam per tres annos laborabat hoc tumore duro, e quo per anni ſpatium pus in os emanabat, ac fruſtra vſus erat extracto cicutae et emplaſtro VIGONIS. Cl. Auctor hunc tractauit electuario e ſapone Veneto, gummi ammoniaco, diagridio, kermes minerale et antimonio diaphoretico ac emplaſtro diabotano, ſed tumor hinc durior factus eſt, quem tamen infuſum chinae radicis et polypodii ſenſim emolliuit, effluxus puris ceſſauit et, applicato emplaſtro ſaponis, diabotani ac VIGONIS perfecta ſanatio ſucceſſit.

p. 178. 7. Cl. DELABROUSSE *obſeruatio de eryſipelate cum hydatidibus.* Foemina laborabat eryſipelate enormi faciei cum hydatidibus, ſero plenis; venaeſectio ter repetita eſt, vomitorium et purgans multum viſcidi eiecit et febrem mitigauit; hydatides, quae ſenſim ſanioſae fiebant, apta diaeta exſic-

caban-

cabantur et aegra tandem conualuit. Alia, eodem morbo correpta cum duritie faciei, ſimili modo tractata atque ſanata eſt, attamen remanſit vlcus ſuper os zygomaticum et palpebrae nimis contractae ſunt.

Menſe Martio.

3. Cl. PELISSON *obſeruatio de haemorrhagia periodica frontis virginis, quae ante tres menſes a fulgure laeſa erat.* Duae ſorores, in vno lecto cubantes, fulgure noctu valde vulnerabantur; prior laeſa eſt in media frontis parte, ad radicem naſi, ad mentum et inprimis ad clauiculam ſiniſtram; altera tacta eſt in vtraque clauicula et in pede. Cl. Auctor accerſitus, iis venam ſecauit, attamen aegrae nec remedia externa, vulneribus impoſita, nec lucem diei, nec candelae, ferre poterant, poſt aliquot hebdomadas ſponte receſſerunt vulnerum cruſtae et rubor ibi relictus eſt. Poſt tres menſes ſenſit natu prior, 26. annorum hora decima nocturna in media frontis parte inſignem calorem, ac poſt mediam noctem ruptum eſt vulnus, formataque cruſta, ceſſauit dolor; ſequente hebdomade rediit calor immenſus frontis eodem die ac hora, et ſecunda hora noctu rupta eſt vulneris cruſta, ſanguis cum ſero effluxit, ſimilique modo omni hebdomade ſequente in eadem hora ac die noua vulneris ruptura facta eſt, donec nouem rupturae, crucis formam referentes, in fronte aegrae conſpicerentur. Omni anno in ipſo die primae rupturae vulneris effluxus ſanguinis et ſeri copioſior eſt. Aegra iam duodecimo aetatis anno paſſa eſt menſtrua, quibus decimo quinto anno ſuppreſſis, incidit quolibet menſe per quatuor annos in ſyncopes et conuulſiones, quae ſemper per octo dies durabant, nec tum alimenta, nec medicamenta ſumſit. A quinque iam annis ſyncopes rarius acceſſerunt, ſemper

p. 227.

ſemper tamen praeceſſit difficillima reſpiratio et palpebrarum ecchymoſis.

p. 235. 4. Cl. LOTTINGER *obſeruatio de tumoribus ſcirrhoſis hepatis, extracto cicutae ſanatis.* Vir 45. annorum poſt febrem quartanam, citius ſuppreſſam, ſenſit dolores vagos abdominis, poſtea tumorem durum hepatis, ad duos pollices ſuper vmbilicum. Cum varia remedia parum efficerent, tandem Cl. Auctor praeſcripſit extractum cicutae in pilulis, incipiens a quatuor granis, ac totidem quotidie doſin augens; poſt decem dies tumor valde auctus ac durior redditus eſt, attamen poſt 24. dies decreuit, mollior factus eſt et quadrageſimo quinto die ruptus, effluxit materia griſea, ac vulnus, per ſex hebdomadas rite tractatum, coaluit, aeger vero, in maraſmum iniectus, ſenſim lacte aſinino plane curatus eſt.

p. 243. 5. *Epiſtola* Cl. AUDON *de nouo remedio febrium intermittentium.* Sumantur coffeae toſtae ac tritae drachmae ſex, coquantur in ſeſquiuncia aquae, donec eius dimidia pars relinquatur, reſiduo decantato addatur eadem quantitas ſucci citri et propinetur calide die apyrexiae ieiuno ventriculo, ac paulo poſt propinetur iuſculum. Euacuatio alui larga hinc produci ſolet et ſudor inſignis, qui morbum tollit.

p. 261. 8. *Epiſtola* Cl. TRUDAINE DE MONTIGNY *ad Marchionem* DE LA CHESNAIE, *ſiſtens obſeruationem de medela morſus viperae, ope alcali volatilis facta.* Puella 12. annorum morſu viperae in pede laborabat et totum crus ac femur in 36. horarum ſpatio maxime intumeſcebat et nigreſcebat. Cl. Auctor ſcarificauit calcem, eique ſal volatile Anglicum inſperſit, quo ſimul interne vſa eſt aegra, tam proſpero effectu, vt tumor breui tempore diminueretur et vulnus coaleſceret. Similem effectum ab vſu ſpiritus *eau de luce* dicti expertus eſt.

Menſe

Menſe Aprili.

2. *Obſeruatio de quinque infantibus fructu bella-donnae venenatis*, a Cl. BOUCHER. Puella vndecim annorum, alia quinquennis et pueri ſex, quatuor et trium annorum, ederant baccas belladonnae, ac vomitu, delirio, motuque conuulſiuo affligebantur; ſumſerunt multum olei et poſtea dedit Cl. Auctor cuilibet ſyrupum emeticum, deinde clyſmata emollientia leniterque laxantia, tandem potionem largam oxymellis, acetum vini, ſuccum citri et ſerum lactis, atque ventriculo impoſuit theriacam, ſpiritu vini dilutam. Interea victus aegrorum erat lac, ſerum lactis, panis albus et butyrum cet. Hoc itaque modo omnes ſenſim conualuerunt. p. 310.

3. Cl. MASARS DE CAZELLES *obſeruationes de nonnullis haemorrhagiis, ac praecipue de pilo in bulbo oculi ſiniſtri enato, qui ſaepius exſcindendus erat.* Foemina 32. annorum iam a pueritia ad mediam partem lateralem ſiniſtram oculi ſiniſtri tumorem, lentis magnitudine, rotundum, inter corneam et ſcleroticam poſitum, oſtendit, viſum vix laedentem. Anno decimo quarto aegrae e centro tumoris excreuit pilus ſenſim increſcens et corneam irritans, quo euulſo, ſucceſſit alius, atque per 18. annos mox vnus, mox duo pili hinc progerminabant, vnde patet, hunc tumorem ſiſtere capſulam membranoſam, pinguedine refertam, ex qua pilus enatus eſt. Poſt euulſionem pili interdum oriebantur dolores ob vaſorum irritationem. Suaſit igitur Cl. Auctor, vt, pilo caute euulſo, guttula ſpiritus vini in locum inſertionis inſtillaretur, ac bulbus deinde aqua plantaginis cum pauco liquore ſaturni mixta lauaretur. Eadem aegra nuperrime a violenta cephalalgia liberata eſt per haemorrhagiam ſpontaneam partis mediae inferioris frontis, qua ceſſante, ne veſtigium quidem loci eruptionis apparuit. Puer octennis e p. 332.

timore

timore in febrem exanthematicam incidens, reddidit ſanguinem e naſo, ore et oculis, quotieſcunque iraſceretur, ac poſt 24. horas ortae ſunt metaſtaſes ſanguinis in lumbis regioneque epigaſtrica, et ophthalmia per ſeptem annos durans. Virgo phthiſica poſt haemorrhagiam narium vehementem lacrymas ſanguineas per duos dies, excreuit. Alius e medio genae ſanguinem reddidit. Alius haemorrhagia labii inferioris oris laborabat, quae omni aeſtate per menſis ſpatium redibat. Alius, affectione cerebri afflictus, poſt vſum hepatis lupi in puluere, ſaepius mictu cruento laborauit, eo tamen, pulueris vſu neglecto, ceſſante.

p. 366. 6. Cl. CHEMIN *obſeruatio de medela duarum cataractarum pilulis cicutae peracta.* Puer 13. annorum cataracta vtriuſque oculi laborans, atque parotidum obſtructione ac vlceribus pedum, poſt aptam praeparationem ſumſit pilulas cicutae, a doſi quatuor granorum, ſubinde ad viginti grana aucta, ac ſenſim viſus magis eſt reſtitutus, cataractae plane ſublatae, parotidum obſtructio reſoluta et vlcera ſanata ſunt.

p. 368. 7. Cl. DELABROUSSE *obſeruatio de hydatidibus.* Foemina per ſex menſes crebriorem vteri haemorrhagiam paſſa, maximeque inde debilitata eſt, abdomen valde intumuit, ac ſi grauida eſſet, tandem edidit maſſam ſanguinis, membrana leui, multisque hydatidibus plena, obuolutam, quae libras duas aequabat. Poſtea peperit filiam optima ſanitate praeditam.

Menſe Maio.

p. 408. 2. Cl. PLANCHON *obſeruatio de metaſtaſi lactea abdominis, cum ſymptomatibus malignis, primis diebus poſt partum exorta.* Foemina 33. annorum poſt partum laborioſum incidit tertio die in febrem

lacteam cum dolore regionis hypogaſtricae, qua ſenſim aucta, lochia ſupprimebantur et poſt venaeſectiones acceſſit eruptio miliaris rubra, deiectionesque lacteae, quae aegrae ſolatio erant et lactis ſecretionem adiuuabant. Decimo die poſt partum ſubito recidit in febrem cum inſigni frigore, ſudore ac dolore maximo regionis hypogaſtricae et tumore inflammationeque abdominis. Vinum rubrum, aqua mixtum et aqua hordei ei maxime profuit, nec minus epithemata emollientia et reſoluentia, clyſmata ſimilia et potiones diluentes, ac aegra deiectionibus bilioſis valde adiuta eſt. Die decimo quinto rurſus aucta eſt febris, poſteaque ſomnus et lochia redibant ac tumor abdominis imminuebatur. Die 22. ſqq. diarrhoeae lacteae increſcebant per ſex dies, ac earum ope tumor abdominis plane diſſipabatur. Sed poſtea acceſſerunt dolores haemorrhoidales, renumque ac regionis vteri et poſt aliquot dies effluxit ex vtero per quatuordecim dies materia purulenta alba, et aegra hinc ſenſim conualuit, interea ipſa infantem lacte ſuo nutriuit.

Menſe Iunio.

3. *Epiſtola prima* Cl. MARESCHAL DE ROUGERE *ſiſtens duas obſeruationes, quarum prior diſſerit de caro, ſuppreſſa tranſpiratione et vermibus exorto, altera de reunione digiti fere plane ſeparati.* Vicenarius, incaleſcente et ſudante corpore, balneo vtebatur, ac ibi mox ſenſit laſſitudinem totius corporis et paulo poſt, in lectum delatus, ſenſu et motu priuatus eſt, atque in carum incidit. Sumto emetico et ſecta vena, largae euacuationes ſurſum deorſumque ſunt ſecutae, quo facto motus liberiores reddebantur, carum tamen excipiebat coma ſomnolentum, quod repetita venaeſectio et purgans anthelminticum, quod multos vermes ſubduxit, tolle- p. 516.

bant

bant ſenſimque aegrum ſanabant. Alius inſtrumento acuto indicem ſiniſtrae manus in articulo phalangae primae et ſecundae tantopere laeſit, vt ipſe, diſciſſis tendinibus muſculi extenſoris et flexoris, vix duas lineas cum parte vicina cohaereret. Coniunxit Cl. Auctor vtramque digiti extremitatem, eaſque ligauit, aſperſa aqua Alisburgenſi, alteroque die iam inuicem cohaerebant; quamquam vero aeger tertio die caſu inopinato eas denuo ſepararat, tamen ſimili ligandi methodo, eadem aqua, et ope ſemicanalis lignei, in quam digitum immittebat, plenaria coalitio digiti ſine ſuppuratione vel cartilaginum laeſarum exfoliatione conſecuta eſt.

p. 521. 4. EIUSDEM *epiſtola ſecunda, ſiſtens tres obſeruationes de taenia.* Tricenaria iam per octo annos languore, deliquiis, vertigine, diarrhoeis agitata, ſumto infuſo anthelmintico, varios vermes eiecit, ac ſumto deinde bolo e mercurii dulcis et rhabarbari ana ſcrupulo vno, diagridii granis duodecim, et ſyrupo abſinthii, taeniam emiſit, atque conualuit. Alium ſcrupulo vno ipecacuanhae a taenia liberauit Cl. Auctor. Alia vſu ptiſanae corticis radicis mori et filicis ac boli, e mercurii dulcis ſcrupulo vno, diagridii ſcrupulo ſemis, radicis filicis, corticis radicis mori ana ſcrupulo vno, compoſiti, duas taenias eiecit.

V.

Vermiſchte Bemerkungen und Unterſuchungen der ausübenden Arzneywiſſenſchaft, dem Druck übergeben von GEORGE HEUERMANN. *Zweyter Band. Koppenhagen und Leipzig, verlegts Gabriel Chriſtian Rothens Wittwe und Profft.* 1767. 8. 15. *Bog. m. K.*

i. e.

Miſcellaneae annotationes et diſquiſitiones medico practicae traditae a GEORGIO HEUERMANN. Tom. II.

Refert hic Cl. Auctor, vti in prima huius libri parte eſt pollicitus*), varias obſeruationes clinicas aeque ac chirurgicas, ab eo partim collectas, partim ab aliis communicatas, quarum maxima pars chirurgiam ſpectat. Selegimus haec:

Lue venerea, quam non ex America proueniſſe, ſed antiquiorem et ab aëris peruerſitate primum deriuandam eſſe arbitratur, eiuſque hiſtoria veterum non minus, quam recentiorum ductu perluſtrata, venit ad methodum medendi huic morbo. Atque p. 20.
hic potiſſimum confugit ad vſum mercurii et pertractat varias eius exhibendi methodos. Quas omnino in duo diſpeſcit genera, quorum vnum ſaliuationis effectum ſpectat, alterum venerei miaſmatis extinctionem ſine ſaliuatione attinet. Praefert Cl. Auctor ſaliuationem, inunctione excitatam, lente progredientem diuque durantem, reliquis modis. Nec minus autem ſaliuationem poſſe excitari per mercurii

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 301.

rii volatilitatem in iis, qui ibi, vbi mercurius adhibetur, morantur, exemplis comprobat Cl. Auctor. Nimiam ſaliuationem coercuit ſpiritu vitrioli, ſulphure vero et camphora, cum puluere lumbricorum mixta, eam non ſedauit. In cadauere, durante ſaliuatione, mortuo, callus in ambitu vueae ortus eſt. Ad diarrhoeas, inter vſum mercurii ortas, ſedandas, exhibet vomitoria aut opiata, quae ne loco ſaliuationis oriantur, octies ſublimatum mercurium dulcem, bene accurateque tritum, ſuadet. Caeterum ſublimatum corroſiuum laudat et omnino monet, nimium calorem, mercurialibus datis, ſemper aegris officere.

p. 59. Mercurio conſiderato, in alia luis venereae remedia inquirit atque de virtute ligni ſancti, venereae materiae radicitus e corpore eliminandae, dubitans, tutius eſſe contra eam remedium, a KALMIO iam laudatam lobeliam ſiphiliticam perhibet, cuius ſpeciem, deſcriptionem et vſum accurate Noſter tradit. Poſſumus autem haec eo lubentius ſilentio praeterire, cum in actorum ſcientiarum regiae Academiae Suecicae volumine vndecimo, a nobis recenſito, ea, quae KALMIUS de lobeliae definitione ac vſu ibi *) propoſuit, excerpſerimus et alibi **) quoque eius virtutis mentionem fecerimus, nec non eadem a Ill. LINNAEO ***) iam relata ſint in amoenitatibus academicis.

p. 70. De nucum ſeu fabarum genere, quod Africani, ac praecipue Guineenſes, ad luem veneream eliminandam adhibuerunt, monet, nucleos recentes, cum ſeminibus ricini conuenire, et laxanti vi praeditos eſſe; duobus enim ſumtis, octies aluum eſſe depoſitam Cl. Auctor obſeruauit. Cernitur itaque earum virtus

*) Vid. Commentar. noſtr. Vol. III. p. 273.
**) Vid. Comm. noſtr. prim. decad. ſuppl. I. p. 107.
***) Vol. IV. diſſ. LXXII. p. 527. v. Comm. noſtr. l. c.

tus aeque ac lobeliae in purgandis primis viis. Poſſe autem hoc modo luem ſanari, comprobat Noſter ex compoſitione mercurii cum purgantibus, vt conſueto contra luem veneream remedio et quaerit ideo: annon et alia euacuantia luem exſtinguerent? Qua de re inſimulque de externis venereis excreſcentiis et vlceribus, fore, vt in poſterum quid tradere queat, Noſter ſperat.

Inter varia, quae hic proponuntur, contra calculos remedia, aquam calcis, medicamentum STEPHENS, ſaponem et thermas Carolinas praecipue Cl. Auctor conſiderat et parum his remediis ſe effeciſſe aſſerit. Saponi tribuit vim viſcidi, quo calculus eſt circumdatus, reſoluendi, et nonnulla narrat exempla, vbi ſapo dolorum lenimen attulit. Vuam vrſi et arenariam, quas cum ſtrobilis pini, roremarino, allio et ſaponaria coniunxit atque iis, qui diſpoſiti erant ad calculos, ſine magno fructu adhibuit. Omnino autem ad praeſeruandum idonea, partim ob vim diureticam, partim ob acidi copiam proponit vegetabilia. Verum ex his remediorum effectibus et ex experimentis, cum calculis extra corpus inſtitutis, omnia haec poſſe quidem aliquid conferre ad materiam calculoſam expellendam et ad calculos, leviter cohaerentes, reſoluendos, attamen ſi duri ſunt calculi, nihil ab iis poſſe exſpectari et ſolummodo ad auxilium chirurgicum confugiendum eſſe affirmat. p. 74.

Mercurium, quem LE DRAN ad plumbum in veſica vrinaria reſoluendum, propoſuit et in aliis corporis humani cauis, plumbo repletis, poſſe adhiberi, aſſerit. p. 101.

De epiciſtotomia ſeu ſectione hypogaſtrica, quae et apparatus altus alias dicitur, feliciter inſtituta. p. 105.

Collecta per tres noctes, dum vrethram ligabat, vrina, feliciter operationem ita, vti ſolet, inſtituit et, praeterlapſis tribus hebdomadibus, puerum duodecim annorum penitus reſtituit. Qua data occaſione, reliquas lithotomiae ſpecies conſiderat, easque praeter hanc in tres diuidit, nimirum in vrethrotomiam, vrethrociſtotomiam et hypociſtotomiam, omnesque has poſtponendas epiciſtotomiae et in feminis vnice eam eſſe eligendam probat. Hoc non ſolum ex partibus, quae diſſecandae ſunt, ſed etiam ex ſymptomatibus, quae ſequuntur, in tribus his memoratis lithotomiae ſpeciebus apparet. Haec ſi cum ea methodo, quae apparatus alti nomine venit, comparantur et obiectiones contra eum iuſto modo diiudicantur, facilem exſpectat Cl. Auctor aſſenſum. Ac propterea deſcribit has methodos, ſecandi calculoſos ac inprimis de apparatu alto variorum ſententias et emendationes collegit.

Quo facto obſeruationes aegrorum, epiciſtotomia curatorum, tradit et calculorum figuras in addita tabula dedit. Quae offert ſex figuras calculorum, quorum quinque epiciſtotomia ſunt exemti et inter hos maximus vncias tres, duas drachmas et totidem ſcrupulos ponderabat, minimus vero, vſu pilularum ſaponacearum, ex remedio STEPHENS et ſapone compoſitarum, ſine magno dolore exiit.

Tum noua methodus ventralium herniarum reponendarum hic proponitur. Multis modis Cl. Auctor poſtquam repoſitionem herniae ventralis in grauida fruſtra tentauerat, ſitu aegrae bene diſpoſito, appoſuit tumori, quam proxime poterat, quatuor cucurbitulas, quibus tumor ſenſim imminuebatur et preſſione abdominis, verſus diaphragma dextra manu facta, nonnullisque digitis ſiniſtrae tumori impoſitis, preſſione abdominis repetita et cucurbitulis laterali-

bus,

bus, ab alio, qui Noſtro auxilium ferebat, denuo applicatis, ita feliciter ſucceſſit repoſitio, vt aegra partum ſanum et maturum ederet. Addit propterea hic ventralium et vmbilicalium herniarum deſcriptionem et, quoniam incarcerationem ventralium fortiorem eſſe oportere patet, quam earum, quae per aperturam quaſi, vt inguinales, fiunt, primum ad earum originem, quam quaerit in ſeparatione fibrarum muſcularium, per vim illata, et ad repoſitionem, nimia fibrarum muſculoſarum ſtrictura admodum difficilem, ſupra deſcripta per cucurbitulas methodo, quae praecipue in relaxandis muſculis cernitur, facilitandam reſpicit.

De hernia lumbari, quae, variis cataplaſmatibus appoſitis, ſponte aperiebatur, vbi lumbricus pennae ſcriptoriae craſſitie et octo pollicum longitudine inteſtinum perforauerat, ſuppurationem auxerat et vulneris ſanationem retardarat. Lumbrico autem detecto et remoto, aegra priſtinam recuperauit ſanitatem. p. 135.

Tradit hic Noſter varias tumorum, vulnerum et vlcerum internorum ac externorum in abdomine obſeruationes, inter quas nonullae ad ouarium pertinent. Diſcutit enim Cl. Auctor tumorem ouarii hoc modo: de die vſus Noſter eſt cataplaſmatibus emollientibus et noctu emplaſtro diſcutiente cum croco, interne dedit pilulas balſamicas STAHLII et infuſum theiforme ex floribus arnicae, bellidis cum radicibus, herba veronicae et ſeminibus foeniculi. p. 138.

De oſſium, inprimis capitis, fracturis, quarum nonnullae lethales erant et de formatione calli obſeruationes proponuntur. Inter quas fractura patellae, duas in partes ſeparatae, datis remediis antiſcorbu- p. 162.

ticis, in corpore cacochymico et venereo, feliciter ita ſanata eſt, vt aeger pedi iterum potuerit inſiſtere. Porro commemoratur fractura partis ſquamoſae oſſis temporum ſiniſtri, quod ita in multas diffractum erat partes, vt dura mater conſpici poſſet, qua aeger conualuit. Nec non ſanata eſt fractura occipitis, trepanatione quintum inſtituta.

p. 205. De luxatione femoris et quidem in ſuperiori parte nonnullas hic communicat Cl. Auctor obſeruationes, ideo, quoniam multi fuerunt, qui eam negarent, ac potius colli femoris fracturam, quam eius luxationem largirentur.

p. 210. De quibusdam colli vlceribus non frequentibus, quarum vna ſpecies vlcera cutanea ſingularia referebat, et altera vlcera carioſa vertebrarum colli complectebatur. Vlcera cutanea erant ſub mento cum tumoribus multis paruis et progrediebantur vſque ad confinia laryngis, ex quibus multa affluebat ſanioſa materia. Multo cum fructu applicabatur externe vnguentum ex floribus ſulphuris, baccis iuniperi et ſale ammoniaco et interne pilulae mercuriales adhibebantur.

p. 213. Vlcera carioſa vertebrarum colli, quibus ligamenta proceſſus odontoidei, arroſa erant et vlcera metacarpi, cuius quatuor oſſicula ita erant exeſa, vt facile ea ſtilo perforari poſſent, habebat aeger, qui antea febre tertiana laborauit, ac his affectus ſymptomatibus, ſemper mentis compos periit. Caput ab eo non libere huc et illuc poterat flecti, erecto tamen capite, illud ita ſeruabat. Simulac autem caput ab aegro ad latera flectebatur, eo nolente, caput illuc cadebat et tum atrociſſimos medullae ſpinalis dolores circa eius initium ſentiebat. Quapropter ille, quolibet corporis motu, caput ambabus manibus amplecti et hoc modo eius aequilibrium tueri tenebatur.

Vt

Vt itaque cauſſa huius debilitatis, quae Cl. Auctor alibi quaeſiuit, quam ſectio cadaueris docuit, et vtilitas proceſſus odontoidei cum ſuis ligamentis, quam vrget Noſter, appareant, quaedam, ſectionem cadaueris concernentia, commemoremus. Abdomine aperto, glandulae meſentericae obſtructae et induratae, hepar durum, veſicula fellea ſolito maior, inteſtina liuida et laxa deprehendebantur. Splen duplo propemodum maior et pancreas durum erat. Sterno reclinato, pulmones cum pleura huc et illuc erant concreti et cor in dextro ventriculo magna cruoris impletum quantitate, id quod Noſter non raro in mortuis, febre diu correptis, obſeruauit. Nec quidquam praeternaturale tandem, cranio ſeparato, in cerebro, in quo tamen omnis debilitatis cauſſa latere videbatur et, quod ideo accurate ab Auctore eſt examinatum, reperiebatur. Cerebello autem paullulum eleuato, circa foramen magnum occipitis praeternaturalis apparebat, capite ad latus flexo, eminentia dura, quae, capite in ſitum rectum directo, iterum euaneſcebat. Qua eminentia diligenter diſquiſita et dura matre caute diſſecta, proceſſus odontoideus, ſuis vinculis orbatus, hic conſpiciebatur multo pure circumdatus. Externis dein partibus diſſectis, iuxta vertebras colli quatuor apparebant vlcera, craſſum et foetidum pus, quod totidem vertebras colli, ac quidem primas, arroſerat, largiter continentia et ſat firma membrana inueſtita. Vnde Cl. Auctor, pus progredi in contextum celluloſum, illudque externe conſpici non potuiſſe, concludit.

Narratur hic de ictero, ex male curata febre quartana profecto, vbi centum et triginta et quod excurrit, hydatides, diarrhoea oborta, egeſtae ſunt, ac aeger, remediis idoneis adhibitis, priſtinam nactus eſt ſanitatem. p. 227.

 Finem

p. 230. Finem faciunt harum obſeruationum deſcriptiones nonnullorum monſtrorum, quae plerumque hermaphroditi et *ἀνδϱόγυνοι* dicuntur. Inter quae in tabula et illud a GAUTIER iam exhibitum, conſpicitur, quoniam Noſter illud ad muliebre refert genus.

VI.

Recueil d'obſervations de médecine des hôpitaux militaires. Fait & redigé par Mr. RICHARD DE HAUTESIERCK, Ecuyer, Chevalier de l'Ordre de Saint-Michel; prémier Médecin des champs & armées du Roi; Inſpecteur général des hôpitaux militaires de France, & ayant la correſpondance des mêmes hôpitaux & des autres du royaume où l'on recoit des ſoldats malades; médecin conſultant du Roi, & ordinaire des grande & petite Ecuries; de l'Univerſité de Médecine de Montpellier, & des Académies de Gottingue & de Béſiers. Tome premier. A Paris de l'imprimerie royale. 1766. 4. 3 Alph. tab. aen. 1.

i. e.

Collectio obſervationum medicarum ex noſocomiis militaribus. Facta et in ordinem redacta a RICHARDO DE HAUTESIERCK.

Magni ambitus magnaeque vtilitatis opus indicamus, ſi in inſtituto, vt coeperunt, pergant auctores. Factum enim eſt voluntate Illuſtriſſimi Ducis DE CHOISEUL, qui a conſiliis Regis Galliae eſt, vt ii, qui artem medicam et chirurgicam in noſodochiis

dochiis militaribus aliisque noſocomiis, in quibus etiam milites aegroti ſuſcipiuntur, variis in Galliae locis exercent, inſtituto inter ſe atque ſeruato quodam commercio epiſtolico, ſuas obſeruationes inuicem communicare iuberentur. Ex hoc mandato medici et chirurgi horum noſocomiorum Pariſiis, tanquam eum locum, in quo conuenire illa omnia atque colligi debent, commentarios mittere tenentur, de aëre, aquis, ſolo aliisque conditionibus vrbium, in quibus noſodochia militaria inſtituta ſunt, quatenus haec omnia ad ſanitatem et morbos incolarum harum vrbium relationem quandam habent. Praeter hos vero commentarios ſingulis quoque menſibus debent communicare obſeruationes ſuas de morbis maxime frequentibus his ipſis menſibus, de morbis epidemicis hominum et brutorum et de caſibus rarioribus et nouis, quos in praxi ſua obſervarunt. Cl. autem HAUTESIERCK ex hac commentariorum obſeruationumque copia delectum quendam faciet, omniaque in aptum ordinem rediget, ſingulisque annis volumen obſeruationum medicarum ex noſocomiis militaribus imprimi curabit.

In praefamine voluminis primi, quod, quantum ſcimus, ad hunc vſque diem non ſecutum eſt alterum, Cl. DE HAUTESIERCK ideam facit totius huius inſtituti et mandata, a Duce DE CHOISEUL vulgata, communicat.

Inter commentarios ipſos primum locum tenet libellus Cl. FOURNIER *de ſitu, aëre et aquis vrbis Monſpelii*, qui de auctoris ſui doctrina arteque ſcribendi egregie teſtatur et medicis, qui ad hunc modum ſitum, aërem etc. vrbium, in quibus praxin exercent, obſeruare et deſcribere cupiunt, normae et exempli loco eſſe poteſt. Cum tamen limites nobis praeſcripti vix permittant, vt ex his ſequentibusque commentariis ea, quae diaeteticam ſpectant, comme- p. 1.

 moremus,

moremus, praecipuas tantum obſeruationes medico-
clinicas indicabimus.

p. 17. Hunc libellum excipiunt *cautiones, quibus in no-
ſocomio Monſpelienſi, Hôtel de Dieu *dicto, communi-
catio et progreſſus morborum contagioſorum impe-
diuntur.*

p. 21. *Obſeruationes de morbis in hoc noſocomio anno hu-
ius ſeculi ſexageſimo tertio maxime frequentibus.* Morbi
epidemici indicantur et methodus medendi breuiter
deſcribitur.

p. 40. *Obſeruationes de pluribus morbis ſingularibus.* Foe-
mina atreta a decimo quinto aetatis anno catamenio-
rum loco ſingulis menſibus haemorrhagiam vaſorum
p. 52. haemorrhoidalium ex ano experta eſt. Tetanus poſt
caſum ab alto et refrigerio inſigni ortus, adhibitis
remediis emeticis et purgantibus, atque anthelmin-
ticis, quorum ope lumbricorum copia expellebatur,
p. 55. feliciter ſanabatur. In homine, qui olim mictu
cruento laborauerat, calculus, circa grumum ſangui-
p. 60. nis condenſati formatus, ſectione extractus eſt. Aeſti-
vo tempore boues in confiniis vrbis Monſpelii ſatis
frequenter carbunculis afficiuntur, quibus etiam ho-
mines, qui eorum curam habent, aut qui carne ho-
rum animalium veſcuntur, corripi ſolent. Idiopa-
thice quoque eiuſmodi carbunculi oriuntur in ho-
minibus, qui ſaburram in primis viis habent, quae
etiam, inprimis ſi calor inſignis aeſtiuus et labores
nimii malam humorum diſpoſitionem augent, totam
humorum maſſam inficit. Vt plurimum lethales
putantur, plurimos tamen, in quibus eiusmodi car-
bunculi externe tantum orti fuerant, Auctor Cl. ſa-
nauit. Occupant enim etiam viſcera, vt cerebrum
et pulmones et frequentius adhuc ventriculum in-
teſtinorumque canalem. Vſus vero eſt Cl. Auctor
venaeſectione, emeticis, purgantibus et cardiacis.
Ipſos carbunculos non cauſticis deſtruit, quae im-
probat,

probat, ſed ferro omne, quod gangraena corruptum et induratum eſt, reſecat, vulnusque deinde digeſtivorum vſu ad largam ſuppurationem diſponit. In p. 62. colica figulina opinioni eorum, qui, reiteratis emeticis, morbum hunc iugulare quaſi volunt, minime fouet, ſed leniori potius incedit via et emetica tantum, ſi particularis indicatio accedit, adhibet; qua ratione ex omnibus aegris, hoc morbo laborantibus, quos per plures annos in noſocomio ſuo tractauit, ne vnicum quidem amiſit, ſed omnes perfecte ſanavit. Si in morbis putridis lingua ſicca et indurata p. 69. eſt, mucoque nigro obducitur, óleum oliuarum potui aquoſo diluenti iungit, quo eius ope cruſta haec reſoluatur, reſorptioque liquidorum ingeſtorum adiuuetur. Leniter quoque oleum hoc aluum in his morbis, vbi violentiora remedia nocent, ſubducit.

Catalogus mortuorum et obſeruationes in cadaueribus factae. In homine quartana rebelli laborante p. 70. et ſubito extincto, rupturam lienis, qui magnitudine ſua valde auctus erat, Cl. Auctor reperit. Cyſtocelem quoque vaginalem in prolapſu vaginae latentem, in foemina, quae etiam hernia inguinali in vtroque latere laborabat, Cl. FOURNIER obſeruauit, p. 110. qualem, quantum ſcimus, nemo praeter Cl. VERDIER deſcripſit.

Has obſeruationes Cl. FOURNIER excipit libellus Cl. DE LOISY *de ſitu, aëre et aquis vrbis Cabilloni* (Challon ſur Saone) humido minusque ſalubri loco ſitae. p. 111.

Obſeruationes de variis morbis, EODEM auctore. p. 125. In his inprimis eae, quibus febris quaedam contagioſa epidemica, putrida et verminoſa, quae in vico *Buxy* et vicinis locis an. 1763 graſſata eſt, nec non epidemia varioloſa anni 1764, quam Cl. DE LOISY Cabilloni obſeruauit, deſcribuntur, notatu dignae ſunt.

Tertius

p. 152. Tertius commentariorum eſt tractatus Cl. DE
LA BERTHONYE *de ſitu, aëre et aquis Portus Te-*
p. 164. *lonienſis* (Toulon). Huic adiectae ſunt *obſeruationes*
de rheumatiſmis et febribus catarrhalibus in noſodochio
militari Portus Telonienſis menſe ian. et febr. 1763
p. 169. *obſeruatis* et *hiſtoria morbi epidemici, quo gallinae* men-
ſe maio 1763 *laborarunt*, in quibus ſcilicet ex eſu
frumenti humidi et corrupti, quo nutriebantur, vl-
cera in ingluuie orta ſunt.

p. 172. *Commentarius de ſitu, aëre et aquis Inſulae* (Lille)
auctore Cl. DESMILLEVILLE. Additae ſunt *ob-*
ſeruationes de variis ſpeciebus pleuritidis, quae menſe
ianuario et februario anni 1763 in hac vrbe graſſa-
bantur. Praeter communem inflammatoriam etiam
ſaepius eam ſpeciem obſeruauit, in qua cum inflam-
matione, putrida biliosa febris, quae a ſaburra, in pri-
mis viis haerente, oritur, coniuncta eſt, atque poſt
venaeſectionem emetica et euacuantia requirit, quo-
p. 193. rum ope haud raro vermes quoque expelluntur. Po-
tu aquae corruptae hirudines in ventriculum inge-
ſtae ſunt, quae poſt dolores atrociſſimos tandem vo-
mitoriorum ope reiectae ſunt.

p. 196. *Commentarius de ſitu, aëre et aquis vrbis Bidiſci*
(Bitche), in Lotharingia ſitae, auctore Cl. LAN-
DEUTTE. Adiectae ſunt duarum ſectionum hiſto-
riae. In cadauere hominis, qui inſignem copiam
liquorum ſpirituoſorum vinique ingeſſerat, ventricu-
lus gangraena correptus erat. In alio ex metaſtaſi fe-
brili pus et vlcera in encephalo obſeruauit.

p. 215. *Commentarius de ſitu, aëre et aquis Argentora-*
tenſibus, auctore Cl. RENAUDIN, ampliſſimus eſt
commentarius, ſpeciales tamen morborum hiſtorias
non continens.

p. 265. *Breuis de natura et viribus aquarum Spadanarum*
diſputatio. Auctore Cl. DE HORNE. Conſcripta
eſt in vſum militum Gallicorum, qui tempore vlti-

mi

mi belli his aquis vſi ſunt; nil vero noui continere videtur.

Obſeruationes clinicae menſibus ſeptembri et octobri p. 274. *an.* 1764 *Burdigalae factae*, a Cl. BETBEDER. Continent obſeruationes de diarrhoea bilioſa, quae hepatitidem comitabatur et venaeſectionum ope ſanabatur: de vomitu cruento in febre continua: de diarrhoea dyſenterode: de hydrope anaſarca, totum corpus occupante, purgantium draſticorum ope in puero octo annorum ſanato: de affectionibus eroticis ſiue furore vterino, in cuius paroxyſmis ſemper clitoridis inſignis intumeſcentia obſeruabatur. Adiectae p. 290. ſunt *obſeruationes clinicae* menſe dec. 1761 et ian. 1765 *factae* EODEM auctore. Enarrantur hiſtoriae ſynochi putridi cum diarrhoea bilioſa: colicae ſaturninae etc.

Obſeruationes in noſocomio S. Andreae Burdigalae p. 305. an. 1765 *factae*. Auctore Cl. BONIOL. In ſcorbuto vſum lactis, oryzae ſimiliumque remediorum diluentium et acrimoniam ſanguinis inuoluentium inſigniter laudat, et remediis, vulgo ſic dictis antiſcorbuticis praefert. Morbum quoque deſcribit in inſulis Americae, Gallorum ditioni ſubiectis, endemium, quem *Malingres* vocat. Vlcera ſunt cutanea ſatis rebellia in extremitatibus potiſſimum inferioribus, quae ex obſeruatione Auctoris noſtri, ex morſu inſectorum in corporibus cacochymicis oriuntur.

Obſeruationes clinicae in noſocomio Montelimartenſi p. 331. *factae* an. 1765. Auctore Cl. MENURET. Inter eas p. 343. inprimis notatu digna eſt obſeruatio de pure reſorpto et per tuſſim atque vrinam excreto, in abſceſſu pectoris latente, poſt vulnus male tractatum orto; quae ſpontanea excretio, in aegro adeo iam debilitato, vt empyematis operationem chirurgi inſtituere nollent, contingens, illum praeter omnem ſpem ad ſanationem perduxit.

Hiſtoria

p. 349. *Hiſtoria hydropis pectoris et effectuum paracenteſeos in vtroque pectoris latere inſtitutae*, auctore Cl. LURDE. Quamquam aeger, in quo haec operatio facta eſt, poſt aliquod tempus obiit, Cl. tamen Auctor ex morbi hiſtoria et ſectione cadaueris probat, operationis huius ope plures forte aegros ſeruari poſſe, ſi ea non nimis tarde inſtitueretur. Non ſolum enim corruptio pulmonis et partium aliarum, in thorace ſitarum, cita aquarum emiſſione impeditur, ſed etiam haec ipſa humoris emiſſio medicinae locum facit, quam ille intus concluſus impedit. In ipſa vero operatione inſtituenda vſum acus triquetrae ſcalpello praefert, cum pulmonis laeſio ab aqua, inter pleuram et pulmonem effuſa, impediatur, pulmo pleurae in hoc morbo vix vnquam adhaereat et inciſione, qualis in empyematis operatione fit, productum vulnus nimis magnum ſit et dolorificum, atque difficulter ad ſanationem perducatur. In ſiniſtro latere punctionem non, vti nonnulli volunt, paullo inferius, quam in dextro latere inſtituendam eſſe, cum vtraque thoracis cauitas aequalem longitudinem habeat, neque ſiniſtra magis deſcendat, quam dextra, monet.

p. 375. Sequuntur *obſeruationes variae* a Cel. LE CAT communicatae. In duabus foeminis matre et filia ſubito, poſt morbum quindecim vel viginti horarum, demortuis, puſtulas gangraenoſas in ventriculo et inteſtinis reperit, cumque ex vicinis non comperire potuerit, noxii aliquid ab iis cibi loco adſumtum eſſe, nimis forte praecipitanter concludit, nouo aliquo morbo eas foeminas correptas fuiſſe, quem ob aliquam puſtularum harum cum variolarum puſtulis analogiam *variolas gangraenoſas*, *meſentericas* et *ſtomachicas* vocat. Cum iunior ex his foeminis eo, quo morbo hoc corripiebatur, tempore menſtruata eſſet, etiam vterum paullo curatius examinauit, viditque

internam

internam eius ſuperficiem tegi tomento aliquo vil-
loſo, quod ex flocculis conſtabat, quos ſerum ex vaſis
vteri exſudans, condenſatum et orificiis adhuc adhae-
rens formabat. In ouario veſiculae multae aderant,
bruno colore praeditae et quaſi inflammatae. Tuba
ſiniſtra, praeternaturalem aperturam, quatuor quo-
que foraminibus pertuſa erat, quae in abdominis
cauitatem hiabant, ita, vt ouulum, conceptione facta,
non per tubam tranſire potuiſſet. Forte tamen a pu-
tredinoſa corruptione producta fuerunt. Vlcus pha- p. 381.
gadaenicum praeputii glandis et vrethrae ex cauſſa
venerea Noſter ſanauit, in qua antigangraenoſa me-
dicamenta nil praeſtiterunt, ſed exſiccantia et ad-
ſtringentia ſatis vtilia fuerunt. Communicantur p. 388.
quoque hiſtoriae vlceris, ad angulum oculi maiorem
ſiti et vlceris ſcirrhoſi in mamma, quod vſu externo
ſucci ſedi minoris (*la petite joubarbe*) ſanauit. In
cancro mammae egregios effectus ab vſu extracti
cicutae vidit, licet exſtirpatio tumoris, deinde ab Au-
ctore Cel. inſtituta fuerit. Nec minori cum fructu
illud poſt operationem dedit. Vlcera in oeſophago p. 400.
et aſpera arteria lethalia vidit, quae epidemica vocat,
licet tres tantum aegros ſimilibus fere ſymptomati-
bus affectos viderit et in vna tantum ſectionem ca-
daueris inſtituerit. Poſt ſaliuationem forte e ductu p. 403.
excretorio aliquo glandulae ſublingualis clauſo, fiſtu-
la oriebatur in collo, cuius fundus inter radicem lin-
guae et epiglottidem penetrabat. Inciſione facta,
calloſitates abſtulit et cum vulnus clauſum iterum
aperiretur, cauſtica fundo fiſtulae applicauit, ſicque
perfectam vulneris ſanationem obtinuit. Hac occa-
ſione cannula deſcribitur, quae, ſi noua ſaliuae via, in
ductu ſaliuali morboſe clauſo, paranda eſt, forte adhi-
beri poſſet.

Hiſtoria morbillorum epidemice Burdigalae 1765 p. 410.
graſſantium, auctore Cl. BETBEDER. Non inte-

gra

gra eſt, ſed continuatio eius in volumine ſecundo promittitur. Plurimas morbillorum ſpecies pro varietate ſymptomatum et diuerſa morborum complicatorum indole recenſet.

Adiectae ſunt huic libro *formulae medicamentorum noſodochiis militaribus adaptatae, digeſtae, auctae*, auctore RICHARDO DE HAUTESIERCK, quae latina lingua conſcriptae ſunt, et iam in Germania prodierunt *). Formulae ſatis bonae ſunt: medicamenta ad pharmacopoeam Pariſienſem praeparata. Additus eſt catalogus medicamentorum ſimplicium et compoſitorum, quae in noſodochio militari pro ducentis aegris trium menſium ſpatio neceſſaria ſunt.

VII.

Eſſai ſur la digeſtion et ſur les principales cauſes de la vigueur, de la durée de la vie etc. par Mr. BATIGNE, D. M. de la faculté de Montpellier etc. à Berlin chez Ge. Jacques Decker. 1768. 8. pl. 14. c. praef.

i. e.

Tractatus de digeſtione deque praecipuis vigoris et durationis vitae cauſſis etc. Auctore Cl. BATIGNE.

Quum digeſtionis negotium, ob magnam vim, quam in reliquas functiones omnes habet et ob inſignem varietatem modorum, quibus in diuerſis animalibus, pro organorum alimentorumque differentia, perficitur, digniſſimum ſit, quod accuratius cognoſcatur: collaudandum inprimis eſt ſtudium Cl. Auctoris, qui, quae ad hanc actionem in homi-

*) Ienae et Lipſiae 1763. 8.

hominibus aeque atque in brutis illuſtrandam faciunt, experimenta et obſeruationes anatomico-phyſicas, a ſummis viris factas, diligenter collegit, examinauit, diiudicauit, ſuis cum obſeruationibus contulit, atque adeo bene diſpoſuit, vt libellus iſte, ceu egregium huius doctrinae compendium inde enaſceretur.

Aditum ſibi ad tractationem parat indagatione cauſſarum celeris adeo intra nouiſſima duo ſecula hiſtoriae naturalis incrementi, omniaque hac in re tribuit cultorum illius obſeruandi, obſeruatisque recte vtendi peritiae. Ad ipſum deinde inſtitutum accedens, digeſtionem primum in genere contemplatur. Chylum appellat veram extractionem earum par- p. 6.
tium, quae in alimentis ope liquorum aquoſorum et ſaponaceorum ſolui poſſunt. Principia vegetabilium p. 7.
aromatica, ſalina, ſaponacea, acida et ſubtiliora alia chemicis incognita, non nutrire quidem, vt mucilago nutrit et gelatina, ſed ita tamen prodeſſe nobis oſtendit, vt mucilaginis lentorem corrigant et attenuent, neruis excitatis, vaſorum oſcillationem iuuent, digeſtionem a languore defendant et ſalis microcoſmici iacturas reſarciant. Porro docet, quam arduum ſit, aeſtimare vim liquorum digerentium in alimenta, ſeparatam inprimis a vi organorum. Indicat horum ſuccorum varietatem indolemque ſaponaceam. Percurrit hypotheſes auctorum de digeſtione, iisque ſuo modo refutatis, digeſtionem dicit p. 27.
actionem naturalem, ad quam trituratio in ore vel ventriculo plus minus neceſſaria eſt, in qua alimenta a liquoribus aquoſis, lymphaticis, maxime vero ſaponaceis ita penetrantur, diuiduntur, ſoluunturque, vt ex illis, accedente calore, organorum efficacia et motu reſpirationis alterno extrahi poſſit chylus, liquor plerumque albus, blandus facileque aceſcens. In quo quidem parando, quum diuerſa animalia di-

verſa ratione vtantur, pro organorum digerentium alimentorumque diſcrepantia quatuor condit eorundem claſſes.

p. 32. Prima claſſis continet hominem et animalia cuncta, facultate maſticandi ventriculoque vno, tenui ſatis et membranoſo muſculoſo inſtructa, adeoque quadrupeda omniuora, carniuora, plurimaque herbis frugibusque veſcentia. Deſcribit Cl. Auctor ſtructuram noſtrorum organorum digerentium, eamque cuiuscunque generis alimentorum aſſumtionem nobis permittere, demonſtrat. Examinatis denique conuenientiis atque diſcriminibus, quae noſtra et animalium organa intercedunt, quam attente natura cuique animali proſpexerit et quomodo, quae deficere videntur, rependerit, multo cum ſtudio decla-
p. 42. rat. In macerato oeſophago humano vidit ſtratum fibrarum longitudinalium aliis plus minus obliquis interſectum, ſub quo latebat aliud ſtratum tantum non circularium ſimilibus vbique intercurſum fibris. Negat proinde fibras ſpirales, quas tamen a STENONE in quibusdam vere viſas eſſe, hominum, qui ruminaſſe perhibentur, exemplis motus, concedit.

p. 79. Ad ſecundam claſſem animalia ruminantia refert, quae inſtrumenta maſticationi minus, quam prioris claſſis, apta habent, herbis paſcuntur, ventriculumque membranaceo-muſculoſum, ſingularis ſtructurae inque plures cauitates diuiſum, obtinuerunt. Exponit Cl. Auctor ruminationis rationem et effectus, eiusque neceſſitatem ab exſucca alimentorum indole, inſigni eorum copia et a liquorum, in ore affluen-
p. 88. tium, inopia deriuat. Simile quid ruminationi etiam inſecta quaedam offerre notat, quorum quidem, herbis et radicibus veſcentium, ventriculus in plura loculamenta diuiſus reperitur.

p. 90. In tertia claſſe ponit animalia inſtrumentis maſticationis aut penitus priuata, aut iis vti neſcia, car-

niuora

niuora ceteroquin et praeter pauca, quorum ventriculus ad muſculoſi illius gallinarum robur accedit, ventriculo membranaceo muſculoſo donata; aues adeoque rapaces tum carniuoras, tum piſciuoras, magnam partem ſerpentum, plurima amphibia, omnesque propemodum piſces.

Quorum omnium digeſtionis ratione ſigillatim pertractata et obſeruationibus quibusdam de polypis adiectis ad quartam claſſem Cl. Auctor progreditur, cui animalia inſunt, maſticationis beneficio plane deſtituta, aues nimirum graniuorae ventriculoque forti et valde muſculoſo (*géſier*) praeditae. p. 120. Hanc claſſem, cum praecedente ſaepius confuſam, vindicat, organa, ſuccos, modumque digeſtionis graniuororum depingit, eorumque ventriculi robur tantum eſſe euincit, cuius efficaciae nullum alimenti genus ſubtrahere ſeſe poſſit.

Examinat deinde REAUMURII obſeruationes. p. 127. Demonſtrat liquorem amarum ſalſum et inflammabilem ab eo in ventriculo buteonis*) inuentum, nonniſi bilem fuiſſe, ſucco gaſtrico remixtam, quippe quae in auium carniuorarum ventriculos haud raro effunditur. Vituperat eundem, quod cunctis auibus rapacibus membranaceos tantum conceſſerit ventriculos, quum tamen ſint, qui valde muſculoſos habeant; neque opus eſſe aſſerit, adeo anxie quaerere diuerſam liquorum diſſoluentium naturam, ſed cum his ſemper organorum actionem ſimul conſiderari debere. Carnem a REAUMURIO tubis immiſſam et animalibus deglutiendam datam, nunquam veram mutationum, in ventriculo contingentium, notionem exhibere; macerari quidem, nunquam vero digeri. Neque in graniuoris Reaumuriana tentamina quidquam valere ad vim ventriculi ex tuborum, cibum continentium, compreſſione recte ae-

 ſtiman-

*) *Falco Melanaëtus* LINNAEI.

ſtimandam; quum vis huius organi, ad expellendum adeo peregrinum corpus adhibita, multo fuerit maior illa, quam grana, in ingluuie iam macerata et imminuta, poſcunt. Neque omnia in graniuoris tribuenda eſſe ventriculo, neque excludi debere praeparationem in ingluuie ſuccorumque affluentium actionem, ſine qua farina quidem, neutiquam vero chylus exiſteret. In ruminantibus denique inſtituta experimenta itidem non poſſe probari, quum herba tubis incluſa macerari tantum, non vero maſticari neque ruminari potuerit, quumque primus ruminantium ventriculus omnium minimum ad digeſtionem faciat, liquorem vero diſſoluentem ex iſto deſumtum ideo REAUMURIO minus ſalitum minusque efficacem videri oportuiſſe, quoniam in ruminantibus bilis, neutiquam, vt in auibus iſtis, ventriculo infunditur.

p. 138. His expoſitis, Cl. Auctor definit, quale vitae genus quam maxime nobis conueniat victusque animalis et vegetabilis mixti vſum commendat. Poſtea conſiderat effectus, qui ab alimentorum diuerſitate in homine brutisque producuntur et quatenus alimenta poſſint contribuere quicquam ad ferocitatem, fortitudinem, vigorem corporis, voracitatem vitaeque durationem, ex obſeruationibus certis indeque ductis probabilibus concluſionibus declarare intendit. Regulas denique praeſcribit, quibus homo longaeuitatis felicitatem comparare ſibi queat, quarum epitomen tradere, quum breuitas noſtra haud patiatur, in quibusdam tantum hinc inde decerptis obſeruationibus laudandis acquieſcamus.

p. 168. Monet Cl. Auctor longaeuitatem animalium non pendere a qualitate alimentorum, ſed a tarda partium euolutione, incremento corporis lento, circulatione placida, deſtructione non nimis rapida, vaſorumque minimorum non adeo praecoci obliteratione.

ne. Auium rapacium vitam multum prorogari vſu
aëris puri montani ipſoque volatu. In homine vi- p. 170.
tae diuturnae cauſſam eſſe vigorem primitiuum par-
tium organicarum, educatione ſobria, temperantia,
victu ſimplici, aëris ſalubritate, exercitio corporis
animique tranquillitate ſuſtentatum. Victum infan- p. 174.
tum maximam partem vegetabilem eſſe iubet, ciui-
tatum tamen quarundam morem, quo infantes ante
variolas, ſiue naturales, ſiue artificiales perpeſſas, ab
omni carnium eſu arcentur, non omni ex parte pro-
bat. Inter morbos ſenibus familiares podagram pro
vera affectione oſſium habet; quam rem, obſeruatio- p. 201.
nibus confirmatam, peculiari libello docturum ſe eſſe
promittit. Balnea calida auertendae futurae rigidi- p. 206.
tati aptiora eſſe aſſerit, quam praeſenti iam corrigen-
dae; tunc enim potius corpora ad hydropem diſpo-
nere. Inanem tandem reprehendit fiduciam eorum,
qui medicamentis vitam produci poſſe arbitrantur.

VIII.

Die Würkung des künſtlichen Magnets in einem ſeltenen Augenfehler, an die königliche Societät der Wiſſenſchaften nach Göttingen geſendet und jetzt durch einige andere Geſchichten von Augenbeſchwerden beſtärket von CHRISTOPH WEBER, *der Arzneygelahrheit D. und königl. Phyſicus zu Welsrode. Hannover* 1767. 8. 29 *Seit. nebſt einer Vorrede.*

i. e.

Effectus magnetis artificialis in rara quadam oculi laeſione regiae ſocietati ſcientiarum Gottingenſium traditus et aliis ophthalmiarum hiſtoriis confirmatus a CHRISTOPHORO WEBER.

Deprehendimus hic quatuor oculorum morbos ſpectantes hiſtorias, proſperrimum magnetis artificialis effectum declarantes. Vir nimirum ſeptuaginta et duo annorum, podagra et haemorrhoidibus fluentibus interdum laborans, poſtquam vehementer erat iratus, omnes res propriores videbat dupliciter, tripliciter, remotiores autem ſimpliciter oculo dextro, interdum lacrymante et tuſſi oborta dolorem ſentiente in eo, ſiue armato ſiue non armato. Siniſter vero oculus bene ſeſe habebat, ac omnia, dextro clauſo, iuſto viſu deprehendebantur. In aetate iuniori aeger dextri lateris dente canino cauo vlcus habebat, quod in fiſtulam abibat, quae, dente euulſo, ita ſanata eſt, vt illacrymatio crebra et viſus debilitas remanſerit. Quare et aeger oculo armato vſus eſt.

p. 7.

Huius aegri angulo ſiniſtro oculi laeſi applicabatur polus ſeptentrionalis artificialis magnetis, qui duo-

duobus minutis poſt magnum excitauit in oculo ſenſum frigoris. Magnete denuo adhibito, ſenſum frigoris habebat aeger adhuc maiorem, ac ſi glaciei quaedam pars oculo ineſſet. Quo ſedato, lancinans dolor oboriebatur. Tertia vice, ſemihorio praeterito, magnes apponebatur hac ſenſatione, ac ſi horologium mobile in oculo eſſet. Quo facto ante glandulam lacrymalem muci albi quaedam portio et poſt horam vltimi tentaminis vniuerſi oculi claritas, ſenſu cadentis ſtellae in oculo percepto, conſpiciebatur. Iubebat itaque Noſter continuare vſum magnetis et mox preſſionem, mox lancinantem et pulſantem dolorem, mox pruritum, ſcintillas, motum horologii, variasque tenſiones et oſcillationes, ſemper tamen cum frigoris ſenſu et largum tandem muci per oculum aeque ac per naſum effluxum ſentiebat aeger et viſus clarior reddebatur. Magnetis polus meridionalis multo debilior erat et omnino magnes, ſano cum oculo communicatus, nullos edidit effectus. Frigus porro non hoc ſolum effeciſſe (vti multi putant) probat ex experimentis, cum aliis frigidis corporibus fruſtra inſtitutis et tradit aegri obſeruationem, qui attendit, tempeſtate ſerena et libero in aëre magnetem, quoad frigoris ſenſum, plus effeciſſe, quam tempeſtate turbida ac aëre incluſo. Tandem autem magnes ſine vlla ſenſatione applicabatur et viſus erat iuſtus, debilitate naturali quaſi, vti ex ſuperioribus patet, excepta, quam facile aeger augere poterat, ſi multum vini ab eo potabatur.

Altera hiſtoria eſt iuuenis octodecim annorum, p. 18. oculorum inflammatione a refrigerio laborantis, cum dolore vrente et rubore, ciliorum tumore, copioſo lacrymarum acrium effluxu absque tamen febre, qui eodem modo iisdemque magnetis effectibus, ſi addis ſaliuam, quae copioſe, dum applicabatur, in ore confluebat, ſanatus eſt. Acceſſit et hoc,

quod magnes, auri appropinquatus, magnum ſtrepitum, ebullientis aquae et ſuccuſſus electrici ſenſum, quem et alii audire poterant, proderet. Magnete remoto, magna ei indurati aurium ceruminis pars adhaerebat.

p. 23. Tertia et quarta hiſtoria continet obfuſcationem oculorum cum pertinaci capitis dolore in femina annoſiori, quae bis magnete ab eodem malo eſt liberata et in ſene ſexaginta annorum ſummam viſus debilitatem, quam ſuſtulit magnes.

IX.

CAROLI a LINNE' Syſtema Naturae per tria naturae regna, ſecundum claſſes, ordines, genera, ſpecies cum characteribus ac differentiis, Tomus II. editio duodecima reformata. Holmiae apud L. Saluium 1767. 8 mai. Alph. 2. accedit mantiſſa plantarum, generum editionis VI. et ſpecierum editionis II. ibid. eod. plag. 9.

Cum de operis huius tomo primo, qui regnum animale comprehendit, alio tempore iam dictum ſit *), nunc et ea annotemus, quae vegetabile concernunt et quae partim noua, partim mutata in hac altera parte Ill. Auctor protulit. Quo autem id commode fiat, non ſyſtematis naturae editionem decimam, vel quae cum eadem conuenit, vndecimam cum hac noua comparemus, potius ad generum editionem ſextam et ſpecierum ſecundam reſpiciamus, quippe quae intermedio tempore prodierunt et quibus multa inſunt, et noua et emendata, in ſyſtematis editione decima non inuenienda, nunc neceſſario ſuis locis inſerta. De his autem nunc verba facere ſuperfluum eſſet, omnia enim haec alio tempo-

*) Vid. Commentar. noſtr. Vol. XV. part. 2. p. 322.

tempore annotata et expoſita fuerunt. In quibus itaque haec noua ab vltimis generum et ſpecierum editionibus differat et quae tanquam emendationes vel mutationes priorum operum aeſtimari debent, primo loco, deinde nouas acceſſiones, nullibi in huius Viri operibus deprehendendas, quanta in hac rerum multidudine fieri poterit breuitate, exponamus.

Genera ex ſede ſua remota et ad aliam claſſem amandata ſequentia occurrunt: refertur v. c.

Hartogia ex pentandriis monogyniis ad monoecia pentandria.
Cupania *) ex pentandriis monogyniis ad monoecia monadelphia.
Trianthema ex pentandriis digyniis ad decandria monogynia.
Velezia ex hexandriis digyniis ad pentandria digynia.
Styrax ex dodecandriis monogyniis ad decandria monogynia.
Moriſonia ex polyandriis monogyniis ad monadelphia polyandria.
Meſua ex polyandriis monogyniis ad monadelphia polyandria.
Brownaea ex monadelphiis endecandriis ad monadelphia enneandria.
Monnieria ex diadelphiis hexandriis ad diadelphia pentandria.
Cecropia ex dioeciis diandriis ad dioecia monandria.
Chara ex cryptogamiis ad monoecia monandria.

Nonnulla ciuitatis iura plane amiſerunt et ex generibus in ſpecies vel varietates tranſierunt, vt ſunt: *Microcos*, cuius vtraque ſpecies ad *Grewiam*, p. 602.
Tetragonotheca ad *Polymniam* et *Bucephalon* ad *Trophin* p. 576.

*) De qua tamen monet flores ſe non vidiſſe, et ſolummodo e figuris PLUMERII Monoecios iudicaſſe.

phin relata, *Orualae* autem genus, quod *Papiae* no-
p. 393. mine condiderat MICHELLI, ad *Lamium Orualam*, vt varietas abiit, quod enim in ſpeciebus dubie monuerat Ill. Auctor, idem Cl. BASSI obſeruationes, in horto Bononienſi loco vmbroſo rorido factae, confirmarunt. E contrario autem nonnullae ſpecies a generibus, ſub quibus hactenus comprehenſae fuerunt, ſeparauit et exinde peculiaria genera
p. 402. conſtituit Ill. Auctor. *Glycine abrus* nunc *Abrus precatorius* generico et triuiali nomine dicitur et praeter communes diadelphiarum decandriarum notas, diſtinguitur calice obſolete quadrilobo, lacinia ſuperiore latiore, filamentis nouem, baſi infima connatis, dorſo hiantibus et ſtigmate obtuſo; praeterea addit Ill. Auctor: *ſtatura et ipſa facies diſtincti generis plantam eſſe ſuadent, quibus accedunt ſemina*
p. 509. *pulcherrima, maxime deleteria.* Ex *Myrto Leucaden-*
p. 458. *dro*, *Melaleucae*, ex *Sida capitata* et *radiata*, *Malachrae*,
p. 659. ex *Actaea cimicifuga*, *Cimicifugae*, ex *Lobelia cheiran-*
p. 419. *tho*, *Manuleae*, et ex *Aſparago dracone*, *terminali et*
p. 246. *graminifolio*, *Dracaenae* genus ortum duxit, quorum
p. 315. definitiones, occaſione mantiſſae notabimus; *Triopteris* et *Hiraea* inter ſe ſexta generum editione iuncta, nunc iterum in duo ſunt diſtincta et definitio, nomine *Triopteris* in ſexta editione exhibita, nunc *Hiraeae* tribuitur, quae vero in quinta ſub *Triopteri* data fuit, denuo nunc repetitur et eidem generi additur.

Aliae porro ſpecies eiuſmodi quidem permanſerunt, aſt a genere ſuo ſeparatae et ad aliud relatae fuerunt, hinc

fuit	et	nunc eſt:
Schoenus *ſpathaceus*	–	Cyperus alternifolius.
Schoenus *lithoſpermus*	–	Carex *lithoſperma.*
Feſtuca *ſerotina*	–	Agroſtis *ſerotina.*
Aira *criſtata*	–	Poa *criſtata.*

Anchuſa

fuit	et	nunc eſt:
Anchuſa *Orientalis*	–	Lithoſpermum *Orientale.*
Brunia *uniflora*	–	Dioſma *cupreſſina.*
Brunia *leuiſanus*	–	Protea *leuiſanus.* *)
Sedum *rubens*	–	Craſſula *rubens.*
Commelina *criſtata*	–	Tradeſcantia *criſtata.*
Lonicera *Marilandica*	–	Spigelia *Marilandica.*
Amaryllis *Zeylanica*	–	Crinum *Zeylanicum.*
Paſſerina *ſericea*	–	Gnidia *ſericea.*
Crotalaria *alba*	–	Sophora *alba.*
Erica *daboecia*	–	Andromeda *daboecia.* **)
Buchnera *Africana*	–	Rhinanthus *capenſis.*
Geniſta *purgans*	–	Spartium *purgans.*
Trifolium *fruticans*	–	Ononis *trifoliata.*
Cytiſus *pſoraloides*	–	Indigofera *pſoraloides.*
Pſoralea *cytiſoides*	–	Indigofera *cytiſoides.*
Artemiſia *minima*	–	Ethulia *diuaricata.*
Centaurea *fruticoſa*	–	Staehelina *fruticoſa.*
Serratula *chamaepeuce*	–	Staehelina *chamaepeuce.*
Anthemis *millefolia*	–	Chryſanthemum *millefoliatum.*
Tanacetum *ſuffruticoſum*	–	Cotula *tanacetifolia.*
Tanacetum *fruteſcens*	–	Eriocephalus *pectinifolius.*
Verbeſina *proſtrata*	–	Cotula *proſtrata.*
Verbeſina *alba*	–	Cotula *alba.*
Xeranthemum *erucifolium*	–	Centaurea *radiata.*
Dioſma *ciliata*	–	Hartogia *ciliaris.*
Dioſma *lanceolata*	–	Hartogia *lanceolata.*

Dioſma

*) Ita denuo tranſiit in genus, quod in ſpecierum edit. I. nomine *Proteae fuſcae* eandem receperat et ab hoc in ſpecierum edit. II. erronee ſeparata fuit.

**) Numero partium, cum calix et corolla quadrifida, ſtamina octo et capſula quadrilocularis ſint, ad *Ericam* quidem accedere, ſed habitu *Andromedam* referre, miſſo per COLLINSONUM ſpecimine, cognouit Ill. Auctor.

fuit	et	nunc eſt:
Dioſma *pulchella*	–	Hartogia *pulchella* *).
Parietaria *Zeylanica*	–	Vrtica *alienata* **).
Trichoſanthes *punctata*	–	Feuillea *trilobata.*
Bryum *capillare*	–	Mnium *capillare.*
Fucus *pauonicus*	–	Vlua *pauonica.*
Tremella *auricula*	–	Peziza *auricula.*

Species alias in ſuis prioribus generibus quidem reliquit, nouis tamen nominibus inſigniuit Ill. Auctor; cumque ex reiteratis obſeruationibus nunc hi, nunc alii characteres magis pateant et ex comparatione ſpecierum inter ſe differentia certior et clarior elucefcat, omnino hanc, quam in determinandis et ſuis characteribus definiendis ſpeciebus adhibuit indefeſſam operam Archiater, maxime aeſtimamus et ex inde pretium huic editioni ſummum acceſſiſſe, concedimus, cur vero triuialia, ex arbitrio botanici conſtruenda et compendii cauſſa tantum inuenta, ſaepiſſime mutauerit et prioribus, a ſe Ipſo excogitatis et aſſumptis, alia ſubſtituerit, rationem nullam videmus. Vtriusque mutationis exempla facile quidem commemorare poſſemus, cum vero nimia ſit ſpecierum copia, quibus ſpecificum nomen, vel parum modo mutatum, vel nouum plane impoſuit, eas omnes ſicco pede tranſeamus et modo exempla quaedam illarum, in quibus triuiale nomen mutatum fuit, enumeremus. Sic

Sper-

*) Huius flores quidem hermaphroditos eſſe, fructum vero trilocularem et germinis cornua ſingula duabus glandulis terminata, monuit Auctor.

**) Planta ſemper virens ex floſculis maſculis, dum ſcilicet duo inter ſe iuncti ſint calice quadripartito et quatuor ſtaminibus praediti, *Vrticam*, ex femineis autem, quorum quilibet duobus maſculis adſidet, ſtylo vno pubeſcente inſtructus et fructu ſulcato monoſpermo *Parietariam* refert.

Spermacoce *corymboſa*,	dicitur	*procumbens.*
Ludwigia *perennis*,	–	*oppoſitifolia.*
Campanula *decurrens*,	–	*perſicifolia.*
Rheum *vndulatum*,	–	*rhabarbarum.*
Portulaca *paniculata*,	–	*fruticoſa.*
Adanſonia *Bahobab*,	–	*digitata.*
Amaryllis *ciliaris*,	–	*guttata.*
Spondias *purpurea*,	–	*Mombin.*
Spondias *lutea*,	–	*Myrobalanus.*
Meſembryanthemum *acinaciforme*,	–	*falcatum.*
Draba *muralis*,	–	*nemoroſa.*
Securidaca *ſcandens*,	–	*volubilis.*
Ononis *ſpinoſa*,	–	*aruenſis.*
Filago *pygmaea*,	–	*acaulis.*
Paſſiflora *digitata*,	–	*ſerrata.*
Liquidambar *aſplenifolium*,	–	*peregrina.*
Piſonia *mitis*,	–	*inermis.*

In nonnullis denique triuiale nomen mutationem
poſtulabat, quia in ſpecierum editione altera vnum
idemque duabus aliquando ſpeciebus impoſitum fue-
rit; ita ibidem *Iuncus filiformis* duplex occurrit, p. 250.
quorum alterum nunc *inflexum*, alterum *filiformem*, p. 366.
et *Ciſti* duplicis *piloſi* alterum *villoſum*, nominauit.
Hunc autem diuerſimode in ſpecierum opere com-
miſſum et nunc ſollicite emendatum errorem, et-
iam in hanc ſyſtematis editionem aliquando irrepſiſ-
ſe, fateri quidem debemus; cum vero ſub repetito
triuiali nomine vera etiam ſpeciei definitio bis
occurrat, lineam alteram excludendam eſſe, fa-
cile cognoſcimus, id quod de *Agroſti pumila*,
Rhus tomentoſo, *Scutellaria alpina* et *Hedyſaro
Styracifolio* Ipſe Auctor vltima pagina monuit,
idem de *Scabioſa maritima*, *Sida iamaicenſi* et *Ser-
ratula babylonica*, licet in hac characteres ſpecifici
quadantenus differunt, valere debere, exiſtimamus.

De

De varietatibus etiam notandum, ſpecies quasdam locum ſuum amiſiſſe et aliis adpoſitas, alias autem, pro varietatibus antea venditas, nunc, vt ſpe-
p. 52. cies ſeparatas fuiſſe. Ad has pertinet *Salicornia Virginica*, ramis oppoſitis indiuiſis, ſpica longa articulata terminatis, ab *herbacea*, quae etiam in Vir-
p. 175. ginia creſcit, diuerſa. *Capſicum fructu minimo*, *fruteſcenti* in ſpeciebus additum, nunc ſeparatur et antea *fruticoſum* nunc *baccatum* et varietas huic addi-
p. 195. ta, *fruteſcens* dicitur; *Beta cicla*, antea ad vulgaren relata, nunc eo nomine et floribus ternis calicisque foliolis baſi inermibus, ab eadem, quae flores congeſtos, calicisque foliola baſi dentata gerit, diſtinguitur; *maritima* etiam confirmatur, floreſcentia primo anno, foliis obliquis, floribus geminis et calicis foliolis ſua carina aequalibus, nec vnidentatis.
p. 508. *Citrus decumanus* a *citro aurantio* foliis obtuſis emarginatis, fructibus magnis, floribus magis racemoſis
p. 408. et racemis ſubtomentoſis differt. *Chelone glabrae* varietas, ex obſeruatione MILLERI et propter radicem minus repentem, folia latiora, profundius ſerrata et flores purpureos, nomine *obliquae* ſingularem obtinuit locum.

Plura etiam proſtant exempla ſpecierum, quae in varietates tranſierunt. Ita

Feſtuca *maritima*	ad	Poam *criſtatam* *).
Galium *laeuigatum*	–	Galium *ariſtatum*.
Erica *gnaphalodes*	–	Ericam *ſpumoſam*.
Paſſerina *laeuigata*	–	Gnidiam *oppoſitifoliam*.
Gypſophila *aggregata*	–	Arenariam *tetraquetram*.
Leonurus *indicus*	–	Phlomidem *Zeylanicam*.
Heſperis *dentata*	–	Siſymbrium *burſifolium*.

Cytiſus

*) In ſpecierum edit. II. *Aira criſtata* nominata; et *feſtuca maritima* cultura in hanc tranſiiſſe dicitur. Aſt aut nunquam feſtuca fuit, aut tranſmutatio graminum in alia genera inde confirmatur.

Cytiſus *Aethiopicus* ad Ononidem *cernuam.*
Andryala *ſinuata* – Andryalam *integrifoliam,*
Artemiſia *nilotica* – Cotulam *anthemoidem.*
Quercus *gramuntia* – Quercum *Ilicem.*
Polypodium *luſitanicum* – Polypodium *leptophyllum.*

referuntur; ad *Hieracium pyrenaicum* in ſyſtematis editione X. adductum et in ſpeciebus omiſſum, denuoque receptum, quatuor problematice amandantur varietates, ſcilicet 1) *Hieracium Blattarioides* et 2) *Picris pyrenaica* LINN: 3) *Crepis auſtriaca* JACQUIN. et 4) *Hieracium foliis amplexicaulibus minute ſerratis acutis* HALL. *heluecticum.* L. *Arctotis calendulacea* floſculis radiantibus ſterilibus, foliis runcinatis ſubtomentoſis definita, ſub ſe comprehendit 1) *Arctotim Calendulam* floſculis radiantibus ſterilibus duodenis ſubintegris. 2) *Arctotim triſtem* floſculis radiantibus ſterilibus quadripartitis. 3) *Arctotim ſuperbam* floſculis radiantibus ſterilibus quinquepartitis diuerſam, ſimulque 4) aliam varietatem, *hypochondriacam* dictam, floſculis radiantibus ſterilibus trifidis, media inflexa et 5) *coruſcantem* floſculis radiantibus ſterilibus tripartitis, exteriore trifido praeditam.

p. 523.
p. 578.

Quibus nunc memoratis ea porro enumeranda forent, quae noua huic editioni addidit et quibus numerum generum et ſpecierum auxit Ill. Auctor. Sed de his occaſione mantiſſae aptior dicendi locus erit; hinc modo emendationes quaſdam generum, iamiam ſtabilitorum et obſeruationes nonnullas excerpamus. In *Lauro borbonia* calicem triphyllum, petala tria, ſtamina nouem, tribus interioribus vtrinque glandula ad baſin notatis et ſtaminis decimi rudimentum; in *Rhizophora mangle* calicem quadrifidum, petala quatuor, ſtamina octo, in *Sanguinaria* ſtamina fere ſine antheris polliniferis; in *Stratiote aloide* denuo omnes flores hermaphroditos, in *Hebenſtreitia*

p. 280.
p. 325.
p. 359.
p. 373.
p. 420.

ben-

benſtreitia dentata corollam, ſtaminibus, ipſi margini fiſſurae impoſitis, ſingularem, floresque mane inodoros, meridie foetidos, veſperi ambroſiacos, in
p. 638. *Hura* intra ſingulas ſquamas amenti maſculi calicem cylindricum breuiſſimum truncatum, corollam nullam, filamentum ſanguineum ſub apice bis terue tuberculis verticillatum et antheras duas bifidas, ſin-
p. 61. gulo tuberculo immerſas; in *Gratiola monnieria* ſtamina quatuor antherifera et ſtigma capitatum; in
p. 74. *Melothria pendula* flores tandem duos maſculos her-
ib. maphroditis mixtos; in *Ortegia*, *Polycarpo* affini, ſtigmata tria pubeſcentia diſtincta ſingula ſtylo craſ-
p. 129. ſiora et in *Buſonia* ſtamina nunc quatuor, nunc
p. 319. modo duo obſeruauit, in *Grielo* ſtamina omnino de-
p. 169. cem adeſſe monuit, *Elliſiae* denique baccam didymam, ſeminibus in ſingulo loculo duobus tribuit Ill. Auctor. Haec in comparatione huius operis cum generum et ſpecierum vltimis editionibus, tanquam emendationes et mutationes, obſeruauimus et, quo acceſſiones cognoſcat Lector beneuolus, nunc ad mantiſſam progrediendum eſſet; vt enim praefixus huic titulus declarare videtur, noua omnia in hac collecta fuiſſe et hinc ex eadem ſola generum et ſpecierum editiones locupletari poſſe exiſtimari poſſet; et certe genera multa, in ſyſtemate modo memorata, in mantiſſa curatius definiuntur, ſpecierumque plurimae, in illo recenſitae, in hac quoque repetuntur et plerumque deſcribuntur, attamen et duo in ſyſtemate deprehendimus noua genera, multasque nouas ſpecies, de quibus in mantiſſa nulla facta eſt mentio, immo et quaedam notauimus, in ſpecierum vltima editione memorata, in ſyſtemate, ſi recte vidimus, plane omiſſa. In ſyſtemate non occurrit v. c.

Lycopſis *echioides.*	Malua *abutiloides.*
Conuoluus *obſcurus.*	Lupinus *integrifolius.*
— — *terreſtris.*	Indigofera *racemoſa.*

Cin-

Cinchona *caribaea.*
Hyoſcyamus *reticulatus.*
Philyca *cordata.*
Gentiana *aphylla.*
Phyllis *indica.*
Iuſſiaea *pubeſcens.*
Craſſula *portulacaria.*
Aletris *farinoſa.*
Caeſalpina *braſilienſis.*
Aconitum *cammarum.*
Thalictrum *petalodeum.*
Pſoralea *aphylla.*
Citrus *trifoliata.*
Eupatorium *macrophyllum.*
— — *ſophiaefolium.*
Aſter *aurantius.*
Anthemis *montana.*
Verbeſina *mutica.*
Buphthalmum *durum.*
Arethuſa *capenſis.*
Calla *orientalis.*
Carex *axillaris.*

Praeter has ſpecies *Rhodone* quoque et *Barrerae* genus in ſyſtemate inuenire non potuimus.

In ſyſtematis autem et annexae mantiſſae comparatione acceſſionum plures, in priori enarratas, in altera deficere, immo et quaſdam huic ineſſe, fruſtra in illo quaerendas, cognouimus; ita in ſyſtemate tantum generis *Codon* et *Reſtio* dicti characteres exhibentur. *Codon*, authore ROYENO, gerit flo- p. 292.
res facie *Atropae belladonnae* albidos, extus decem ſtriis purpuraſcentibus notatos et calicem monophyllum decempartitum, foliolis alternis breuioribus, corollam monopetalam campanulatam, limbo decempartito aequali, nectarium ex ſquamis decem, vnguibus ſtaminum inſertis, receptaculum tegentibus, ſtamina decem, ſtylum vnum, ſtigmata duo, fructum bilocularem et ſemina plurima, in pulpa exſiccata colorata. *Reſtio* pertinet ad dioecia trian- p. 735.
dria, maris et feminae calix conſtat ſquamis imbricatis vnifloris, in ſpicam digeſtis, ſex petalis, ſquamis calicis breuioribus, feminae ſunt ſtyli tres et capſula ſexplicata, ſtylis roſtrata, trilocularis, ſemina oblonga. *Schoenus capenſis* antea dictus, genus hoc conſtituit. *Looſae* et *Spilanthi* genera, a IACQUI- p. 364.
NO condita, definitionibus additis repetiit Ill. Au- p. 533.
ctor, atque vltimum a *Bidente* palearum inprimis

 defectu

defectu differre monuit, ſpeciesque, *vrentem* et *inſipidam*, ab EODEM memoratas, in ſyſtemate quoque ſub *Spilanthi* nomine recenſuit, priorem autem *vren-*
p. 116. *tem* in mantiſſa ad *Cotulam* amandauit et *Cotulam ſpilanthum* nominauit.

Species multae, in nullo Auctoris opere hactenus memoratae, quae vel nouae prorſus ſunt, vel ex IACQUINO, GERARDO, GOUANO aliisque deſumtae, in ſyſtemate inueniuntur, earumque plurimae repetitae in mantiſſa deprehenduntur, plures autem in hac fruſtra quaerimus, in priori tantum inueniendas. Omnes recenſere nimis longum foret, quaſdam, triuiali nomine et primario charactere notato, adduxiſſe ſufficiat.

Boerhaauia *anguſtifolia*	foliis linearibus.
Saluia *colorata*	calicis limbo membranaceo colorato.
Ixia *roſea*	ſcapo aphyllo.
Callicarpa *integrifolia*	foliis integerrimis.
Lonicera *dioica*	foliis omnibus connato-perfoliatis.
Sideroxylon *mite*	inerme, floribus ſeſſilibus.
Rhamnus *pentaphyllus*	ſpinoſus, foliis ternatis et quinatis.
Rauwolfia *tomentoſa*	
Aſclepias *vndulata* *)	foliis reuoluto-repandis piloſis.
Amaryllis *vndulata*	petalis vndulatis mucronatis.
Scilla *Luſitanica*	racemo conico, petalis lineatis.
– *hyacinthoides*	racemo longiſſimo, pedunculis coloratis.

Oenothera

*) Triuiali hoc nomine etiam in ſpec. edit. II. quaedam notata fuit planta, eademque et nunc ſub eodem nomine in ſyſtemate repetitur, hinc noua haec ſpecies aliud deſiderabit.

Oenothera *muricata*	caule purpuraſcente muricato.
Sophora *auſtralis*	foliis ternatis, ſtipulis enſiformibus.
Royena *villoſa*	foliis ſubtus tomentoſis.
Cactus *pitaiaya*	erectus triangularis.
Fragaria *monophylla* *)	foliis ſimplicibus.
Lecythis *minor*	foliis petiolatis lanceolatis.
Thymus *piperella*	pedunculis multifloris, foliis neruoſis integerrimis.
Scutellaria *hauanenſis*	corollae labio vtroque trifido.
Martynia *longiflora*	caule ſimplici, foliis orbiculatis.
Hebenſtreitia *cordata*	foliis cordatis ſeſſilibus punctatis.
Browallia *alienata*	foliis ſuperioribus oppoſitis.
Cleome *procumbens*	floribus hexandris, caule procumbente.
Goſſypium *religioſum*	foliis trilobis ſubtus vniglanduloſis.
Fumaria *nobilis*	caule ſimplici, bracteis flore breuioribus indiuiſis.
Hypericum *perfoliatum*	foliis amplexicaulibus ouatis, floribus ſeſſilibus.
Hieracium *incanum*	foliis integerrimis lanceolatis, ſcapo vnifloro.
Pteronia *oppoſitifolia*	foliis et ramis oppoſitis.
Chryſocoma *tomentoſa*	foliis ramisque tomentoſis.
Athanaſia *geniſtifolia*	foliis linearibus imbricato-patentibus.

*) Miſit Ill. Auctori plantam Cl. DUCHESNE, varietatem autem *veſcae* forte eſſe, cum folium primum ternatum ſit, attamen et ſcapum longiorem, petala minora et calices inciſos habere, monuit. In *veſca*, ſyluoſis locis enata, apices foliorum calicis inciſos ſaepe vidimus.

Xeranthemum *ſtaehelina*	pedunculis terminalibus vnifloris, foliis tomentoſis.
– – *variegatum*	floribus nutantibus, ſquamis calicinis maculatis.
Leyſera *paleacea*	foliis triquetris, apice calloſis.
Limodorum *altum*	floribus pedunculatis, barba in floribus nulla.

et aliae, inprimis multae *Lichenis* et *Fuci* ſpecies; e contrario *Leontodon dentatum*, *Cotula pyrethraria* et forte aliae in ſola mantiſſa occurrunt.

Nunc itaque ad mantiſſam progrediamur, quae inſignem vel nouiter inuentarum, vel perfectius determinatarum plantarum theſaurum continet; et primo quidem quadraginta quinque genera, conſueto more definita, animaduertimus, quae, quanta fieri poterit breuitate, repetamus. 1.) *Dialium:* calix nullus, petala quinque aequalia, ſtamina duo breuiſſima, ad receptaculi latus ſuperius ſita, germen ſuperum, ſtylus declinatus, ſtigma ſimplex, fructus ignotus. 2.) *Koenigia:* calix tripartitus, corolla nulla, ſtamina tria, ſtyli nulli, ſtigmata tria vel duo villoſa colorata, ſemen vnicum. 3.) *Scabrita:* calix monophyllus, tubuloſus, integerrimus, corolla monopetala hypocrateriformis, quadripartita, patens, lobis bilobis, ſtamina quatuor in medio tubi, germen ſuperum, ſtylus ſimplex, ſtigmata duo, ſemina duo apice biloba; 4.) *Cometes:* inuolucrum triflorum, tetraphyllum, foliolis ciliatis, calix tetraphyllus, corolla nulla, ſtamina quatuor, ſtylus ſimplex, ſtigma trifidum, capſula tricocca. *Dalechampiae* affinem plantam eſſe ſimul monuit Ill. Auctor. 5.) *Struthiola:* calix nullus, corolla monopetala, tubuloſa, quadripartita, glandulae octo, fauci corollae circumpoſitae, penicillo proprio cinctae, ſtamina quatuor intra tubum occultata, ſtylus vnus, ſtigma capitatum, ſemen

vnicum.

vnicum. Conuenit multum cum *Paſſerina* et ſpecies *erecta*, glabra, ſiſtit *Paſſerinam, dodecandram* in ſpeciebus dictam, altera *virgata*, pubeſcens, noua eſt. 6.) *Meſſerſchmidia:* calix monophyllus, quadripartitus, corolla monopetala, infundibuliformis, baſi globoſa, limbo quinqueſido plicato; ſtamina quinque in inferiori tubi parte, ſtylus breuiſſimus, ſtigma capitatum, bacca ſicca, vmbilico dentibus quatuor obtuſis cincto, bipartibilis, ſemina duo, intra vtramque partem fructus, oſſea, incurua, fuit *Tournefortia, ſibirica* in ſpeciebus dicta, eo autem generico nomine antea in horto Vpſalienſe memorata. 7.) *Nigrina:* calix monophyllus, inflatus, quinquedentatus, perſiſtens, corolla monopetala, infundibuliformis, quinquepartita, ſtamina quinque, tubi baſi inſerta, antheris baſi acutis et bipartitis, germen ſuperum, ſtylus vnus, ſtigma obtuſum, fructus forte capſula bilocularis, ſemina plurima. 8.) *Cyrilla:* a GARDENIO conſtituta, calix monophyllus, quinquepartitus, petala quinque, diſco villoſo, ſtamina quinque, ſtylus ſuperne craſſior, bifidus, ſtigmata glanduloſa, capſula ſtylo mucronata, bilocularis, biualuis, ſemina plurima. 9.) *Liſianthus:* genus a BROWNIO in Iamaicae hiſtoria iam definitum. 10.) *Plectronia:* calix monophyllus, obſolete quinquedentatus, clauſus ſquamulis quinque villoſis, petala quinque, calicis fauci inſerta, ſtamina quinque, ſquamis calicinis tecta, germen inferum, ſtylus vnus, ſtigma ouatum, bacca bilocularis diſperma; ſiſtit *Rhamnum fructu racemoſo* BURM: Afric. tab. 94. 11.) *Arduina:* calix quinquepartitus perſiſtens, corolla monopetala, infundibuliformis, tubo ſuperne incuruato, limbo quinqueſido, ſtamina quinque, tubo inferiori inſerta, ſtylus vnus, ſtigma bifidum, bacca bilocularis diſperma. MILLERUS characterem dedit generi et *Lycium ſpinis craſſis bigeminis* ab EO-

DEM tab. 300. pictum, huc refertur. 12.) *Cariſſa: Carandas* RUMPH. Tom. VII. tab. 25. Calix quinquepartitus minimus perſiſtens, corolla monopetala, infundibuliformis, quinquepartita, ſtamina quinque in ſummo tubi, ſtylus et ſtigma ſimplex, baccae duae biloculares, ſemina plura. 13.) *Paederia*: calix monophyllus, quinquedentatus, perſiſtens, corolla monopetala, infundibuliformis, quinquefida, intus hirſuta, ſtamina quinque e medio tubi, ſtylus bifidus, bacca fragilis, inflata, diſperma. *Conuoluulus foetidus* RUMPH. VI. tab. 160. characteres dedit. 14.) *Pergularia: Flos Pergulanus* RUMPH. V. tab. 29. f. 2. calix monophyllus quinquefidus, perſiſtens, corolla monopetala, hypocrateriformis, tubo cylindrico, limbo quinquepartito, nectaria quinque ſemiſagittata, in mucronem attenuata, incurua, baſi exteriore dente nutante, antherae quinque, corpuſculo truncato ſtigmatis immerſae, ouaria duo, ſtylli nulli, ſtigmatis loco corpuſculum truncatum; *Periplocae graecae* affinem eſſe et deſcriptio docet, et Ill. Auctor monuit. 15.) *Steris:* calix monophyllus, quinquepartitus, corolla rotata, quinquepartita, ſtamina quinque, antheris ſagittatis, ſtyli duo, bacca globoſa, vnilocularis, polyſperma. 16.) *Mahernia:* calix monophyllus, campanulatus, quinquefidus, petala quinque cordata, nectaria quinque obcordata, germen cingentia, ſtamina quinque, nectariis inſidentia, germen quinquangulare, ſtyli quinque, ſtigmata ſimplicia, capſula quinquelocularis, quinqueualuis, ſemina reniformia. Summam cum *Hermannia* habere affinitatem notauit Ill. Auctor et addidit: *nectaria demas petalis, eaque addas ſtaminibus, habebis Hermanniam, mira generica metamorphoſi.* 17.) *Dracaena:* calix nullus, petala ſex, aequalia, vnguibus cohaerentia, ſtamina ſex, vnguibus inſerta, baſi membranacea, medio craſſiora, ſty-

lus

lus vnus, ſtigma trifidum, bacca ſexſulcata, trilocularis, ſemina ſolitaria apice incurua. Habitu magis, quam charactere ab *Aſparago* diuerſum genus, a VANDELLIO conſtitutum. 18.) *Antichorus:* calix tetraphyllus, deciduus, petala quatuor ouata, longitudine calicis, ſtamina octo, ſtylus vnus, ſtigma obtuſum, capſula ſubulata, quadrilocularis, quadriualuis, ſemina plurima, truncata. *Corchoro* affine genus. 19.) *Chlora:* calix octophyllus, corolla monopetala hypocrateriformis, octopartita, ſtamina octo, fauci inſidentia, ſtylus vnus, ſtigmata quatuor, capſula vnilocularis, biſulca, biualuis, ſemina numeroſa; *Gentianae* affine genus. 20.) *Schmidelia:* calix diphyllus, coloratus, petala quatuor, ſubrotunda, ſtamina octo, germina duo, flore longiora, ſtyli duo breues, ſtigmata ſimplicia; fructus non ſatis cognitus. 21.) *Proſopis:* calix monophyllus quadridentatus, petala quinque, lanceolata, aequalia, ſtamina decem, ſtylus et ſtigma ſimplex, legumen longum, inflatum, vniloculare, ſemina plurima. 22.) *Chalcas: Camunium* RUMPH. V. tab. 17. calix quinquepartitus minimus, corolla pentapetala campanulata, ſtamina decem, ſtylus vnus, ſtigma capitatum, bacca oblonga, ſemina duo tomentoſa. 23.) *Forſkohlea:* calix pentaphyllus, perſiſtens, petala decem, calice dimidio breuiora, ſtamina decem, intra ſingula petala ſingula, germina quinque lanata, ſtyli et ſtigmata totidem, ſemina quinque lana intertexta. Numerum partium aliquando augeri et minui, floremque extricatu difficillimum eſſe, monuit Ill. Auctor. 24.) *Hudſonia:* calix triphyllus, tubuloſus, corolla nulla, ſtamina quindecim, ſtylus et ſtigma ſimplex, capſula cylindrica, calice dimidio breuior, vnilocularis, triualuis, ſemina tria. 25.) *Manulea:* calix quinquepartitus, perſiſtens, corolla monopetala irregularis, tubuloſa, quinquepartita, laciniis qua-

tuor ſuperioribus baſi connatis, infima reflexa, filamenta quatuor breuiſſima, antherae duae ſuperiores in fauce, duae inferiores intra tubum, (hinc ad didynamia refertur,) ſtylus et ſtigma ſimplex; capſula ouata, bilocularis, biualuis, polyſperma. *Lobelia cheiranthus* genus conſtituit. 26.) *Vandellia:* auctore BROWNIO, calix monophyllus, tubuloſus, quadripartitus, lacinia ſuprema ſubbifida; corolla monopetala, ringens, labio ſuperiore integro ouato, inferiore bilobo; ſtamina duo e diſco labii inferioris, duo ex fauce altiora, antherae per paria connexae; ſtylus vnus, ſtigmata duo membranacea; capſula vnilocularis, polyſperma; 27.) *Malachra:* calix communis ſubquinqueflorus, triphyllus, magnus, perſiſtens; paleae ſetaceae, calicibus propriis monophyllis, campanulatis, quinquefidis, interiectae geminae; petala quinque, ſtamina plurima, interne in cylindrum coalita; ſtylus quinquefidus; ſemina quinque ſubrotunda. 28.) *Saraca:* calix nullus, corolla monopetala infundibuliformis, quadripartita; lacinia ſuperiore remotiore; ſtamina ſex declinata, ternis baſi inter ſe connatis, germen pedicellatum, ſtylus declinatus, ſtigma obtuſum; fructus incertus; 29.) *Monſonia:* calix pentaphyllus, petala quinque aequalia, filamenta quinque ſemitrifida, antherae ſingulis tres, ſtylus columnaris, ſtigmata quinque, capſula pentagona, quinquelocularis; *Geranium flore ſingulari ampliſſimo* BREYN: genus conſtituit; 30.) *Melaleuca:* calix ſuperus quinquepartitus, petala quinque minuta, filamenta plura, longiſſima, in corpora quinque connata; ſtigma acutum; capſula colorata, veſtita calice baccato, integerrimo, trilocularis, triualuis, polyſperma. *Myrtus leucadendron* alias dictus, characterem dedit. 31.) *Hopea:* calix quinquefidus campanulatus, petala quinque concaua, filamenta plurima, baſi in quinque corpora

connata,

connata, antherae quadrangulares, germen inferum, ſtylus ſenſim incraſſatus, perſiſtens, ſtigma oblique depreſſum, drupa ſicca, gibba, calice coronata, nux trilocularis. Auctor generis eſt GARDENIUS, et *Arbor Lauri folio* CATESB. Carol. I. tab. 54. huc refertur; quae primo vere odore gratiſſimo floret et ad lintea et ſerica laete luteo colore tingenda ſuccus inſeruire ſolet. 32.) *Zoegea:* calix communis ouatus, ex ſquamis ciliatis et intimis ſcarioſis imbricatus; corolla monopetala compoſita radiata; flores lingulati in radio ſubquinquedentati, germine breuiſſimo tantum praediti, hermaphroditi in diſco quinquepartiti; anthera cylindracea, ſtylus longiſſimus, ſtigma bifidum, calix immutatus, pappo ſetaceo ornatus, continet ſemina, thalamo ſetoſo impoſita; *Centaureae* maxime affine eſſe genus, aſt florum corolla radio plano differre, monuit Ill. Auctor. 33.) *Gunnera:* amentum verticillatum, ſquamis monophyllis vnifloris, calix nullus, niſi cruſta ſeminis bidentata, corolla nulla, ſtamina duo, germinis bidentati lateribus inſidentia, (hinc gynandria) ſtyli duo, ſtigmata ſimplicia, ſemen vnicum, cruſta perianthina corticatum. *Petaſites Africanus* HERMANN. Lugdunob. 488. huc pertinet. 34.) *Stilago: Bunius ſatiuus*, RUMPH. III. tab. 131. calix integerrimus, ſubtrilobus, corolla nulla, ſtamina tria, germini inſidentia, (hinc gynandria) ſtylus perſiſtens, ſtigma verrucoſum, bacca globoſa. 35.) *Serpicula:* monoecia; floribus maſculis, calix minimus quadripartitus, petala quatuor oblonga, ſtamina quatuor: femineis, calix ſimilis, corolla ignota, germen ſulcatum, nux torulis octo cartilagineis exarata, vnilocularis, monoſperma. 36.) *Cicca:* monoecia. Vtrique calix tetraphyllus, corolla nulla, maſculis ſtamina quatuor, femineis ſtyli quatuor bipartiti, capſula ſubgloboſa, tetracocca elaſtica. 37.)

Leea: Auctore DAV. ROYENO, monoecia. Floribus maſculis calix campanulatus quinquefidus, corolla monopetala, quinquefida, aequalis, laciniis ſaccatis, nectarium baſi corollae adnatum, cylindricum, quinquefidum, lobis bifidis, ſtamina quinque, ſtylus ſimplex ſine germine; femineis calix et corolla eadem, nectarium quoque idem, ſed duplicatum, interiore minore; germen ſuperum, ſtylus ſimplex, ſtigma lacerum; fructus globoſus, ſexlocularis, ſemina ſolitaria. 38.) *Nephelium:* flores maſculi et feminei in racemo ſpicato mixti; prioribus calix campanulatus, quinquedentatus, corolla nulla, ſtamina quinque; femineis calix campanulatus, quadridentatus, dentibus duobus remotioribus, oppoſitis; corolla nulla, germina duo muricata, ſtyli duo incurui, inter germina enati, fructus bini, vniloculares, ſetis ſubulatis tecti, ſemina ſolitaria. 39.) *Gnetum: Gnemon domeſtica* RUMPH. I. tab. 71. Amentum e verticillis calloſis, ſubtus ſuffultis calice partiali peltato, orbiculato, integerrimo, qui floſculos continet ſeſſiles, inferne maſculos, ſuperne in eodem verticillo femineos; priorum calix eſt ſquama minuta, colorata, corolla nulla et filamentum vnicum duplici anthera praeditum; feminei calix ſquama lacera, corolla nulla, germen ouatum, receptaculo verticilli immerſum, ſtylus breuis, ſtigma trifidum, drupa vnilocularis, nux ſtriata. Dioicam ſtatuit RUMPHIUS, quam Ill. Auctor examinauit, planta monoica erat; vidit autem et amentum mere maſculum iuxta femineum floſculum. 40.) *Stillingia:* flores maſculi in ſpicam amentaceam digeſti; calix multiflorus, coriaceus, hemiſphaericus, integerrimus, corolla monopetala, ſenſim ampliata, ore lacero ciliato; ſtamina duo, apice diuaricata, baſi leviſſime coalita, (hinc monadelphia); feminei pauci ad baſin eiuſdem ſpicae, calix vniflorus, priori ſimilis, corolla

corolla dubia, germen inter calicem et corollam, ſtylus vnus, ſtigmata tria, capſula tricocca, trilocularis, calice ampliato cincta, ſemina ſolitaria, hilo transverſo exſciſſa. In honorem BENIAMIN STILLINGFLET, apud Anglos naturae conſulti acutiſſimi, plantam nominauit GARDENIUS, Carolinenſibus in ſiphilitide ſpecificam. 41.) *Caturus:* dioecia; mari calix nullus, corolla monopetala, tubuloſa, ſemitrifida, ſtamina tria; feminae calix tripartitus, corolla nulla, ſtyli tres pinnato-multifidi, colorati; capſula tricocca trilocularis, ſemina ſolitaria; flores maſculos minus diſtincte vidit Ill. Auctor; duasque huc retulit ſpecies, quarum 1.) eſt *Cauda felis* RUMPH. IV. tab. 37. f. 2. et 2.) *Boehmeria ramiflora* JACQUINI, de qua tamen dubitat, an ſit huius generis, an potius diuerſi. 42.) *Canarium:* dioecia; mari calix diphyllus, foliolis concauis, petala tria caliciformia, ſtamina quinque; feminae calix idem foliolis reflexis, corolla eadem, ſtylus vix vllus, ſtigma trigonum; drupa ſicca, ouata, baſi membrana crenata cincta, nux trigona. Eodem nomine plantam delineauit RUMPH. II. tab. 47. 43.) *Cimicifuga:* dioecia; vtrique calicis foliola quatuor ad ſex, ſubrotunda, concaua et corolla nulla; floribus maſculis ſtamina octodecim ad viginti; femineis filamenta plura deſinentia in antheras ſteriles emarginatas; germina quatuor ad ſeptem, ſtyli recuruati, ſtigmata longitudinalia; capſulae totidem, ſutura interiore dehiſcentes; ſemina duplici ſerie ſuturae adnexa, ſquamis exſtantibus obtecta; *Actaea cimicifuga* genus conſtituit, cui affinis, aſt petala nulla, capſulae plures, ſemina ſquamata ſexus differentiam conſtituunt. 44.) *Terminalia:* *Catappa* RUMPH. I. tab. 68. polygamia; flores maſculi racemi ſuperiorem partem occupant, calix quinquepartitus, ſtellatus, fundo hiſpido; corolla nulla

nulla, ſtamina decem, antheris interioribus bifidis; hermaphroditi flores inferiora racemi occupant, calice, corolla et ſtaminibus conueniunt, habentque germen inferum, ſtylum vnum et ſtigma acutum, drupam cymbiformem, latere ſuperiore depreſſo biſulcato et nucem oblongam laeuem; 45.) *Elais:* ex palmarum familia, a IACQUINO in Americ. Tab. 172. delineata et definita.

Sequuntur haec noua genera quatuor antiquorum emendationes; *Saccharum* in alio, quod obtinuit Ill. Auctor, ſpecimine, habuit calicis glumam biualvem, vnifloram, baſi barbatam et corollae glumam biualuem, ariſta dorſali torta praeditam, ſtylosque duos pennatos, ſtigmatibus plumoſis; *Trianthemae* calix pentaphyllus intus coloratus, corolla nulla, ſtamina quinque, decem, duodecim, ſtylus vnus vel duo, capſula circumſciſſa, loculis duobus ſuperioribus et duobus inferioribus, ſemina ſolitaria ſeu bina. *Chara* ex obſeruatione Cl. SCHREBERI eſt monoecia; floris feminei calix tetraphyllus, foliis oppoſitis duobus exterioribus longioribus, corolla nulla, ſtylus nullus, ſtigma quinquefidum, cruſta vnilocularis, vnicum ſemen, ſpiraliter ſtriatum, continens; maſculus flos ſimilem calicem gerit et vnam antheram, antice germini feminei floris extra calicem ſubiectam. *Hartogia* quoque monoecia eſt; maris calix pentaphyllus, petala quinque vnguibus calice duplo longioribus et ſtamina quinque, in femineis intermixtis idem calix et eadem corolla, filamenta quoque quinque antheris ſterilibus onuſta et quinque alia caſtrata, germen triquetrum, angulis in mucronem deſinentibus, ſtylus vnus ſtigma capitatum, capſulae tres connexae, ſemina ſolitaria.

Genera nunc excipiunt ſpecies, nomine tantum in ſyſtemate enarratae, nunc plerumque deſcriptionibus, aliisque, quae ad earum cognitionem pertinent,

nent, illuſtratae; ex illis quaſdam adduxiſſe ſufficiat.
Inter *Saluiae* ſpecies ſex nouas recepta eſt *aegyptiaca,*
foliis oblongis repandis, calicibus ſpinoſis, bracteis cor-
datis mucronatis concauis; quae *Horminum Syriacum* p. 25.
C. B. P. 238. ſub ſe comprehendit. Verticillos ge-
rit vtrinque trifloros, ſeſſiles et calix, fructus aridus,
dentibus ſubulatis, vt in hyoſcyamo, pungentibus, in-
ſtructus eſt. *Moraea iridioides, foliis gladiatis,* MIL- p. 28.
LER. Icon. tab. 239. f. 1. vix differt ab iride, peta-
la modo tria interiora non ſunt erecta, ſed patentia.
Cornucopiae alopecuroides, ſpica ariſtata, cucullo he- p. 29.
miſphaerico recepta; Italica planta, ſingulari nota, vr-
ceolo ſcilicet hemiſphaerico, integerrimo, folioſo,
qui inſtar calicis communis ſpicae baſin cingit, faci-
le diſtinguitur; *Scabioſa palaeſtina, corollulis quinque-* p. 37.
fidis radiantibus, laciniis omnibus trifidis, foliis indiui-
ſis ſubſerratis, ſummis baſi pinnatifidis, a *ſtellata,* cum
qua ſemine conuenit, diuerſa. *Cornus alba, arbo-* p. 40.
rea, ramis recuruatis, cymis nudis; cornum ſylueſtrem
fructu albo AMMAN. Ruth. ſiſtit et *corno ſangui-*
neae ſimillima, rami autem, vt et ſtolones ex radice
enati, recuruantur et procumbunt. *Fagara octan-*
dra, foliis tomentoſis eſt *Elaphrium tomentoſum* JAC-
QUIN. Amer. tab. 71. *Oldenlandia verticillata, Cra-*
teogonum amboinicum RUMPH. VI. tab. 10. et *Ol-*
denlandia repens, Cruſtam ollae minimam EIUSD. VI.
tab. 170. comprehendit. *Riuina laeuis,* eſt *Piercea* p. 41.
foliis ouato-lanceolatis glabris MILLERI et ſimillima
Riuinae caneſcenti, ſed glabra tota et foliorum mar-
go purpuraſcens. *Bryonia mechoacanna nigricans* C.
B. P. 298. dicitur *Conuoluulus ialapa, caule volubili,* p. 43.
foliis difformibus cordatis angulatis, oblongis, lanceola-
tisque, pedunculis vnifloris; eumque, teſte MILLE-
RO, qui huius radices ab HOUSTONO accepit et
pharmacopeis Londinenſibus vendidit, veram ialapae
officinalis radicem praebere, legimus. *Hyoſcyamus* p. 46.
foliis

foliis ouatis integris, calicibus inflatis campanulatis, triuiali nomine dicitur *Scopolia*, eſtque *Scopolia car-*
p. 47. *niolica* JACQUINI. *Lycium Europaeum foliis obli-quis, ramis flexuoſis teretibus*, in prima ſpecierum editione notatum, dein omiſſum, differt a *barbaro*, quod per ſe recta ſtare valet, quod folia non plana, ſed flexuoſa, ramuli flexuoſi, minime angulati, ſu-perficie ſubtomentoſi ſunt et ſpinae ex omni gem-
p. 48. ma oriuntur: inter *Sideroxyli* ſpecies quatuor no-vae, *decandrum*, *tenax* et *foetidiſſimum* JACQUINI occurrunt, quarta *Sideroxylon melanophleos, inerme fo-liis perennantibus lanceolatis, pedunculis angulatis*, ſi-ſtit *Laurifoliam* COMMELINI, Hort. I. tab. 109. *Padum* BURMANNI Afric. tab. 84. f. 2. hanc po-tius, quam *inermem* referre aſſerit, aſt et inermi ſi-millimam eſſe, dentes autem inter ſtamina nulla ha-
p. 49. bere, monuit Ill. Auctor; *Rhamnus infectorius*, GERARDO auctore, vt diſtincta ſpecies acceſſit;
p. 52. *Echites caudata, corollis infundibuliformibus, apicibus linearibus longiſſimis*, vltima inprimis nota ab omni-bus cognitis plantis differt et *Echites ſcholaris, fol-liculis filiformibus longiſſimis*, ab omnibus diſtingui-tur, hanc *Lignum ſcholare* dixit RUMPH. II. tab. 82.
p. 57. *Heracleum anguſtifolium*, foliis cruciato-pinnatis, fo-liolis linearibus, corollis vniformibus a *ſphondylio*, differre concedit Auctor; et inter ſynonyma RIVIN. pent. 5. laudauit, in JACQUINI autem Vind. 217. tab. 2. delineatum vix diſcrepare exiſtimauit.
p. 69. *Ruta chalepenſis, foliis ſupradecompoſitis, petalis cilia-tis*, definitur et *chalepenſem latifoliam* TOURNEF. et *anguſtifoliam* MORISON. comprehendit ac *graueo-*
p. 73. *lentis* progeniem eſſe aſſerit; *Portulaca quadrifida, bracteis quaternis, floribus quadrifidis, geniculis piloſis*, eſt *Portulaca flore luteo* HERM. Par. 216. et *piloſae* ſimillima, folia carnoſa, micis diaphanis adſperſa, flos flauus, cinctus pilis albis, vt genicula caulis radican-

tia,

tia, petala quatuor, ſtamina octo, ſtigmata quatuor.
Pyrus baccata, foliis ſerratis, pedunculis confertis, po- p. 75.
mis baccatis, dicitur *Crataegus ceraſi folio* AMMAN.
Ruth. tab. 31. Ob baccas ad *Meſpilum* pertinere
videtur, cum vero ſemina in quouis loculo duo ſint,
non ſolitaria, aut *pyri* ſpecies cenſenda, aut inter
pyrum et meſpilum nulla eſt diſtinctio. *Potentilla* p. 76.
intermedia, foliis radicalibus quinatis, caulinis terna-
tis, caule erectiuſculo ramoſiſſimo; quinquefolium monta-
num luteum erectum hirſutum HALL. Helu. 340. me-
dia inter *argenteam* et *Noruegicam* et poſterior eſſet,
niſi radix perennis et folia radicalia quinata; *Delphi-* p. 77.
nium aconiti, nectariis monophyllis, antice quadriden-
tatis, capſulis ſolitariis, ramulis vnifloris. Delphi-
nium orientale annuum TOURN. Coroll. ſtatura *Del-*
phinium ſegetum vel *peregrinum* refert, corollis autem,
aconiti multum ſimilibus, diuerſiſſimum. *Ocymi*
quinque occurrunt ſpecies; quarum tres plane no- p. 85.
vae ſunt; *Ocymum monachorum, ſtaminibus edentulis,*
alternis baſi non denticulatis, ſed *barbatis;* eſt *Acinos*
Dioſcoridis COLUMN. Phytob. 98. t. 17. et *ocymum*
ſcutellarioides in ſpecierum edit. II. commemoratum,
corollis falcatis, pedicellis ramoſis nunc deſcripſit et
addidit Ill. Auctor, floris fabrica a congeneribus
differre, vt fere ſit diſtincti generis; calicis ſcilicet
labio ſuperiore cordato, inferiore quadrifido, corol-
lae limbo reflexo, fauce dilatata, labio ſuperiore
erecto breuiſſimo, inferiore elongato falcato, ſtami-
na et piſtillum obuoluente. *Farſetia Aegyptiaca*
TURRAE dicitur *Cheiranthus farſetia, fruticoſus* p. 94.
erectus, foliis lineari-lanceolatis, ſiliquis oualibus. Her-
ba tota *Conuoluuli dorycnii*, flos *Cheiranthi triſtis*,
fructus fere *Lunariae*, flores noctu tantum ſuaueo-
lentes. *Raphanus caudatus, ſiliquis tota planta lon-* p. 95.
gioribus, faciem *Raphani ſatiui*, ſed folia acutiora,
caulem breuiorem diffuſum, rore glauco purpura-
ſcentem,

ſcentem, flores albidos, ſiliquas bi vel tripedales, ſu-
p. 118. pra terram decumbentes habet; *Polymnia wedelia, foliis lanceolatis ſerratis, caule fruticoſo*, eſt *Wedelia fruteſcens* JACQU. Americ. t. 130. et proxima *Tetragonothecae*, quamuis ſeminum corona caliculo compla-
p. 120. nato, decemdentato, conſtet. *Viola grandiflora, caule triquetro erecto, foliis oblongiuſculis, ſtipulis pinnatifidis*, eſt *Viola lutea grandiflora* C. B. P. 200. a *Viola calcarata* ſeparanda.

p. 139. Tandem nonnullorum generum, in editione ſexta deſcriptorum, expolitiones ſiue emendationes in mantiſſa dedit Ill. Auctor; quarum primariae hae ſunt: Habet *Coldenia* ſemina duo bilocularia; *Cortuſa* capſulam ſemiquinqueualuem; *Cupania* flores monoecios et mas calicem triphyllum, petala quinque, ſtamina quinque, coalita, femina calicem ſimilem, petala tria et piſtillum tripartitum; *Echinophora* ſemen vnicum; *Mimuſops* petala ſedecim; *Memecylon* filamenta apice truncata et antheras, lateribus apici filamenti inſertas; *Copaifera* fructum leguminoſum, biualuem et ſemen vnicum, arillo baccato inuolutum; *Rheedia* ſtylum cylindricum et ſtigma infundibuliforme; *Calophyllum* calicem tetraphyllum, coloratum, foliolis duobus exterioribus breuioribus; *Meſua* ſtaminum filamenta baſi in vrceolum connata et nucem, vnico ſemine foetam; *Michellia* calicem triphyllum; *Halleria* ſemina margine alata; *Petrea* fructum vnilocularem et ſemen vnicum carnoſum; *Hebenſtreitia* calicem tubuloſum, ſubtus longitudinaliter dehiſcentem, ſtamina duo, priora ſub fauce margini corollae inſerta, exſtantia, duo interiora, inferiora, ad latera reflexa, ſtylum flexuoſum per fiſſuram corollae reflexum; *Hugonia* drupam vnilocularem, *Geropogon* thalamum paleaceum; et *Cytinus* ſtamina decem.

X.

Medical Obſervations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London. Vol. III. London printed for William Johnſton MDCCLXVII. 8. mai. alph. 1. pl. 6. tab. aen. 6.

h. e.

Obſeruationes et diſquiſitiones medicae a ſocietate medicorum Londinenſium editae. Vol. III.

Accepimus nunc volumen tertium obſeruationum a medicis Londinenſibus editarum. Etſi vero in eo de viribus cicutae accuratius exponere promiſerant *), tamen ex tentaminibus, in Hibernia a Cl. RUTTY et ab aliis in Anglia inſtitutis et hic propoſitis, ſatis apparet, repetitas obſeruationes colligendas eſſe, antequam de eius viribus in cancro aliquid certi ſtatui poſſit. Neque de aliis medicamentis, in cura grauiorum morborum laudatis, ſtramonio, hyoſcyamo, aconito cet. obſeruationes reperimus. Indicemus itaque praecipuas res, in hoc volumine contentas.

1. *Relatio de prolapſu vteri et veſicae cum calculo in hac reperto.* Auctore Cl. THOMAS WHITE **). p. 1.
Prolapſus vteri verus, in ancilla viginti quinque annorum, a caſu in platea, vt narrabat aegra, oriundus, primo exiguus fuerat, ita tamen intra ſex annos increuerat, vt vehementiſſimis infimi ventris doloribus excruciatam et ideo languidam factam aegram

*) In praefatione ad Vol. II. quod prodiit 1762. vid. Comment. noſtr. Vol. XII. Part. III. p. 444.
**) lect. d. 1. maii. 1762.

gram ſiſteret, cum autem repoſitio nullo modo efficienda eſſet, aegra tandem mortua eſt. Obſeruauit autem Cl. Auctor in ſectione cadaueris hepar ad regionem vſque hypogaſtricam, ventriculum ad vmbilicalem deducta, deorſum protracto ſimul praeter modum oeſophago. Peluis poſt deſcenſum vteri et veſicae inteſtina receperat, vreteres vero pollicis craſſitie, cum tumore extra abdomen tracti erant et eodem modo, vt peluis renum, pure ſcatebant. Vrethra in ſuprema parte tumoris ſita erat, per cuius orificium calculus aſper tactu percipiebatur, qui, inciſa veſica, exemptus, retortae chemicae figuram referebat, et parte anguſtiore in vrethram ſub oſſe pubis impactus fuerat, ac ex hoc ſitu figuram induxerat. Pondus eius erat quatuor vnciarum et trium drachmarum.

p. 7. 2) *Obſeruatio de penna integra a femina deglutita.* Auctore Cl. GEORGE CLEGHORN *). Foemina ad vomitum excitandum fauces penna irritauerat eamque deglutiuerat, ita, ne ex oeſophago retrahi poſſet; erat vero tertia vel quarta penna ex ala anſeris. Cl. Auctor conſilium dedit, vt ſtylus ex virga balenaria, cuius apici ſpongia globoſa affixa eſt, ſicca in oeſophagum immitteretur, quo, humiditate attracta, pennam ſimul ſurſum duceret, et cum aegra de dolore in latere ſiniſtro potiſſimum conquereretur, a dextra parte ſtylus in oeſophagum protruſus eſt. Erant vero fila ſimul ſpongiae affixa, quorum ope haec, ſi forte a ſtylo ſecederet, educi poſſet, ſimulque partes laterales pennae ita ſtringerentur, vt integra educeretur. Inflammatio oeſophagi venaeſectione aliisque auxiliis cohibita eſt. Penna et inſtrumentum tab. VI. delineantur.

3) *Relatio*

*) lect. menſe iunio 1762.

3) *Relatio de duobus aneuryſmatibus aortae.* Auctore Cl. BAYFORD *). Vir tumorem pulſantem in epigaſtrio, vicinis hypochondriis et ſterni inferiori parte percipiebat, anxietas praecordiorum et reſpiratio laborioſa prima erant ſymptomata, quibus hydrops ſuccedebat et tandem dolor in infima parte dorſi, quae quidem ſymptomata vſque ad mortem parum variabant. In diſſecto cadauere aqua in abdomine et viſcera in gangraenam procliuia reperiebantur, magna vero ſanguinis copia inter laminas omenti, meſenterii et meſocoli effuſa erat, poſt peritonaeum a dextro ſpinae latere tumor apparebat, qui quinque circiter libras ſanguinis ſtagnantis continebat et aneuryſma magnum aortae referebat, quod diaphragma ſimul depreſſerat. In thorace ad communem truncum carotidis et ſubclauiae dextrae paruum quoque aneuryſma inueniebatur. In tabula prima et ſecunda aneuryſmatum delineatio exhibetur. Addit quaedam de diſtenſione inaequali tunicarum arteriae in aneuryſmatibus, et internorum difficillimam omnino diagnoſin eſſe pronuntiat, cum pulſatio plus minus inſignis ſaepe confundat diſquirentem. p. 14. p. 23.

4) *Hiſtorica deſcriptio fractae coſtae cum emphyſemate ſuper plurimas corporis partes extenſo.* Auctore Cl. GUILIELMO LEAKE chirurgo. Addita eſt epiſtola Cl. HUXHAM, *de emphyſematibus ex interna cauſſa* **). Vir ſexaginta annorum, in ſtipitem incidens, coſtam ſiniſtri lateris fregerat ſine laeſione euidenti cutis, leuis tamen tumor emphyſematicus apparebat. Venaeſectione larga adminiſtrata, applicabantur fotus ex ſpiritu et aceto et poſtea emplaſtrum et puluillus faſcia apta adſtringebantur, ſubiuncto tandem medicamento laxante. Poſt paucas p. 28.

 tamen

*) lect. d. 5. iulii 1762.
**) lect. d. 23. maii 1763.

horas tumor emphyſematicus ita increſcebat, vt non ſolum deorſum in ambitu corporis, ſed et ſurſum vſque ad collum et palpebras extenderetur; faſcia itaque remota, inciſio longa in loco laeſionis non ſolum aerem emittebat, ſed is ſtringendo ſubinde ex reliquis quoque partibus huc duci poterat. Etſi vero reſpiratio difficilis aliquoties redibat et venaeſectio denuo inſtituenda erat, tamen, frictione per aliquot dies continuata, ſine vlteriori inciſione aer diſſipatus et aeger plane reſtitutus eſt.

p. 33. In epiſtola Cl. HUXHAM traditur deſcriptio emphyſematis ſine vlla laeſione ex febre putrida ad collum et faciem oborti, quod etiam ſine inciſione, ſola applicatione ſpiritus vini camphorati et aceti ſanatum eſt, aeger tamen, poſt febrim putridam ſuperatam, ſcorbuto ſemper laborauit.

p. 37. 5) *De commodo ex admiſſione aeris liberi et frigidi in variolis.* Auctore LEE PERKINS, chirurgo *). Boſtoni in Noua Anglia, atmoſphaera aeris ſatis calida exiſtente, feminam octauo menſe grauidam, copioſis variolis laborantem, admiſſo ſemper per feneſtras aere libero, ſeruaſſe et ad partum felicem duxiſſe Noſter narrat et ſimul refert, puerum varioloſum, ſimili ratione tractatum, bene ſe habuiſſe, feneſtra tamen clauſa et ſtragulis coopertum intra paucas horas periiſſe. Monet tamen, hac in re temperiem aeris et febris gradum a medico eſſe aeſtimandum.

p. 44. 6.) *Hiſtoria foetus extrauterini* communicata a Cl. KELLY **). Femina, quae duos vel tres abortus iam paſſa erat, nunquam autem viuum et perfectum foetum in lucem ediderat, iterum grauida facta, per omne grauiditatis tempus menſtruum fluxum

*) lect. menſe iunio 1763.
**) lect. menſe iulio 1763.

xum, parua tamen copia, experta eſt. Nullis vero doloribus aut aliis morboſis affectionibus angebatur, ſi nixum aliquem ſeu teneſmum (*bearing down*) atque difficultatem quandam in egeſtione fecum aluinarum excipias. Viuum autem in vtero fetum geri, motus eius, aegrae ſenſu cognitus, oſtendebat. Conſueto tempore dolores accedebant, veris ad partum doloribus ſimiles, partus vero ipſe non ſequebatur, licet dolores per octo dies protraherentur. Cl. KELLY octauo ab initio horum dolorum die accedens, inuenit caput foetus iam in peluim ita detruſum, vt illud, vna tantum digiti phalanga immiſſa, ſe tactui offerret. Non autem per dilatatum vteri orificium deſcenderat (hoc enim, iuſto altius ſitum, ſymphyſin oſſium pubis ſpectabat eiuſque labia clauſa, dura et prominentia erant,) ſed ita inter poſteriorem vaginae parietem et inteſtinum rectum collocatum erat, vt digito vno vaginae, altero ano immiſſis, illud inter hos duos digitos comprehenderetur. Nec limites tumentis abdominis ita circumſcripti erant, vti, ſi vterus fetum continet, obſervari ſolet. Cum tandem medici aduocati non ſtatim inter ſe de optima miſerae parturienti opem ferendi methodo conuenire poſſent et inciſio partis vaginae, qua caput fetus, in vaginam prominens, obtegebatur, vt vnicum, licet anceps, ob inteſtinorum in vaginam deſcenſum, auxilium differreretur, obſtetricans mulier accerſita, partem hanc vaginae, membranas fetus nondum ruptas eſſe autumans, digitis, ſed fruſtra, lacerare tentauit, aegraque paullo poſt periit. Sectione cadaueris tumultuaria inſtituta, Cl. Auctor vidit, vterum, ſurſum ad oſſa pubis pulſum, naturalem magnitudinem tantum habere nullumque fetum continere, hunc vero in abdomine ita quidem collocatum eſſe, vt caput inter vaginam et inteſtinum rectum eo loco, quo duplicatum quidem

peritonaeum ſe inter has duas partes demittit, deſcenderet, pedes vero ſcrobiculum cordis reſpicerent. Fetus perfectus erat, neque vlla putredinis ſigna in eo conſpiciebantur. Placenta autem in dextro latere peritonaeo, meſenterio et ligamento lato vteri adhaerebat et firmius quidem, quam vtero ſolet. Duplo praeterea maior reperiebatur, quam in vtero, qui fetum continet, ſolet reperiri. Cum autem nulla ſigna adeſſent, fetum ex tuba rupta in abdominis cauitatem expulſum eſſe, Cl. KELLY concludit, conceptus tempore ouulum, ab ouario auulſum, non a tuba ſuſceptum fuiſſe, ſed in cauitatem abdominis delapſum, peritonaeo adhaeſiſſe.

p. 57. 7) *Relatio de aneuryſmate.* Auctore Cl. THOMPSON, Chirurgo*). Aneuryſma arcus aortae, tumore in iugulo eminente, varia ratione a variis chirurgis tractatum tandemque ruptum, deſcribitur. Deſtructa erat pars ſuperior ſterni, magna pars vtriusque coſtae primae et aliqua clauiculae dextrae. Haec tab. III. delineata inueniuntur, aneuryſma ipſum cum laterali appendice, in quo ruptum erat, tab. II. fig. 1. delineatur.

p. 64. 8) *Compendium epiſtolae* Cl. SYMOND, Chirurgi Exonienſis ad Cl. GUILIELMUM HUNTER, *quo vlterior relatio hiſtoriae morbi in exercitationibus medicis Edinburgenſibus Vol. V. Art.* 33. *commemoratae traditur.* Cl. COOKESLEY iam anno 1731. Abrahamo Pike, viro triginta annorum, partem gangraenoſi inteſtini in herniae operatione circumcirca praeciderat; etſi vero ab initio excrementa effluebant, ea tamen, vulnere depurato et conſolidato, veram viam ad anum ſecuta ſunt, miratus igitur eſt chirurgus, quomodo hoc fieri poterit. Mortuo itaque

*) lect. cum ſequenti obſeruatione d. 1. aug. 1763.

que eo viro, ſectione cadaueris declaratum eſt, chirurgum in hernia gangraenoſa non niſi partem coeci inteſtini cum appendice vermiformi ſeparaſſe, excrementa igitur per ileon ad colon tranſire potuiſſe, quae res tab. IV. accurata icone illuſtratur.

9) *Praeternaturalis pinguedinis collectio obſervata et deſcripta* a Cl. WADE, medico Vlyſſiponenſi*). Vir robuſtus et obeſus refrigerium admiſit et ideo tuſſi cum ſputo cruento aliisque incommodis vexatus, ab artis auxiliis leuamen obtinuit, ſed difficilis reſpiratio, leuiſſimo etiam motu ſuſcepto, aucta, ei moleſta fuit. Tranquille cubando et ſedendo nihil quidem incommodi ſentiebat et pulſus, vrina, aliaeque actiones ſigna ſanitatis perfectae referebant. Cl. Auctor tentamina in medendo adhibita accurate proponit et cum variis auctorum monitis confert. Mortuo tamen poſt vndecim menſes aegro, in cadaueris ſectione cauſſam detexit. Obeſitas externa vltra modum aucta erat, cartilagines coſtarum ad oſſeam ferme duritiem acceſſerant, pinguedinis magna copia in mediaſtino inprimis in ſuperiori parte ad thymum et porro in ambitu cordis, tandem etiam in abdomine ad omentum et meſaraeum reperiebatur. Noſter igitur arbitratur, pinguedinem, ſemper quidem ſecretam, nunquam tamen reſorptam, collectioni eius praeternaturali occaſionem dediſſe. p. 69.

10) *Obſeruatio de impedita deglutitione ex praeternaturali dilatatione vel ſacco ad pharyngem nato.* Auctore Cl. LUDLOW, Chirurgo Briſtolienſi **). Vir ſexaginta annorum poſt eſum ceraſorum, deglutitis ſimul nucleis, hos per triduum retinuit, poſtea p. 85.

I 4 tuſſi

*) lect. d. 7. nou. 1763.
**) lect. d. 27. aug. 1764.

tuſſi commota reiecit et ab eo tempore per quinque annos cibos, vix deglutitos, iterum reiecit et cum prorſus nihil deglutire poſſet, macie confectus eſt. Fruſtranea erant tentamina, a medicis adhibita, qui viam ſpecillis diſquirere tentabant, cum tantum cognoſcerent, cibos in oeſophagum deſcendere haud poſſe. Propinarunt tandem mercurium viuum, qui vero ad mortem vſque retentus eſt. Interea tamen clyſmatibus nutrientibus diu conſeruatus eſt aeger, et iis incommoda infimi ventris, a vacuitate oborta, leuari percepit, vrinam quoque reddidit, ex qua re aliquam in craſſis nutrimenti reſorptionem fieri oſtenditur. In cadaueris ſectione cognouerunt, ad finem pharyngis retrorſum ſaccum praeternaturalem formatum eſſe, qui oeſophagum ita compreſſit, vt tantum orificium paruum, valuula quaſi munitum, ibi cerneretur. Tab. V. hic ſaccus ab anteriori, poſteriori et laterali parte delineatur. Rationes phaenomenorum poſtea traduntur et nonnulla alia, in ſectione cadaueris reperta, commemorantur.

p. 102. 11) *Epiſtola* Cl. DICKSON, Medici noſodochii Londinenſis, *exhibens ſupplementum ad commentarium de vſu veſicatoriorum ad os ſacrum applicatorum in vrinae incontinentia* *). Obſeruationibus alia occaſione traditis **), nonnullas nunc addit. Incontinentia ex gonorrhaea protinus leuata eſt per veſicatorium ita, vt gonorrhaea ipſa ceſſaret, obortis bubonibus, ſuo modo curandis. Femina poſt partum difficilem per ſeptem menſes incontinentia vrinae laborauerat, ſpecillo ob nimiam orificii contractionem non ſatis corrigenda, veſicatorio tamen ad

os

*) lect. d. 11. martii 1765.

**) Medical Obſerv. and Inquiries Vol. II. Art. XXVII. p. 311. et Art. XXXV. p. 388. vid. Comment. noſtr. Vol. XII. p. 461. 467.

os ſacrum applicato, leuamen ſenſit, hoc itaque auxilium in paralyſi veſicae maxime commendatur.

12) *Aneuryſma in femore ſanatum, vſu pedis plane reſtituto.* Auctore Cl. BURCHALL, Chirurgo Mancunienſi *). Vir viginti quinque annorum apice forficis, intra crura compreſſi, arteriam femoralem vulnerauit, haemorrhagia cohibita, vulnus cutaneum quidem coaluit, ſed tumor aneuryſmaticus enatus eſt. Hunc, faſcia tortili applicata, incidit Noſter et, ſanguine grumoſo ſeparato, vulnus arteriae detexit, quam ſupra ac infra vulnus ligauit, haemorrhagia ex parte ſuperiori poſt aliquot dies oborta, eam iterum conſtrinxit et vulnus ſine vlteriori incommodo ſanauit. Additur aliud exemplum aneuryſmatis arteriae femoralis ligati et ſine vllo incommodo in crure relicto, ſanati. p. 106.

13) *Relatio de varice aneuryſmatico* tradita a Cl. GEORGIO CLEGHORN, Lectore anatomes Dublinenſi **). Duae ſunt epiſtolae, in quarum prima deſcribitur tumor varicoſus in vena baſilica dextri brachii, poſt venaeſectionem enatus, qui aneuryſmatis inſtar pulſabat, ad medianam et cephalicam ſuo modo extenſus, vti in tab. VI. fig. 4. delineatur, qui tamen cum arteria brachiali, ſolito magis extenſa, communicabat ***), ſenſum ebullientis aquae vel ſtridorem apis referebat et vere demonſtrat communicationem inter arteriam et venam, ex qua re nomen tumoris declarat et varia tentamina cum aegro inſtituta, recenſet Noſter. In altera epiſtola laudantur auctores, qui de ſimili ſtrepitu in p. 110.

*) lect. d. 22. april.

**) die eodem et 4. nou. 1765.

***) Vid. Medical Obſerv. and Inqu. Vol. II. Art. XXXVI. p. 390. et Comment. noſtr. Vol. XII. p. 467.

aneuryſmatibus mentionem fecerunt, et declaratur, aegrum, hoc morbo affectum, ſine incommodo opificium ſutoris exercere.

p. 122. 14) *De oculi morbo relatio.* Auctore Cl. HAYES, Chirurgo *). Puella trium annorum ſecundo iam aetatis anno ſingulares in oculo ſiniſtro mutationes paſſa erat, quarum deſcriptio cum remediis adhibitis traditur. Bulbus oculi primo depreſſus erat, nulla aquei humoris praeſentia obſeruata, ille tamen poſtea in inſignem molem excreuit. Cum vero ſimiles quaedam mutationes in oculo dextro obſeruarentur, protinus neceſſaria bulbi ſiniſtri exſtirpatio ſuſcepta eſt, praeter ſcleroticam vero nulla tunicarum et humorum veſtigia, ſed tumor ſteatomaticus et caro fungoſa reperta ſunt. Etſi vero infans in reliquis corporis glandulis nulla ſigna ſcirrhoſi tumoris monſtraret, tumor tamen carcinomaticus iudicatus eſt, cui oppoſuerunt extractum cicutae, a grano vno quotidie ſubinde aſcendendo vſque ad ſexaginta, cum vero parentes decem grana adderent et ſeptuaginta exhiberent, vomitus et alia incommoda accedentia remedii continuationem prorſus impediuerunt. Obortus tum eſt dolor in ſiniſtra orbita, auctis ſimul aliis ſymptomatibus, et oculo dextro quoque magis mutato. Cum itaque nulla amplius ab operatione medela expectari poſſet, extracti opii grana duo, quae ſingulis octo horis propinanda erant, aliquot tantum leuamen attulerunt. Conuulſionibus vero aliisque incommodis auctis, tandem obiit puella, et, ſectione cadaueris facta, in dextro oculo alba quaedam maſſa, humori vitreo nexa, reliquae vero partes illaeſae inuentae ſunt. Thalami neruorum opticorum et hi nerui, inter ſe nexi, ſine labe erant, in ſiniſtro latere lobus anterior cerebri

*) lect. d. 26. aug. 1765.

rebri ex ſanguine extrauaſato rubicundus apparebat, et in hoc latere neruus opticus cum carotide interna, infundibulo et glandula pituitaria plane coaluerunt. Tumor in ſiniſtra orbita nullum nexum cum neruo optico monſtrabat, ſed ſpongioſus erat, nec determinatam directionem fibrarum oſtendebat, membrana vndique incluſus.

15) *Duo exempla curationis incontinentiae vrinae per applicationem veſicatoriorum ad os ſacrum*, a Cl. FOTHERGILL propoſita communicauit Cl. DICKSON *). In viro quadraginta quatuor annorum incontinentia ex diabete orta, applicatis veſicatoriis, quidem correcta, ſed diabetes ipſa variis remediis inprimis aqua calcis curata eſt. Puer decem annorum ex vlcere viarum vrinariarum, cum inteſtino recto communicante, incontinentia vrinae laborauit, quae vſu veſicatoriorum cohibita, morbus vero aliis remediis ſanatus eſt. p. 138.

16) *Relatio de variis hydatidibus cum vrina excretis.* Auctore Cl. ALEXANDER RUSSEL **). Vir viginti quatuor annorum febrilibus acceſſionibus varie agitatus, tandem vehementem in rene ſiniſtro ſenſit dolorem, et variis medicamentis adiutus, cum vrina reddidit parum ſabuli rubri, dolore non nihil mitigato. Poſt aliquot dies vrinam cum pure ſanguinolento excreuit, et ſequuta eſt hydatis rupta magnitudine oui columbini, poſtea variis temporibus reiecit hydatides ſimiles et alias minores. Minores humorem limpidum plus minus opacum continebant, maiores ſemper ruptae erant. Etſi vero ſanus videtur; tamen in hunc vsque diem interdum hydatides ſimiles excernit. p. 146.

*) lect. d. 16. dec. 1765.
**) lect. d. 24. martii 1766.

p. 152. 17) *Herniae humoralis deſcriptio* communicata a Cl. VAUGHAN, Medico Leiceſtrienſi *). In viro quadraginta circiter annorum gonorrhaea, iniectione cohibita, tumorem teſticulorum reliquit, qui ex negligentia diaetae, et minus idonea curatione letalis factus eſt. In diſquiſitione anatomica teſticuli illaeſi, tumor ad abdomen vſque aſcendens, in tunica vaginali potiſſimum deprehenſus, minus accurate tamen deſcriptus eſt.

p. 160. 18) *Paralyſis poſt caſum orta, ex quo tumor et compreſſio medullae ſpinalis ſequuta eſt.* Auctore Cl. KNOX, Medico caſtrenſi **). Adoleſcens quatuordecim annorum, dorſo in acutum marginem ſedilis impingens, dolorem ſenſit, cui quidem per menſem maiora incommoda non acceſſere, tandem vero paralyſis ab inferiori parte thoracis ad inferiores corporis partes ſequuta eſt. Hic ſine auxilio tertio menſe mortuus eſt, et die ante obitum etiam paralyſis artus ſuperiores occupauit. Sectio cadaueris detexit duos tumores oblongos, a prima vertebra ad vtrumque latus proceſſuum ſpinoſorum deſcendentes, quatuor pollicum longitudinis, craſſitie vnius, inſtar glandulae ſtrumoſae. Hi cohaerebant cum contextu cellulari in theca vertebrali tumido facto et ſanguinolento humore repleto, qui ideo ſpinalem medullam, praeterea illaeſam, compreſſerunt.

p. 169. 19) *De tumoribus ex ruptis venis enatis, interdum aneurſymata mentientibus.* Auctore Cl. ELSE, Chirurgo ***). Tria exempla profert tumorum ſanguinolentorum, quorum prior poſt mortem, reliqui duo poſt amputationem diſquiſiti ſunt, et diſten-

*) lect. d. 7. april. 1766.
**) lect. d. 21. april. 1766.
***) lect. d. 5. maii. 1766.

ſtenſiones et rupturas venarum declararunt, etſi aneuryſmatum faciem referrent.

20) *De triplici dentium ſucceſſione in maxilla ſuperiori infantis.* Auctore Cl. SYMONDS *). Poſtquam, bis abſceſſu in gingiuis nato, dentes cum carie maxillae receſſerant, tertia tamen vice puellae quinquenni dentes protruſi ſunt. p. 178.

21) *De egregio effectu magnarum doſium moſchi in conuulſiuis motibus.* Auctore Cl. OWEN, Medico Salopienſi **). Virgo ſeptendecim annorum electrico impetu tentata, poſt tres horas ſimilem impetum ſponte ſenſit, et poſtea ſaepius, ita vt primo leviores, dein vehementiores motus conuulſiui oborti ſint. Cum igitur morbus increſceret et reliqua medicamenta antiſpaſmodica ſine fructu adhiberentur, moſchi drachmam dimidiam in bolo omni quadrihorio, et quarto demum die bis quotidie propinavit Noſter. Poſt primas doſes iam conuulſiones mitiores erant, quae paulo poſt prorſus ceſſarunt, et quanquam aliquoties morbi recidiuae, et ſub Bathonienſium aquarum vſu, obſeruarentur, ſemper tamen, moſchi vſu, motus conuulſiui ſuppreſſi ſunt. p. 183.

22) *Relatio nonnullorum tentaminum cum decocto radicis mezerei in cura nodorum venereorum inſtitutorum.* Auctore Cl. ALEXANDRO RUSSEL ***). Difficilis cura nodorum venereorum commouit Noſtrum, vt decocto aliquo, ei commendato, vteretur, quod praeter ligna et radices in viginti quatuor vnciis vnam tantum radicis mezerei ****) continebat, eius- p. 189.

*) lect. d. 19. maii. 1766.
**) lect. menſ. iulio 1766.
***) lect. d. 5. maii 1766. et d. 12. ianuarii 1767.
****) Daphne *Mezereum.* LINNAEI.

eiusque effectum egregium poſt ſaliuationem, fruſtra tentatam, cognouit, quamobrem eo etiam ſine praemiſſa ſaliuatione vſus eſt. Vires autem accuratius diſquiſiturus, vnciam vnam corticis radicis mezerei cum octo vnciis radicis ſaſſaparillae in congiis duobus aquae fontanae tam diu coxit, donec remaneret congius vnus, et libras duas quotidie partitis vicibus aegris propinauit. Poſtea vnciam vnam in congio vno cum ſemiſſe decoxit, addendo ſub finem vncia vna radicis liquiritiae, et aegris libram dimidiam quater de die exhibuit. Radix mezerei vero in cortice feruidum magis ſaporem prodit, quam in lignoſa parte. Etſi vero ventriculus decoctum facile fert, tamen dupla doſis nimis feruida inuenta eſt. Nullam ſecretionem vehementer intendit, in duobus tamen aegris vim blandam purgantem obſeruauit. Diaetam moderatam, in victu potiſſimum, minime vero ſcrupuloſam praeſcripſit. Hoc decocto praecipue vſus eſt in nodis venereis ex craſſitie perioſtii ortis, in exoſtoſibus et carioſis oſſibus parum ſolatii affert, etſi tumores quodammodo diſcutere videatur. Nocturnos dolores oſteocopos venereorum fere compeſcit, et ſi illud in dolore nodorum ipſo non effecit, paucas doſes ſolutionis mercurii ſublimati cum leuamine addidit.

p. 197. Adduntur ſeptendecim relationes de morbis, in quibus remedium hoc adhibitum eſt, quibus ea, quae ſummatim diximus, egregie illuſtrantur.

p. 229. 23) *Nonnullae obſeruationes varium cicutae vſum in Hibernia declarantes.* Auctore Cl. IOH. RUTTY *). Extractum cicutae et ante DIOSCORIDIS tempora adhibitum et ſuccum expreſſum ſolis calore magis, quam fortiori ignis gradu inſpiſſatum, et eryſipelati ac vlceribus curandis tantum applicatum eſſe monet.

*) lect. d. 19. maii 1766.

monet. Poſtquam vero Cl. STOERCK in ſcrophuloſis et carcinomaticis morbis, cicutam et in extracto, et in puluere addito et in infuſo interne propinauit, tentamina varia et ab aliis multis inſtituta ſunt, etſi vero effectus non ſemper votis reſponderunt, interdum tamen vſus cicutae ſalutaris inuentus eſt. Forte tamen caſu tantum non ex vera indicatione, cum in opii empirico vſu id quoque euenerit. Hoc enim in tuſſi conuulſiua cum putrido p. 233.
humorum ſtatu, in quo noxium videtur, primum parca, poſtea aucta doſi, triginta guttae laudani ſcilicet, per annum integrum veſperi exhibitae ſunt, eo tamen effectu, vt non tantum tuſſis cohiberetur, ſed floridus etiam corporis habitus reſtitueretur, qui minus expectatus effectus viribus cardiacis et diaphoreticis adſcribendus eſt.

In Hibernia vero de cicutae viribus haec obſer- p. 234.
vata ſunt. Tumores ſcrophuloſos, vt diſcutiens, attenuans et reſoluens medicamentum, interne exhibitum et externe applicatum, diſcuſſit quidem, ſed hi iterum inprimis vernali tempore ſe monſtrarunt. In vero cancro externe et interne adhibitum cicutae extractum, in quibusdam aegris nullam mutationem effecit, in paucis neruoſum ſyſtema male affecit et appetitum ciborum imminuit. Fuerunt tamen aegri, in quibus et occulti et exulcerati cancri progreſſum cohibuit, tumorem imminuit, dolores ſopiit, et ichoroſam materiam in pus magis ſpiſſum mutauit. Commemoratur exemplum tumoris carcinomatici ad ſternum, qui diuturno vſu recte ſanatus eſt. In vlceribus malignis egregii quidam effectus huius remedii indicantur.

24) *Obſeruationes de noxis ex ſaliuatione, ſubito* p. 241.
cohibita, oriundis, vna cum curatione. Auctore Cl.

IOH.

IOH. SILVESTER, M.D. *). Tres potiſſimum relationes de aegris, in quibus ſaliuatio nimis cito cohibita eſt, proponit. Prima tradit aegrum, cuius ſymptomata arthritidem mentiebantur, qui tandem, leni medicamento mercuriali propinato, cum ſaliua-
p. 244. tione reſtituta, ſanationem admiſit. Auctor vero cognouit, eos, qui paludoſa loca inhabitant vel ſcorbuto afficiuntur, leni mercurii doſi ſumta, ſaliuae profluuium pati. Secunda aegra, vehementiſſimis capitis doloribus affecta, lenioribus medicamentis mercurialibus denuo ad ſaliuationem ducta eſt. Tertia aegra poſt ſaliuationem, frigore admiſſo, ſuppreſſam, cardialgiam cum continuo vomitu paſſa eſt, qui, variis remediis accurate adhibitis, non compeſci potuit. Cum vero vix deglutita vomitu reiiceret, tantum reſorptione optimi ſucci conſeruata eſt, quae etiam, cum nulla deiectio aluina ſequereretur, in clyſmatibus nutrientibus locum habuit. Poſt tres menſes tandem detecta eſt cauſſa ſaliuationis ſuppreſſae et, vnguentis mercurialibus applicatis, fluxus ſaliuae, denuo excitatus, ſanationem ſubinde effecit.

p. 257. 25) *Paralyſis ex caſu, rarioribus ſymptomatibus ſtipata.* Auctore Cl. M. MATY, M. D. **). Vir quidam ſatis vegetus et robuſtus triginta circiter annorum, curru in itinere inuerſo, non ſolum capitis, ſed aliarum quoque partium contuſionibus laedebatur menſe aprili 1761. Ob iter continuandum parum auxilii accepit et ſexto demum die venaeſectio inſtituta eſt. Cum vero ille militiam ſequeretur, per aeſtatem dicti anni de ſanitate minus ſollicitus eſſe potuit, et quamquam per hiemen variis vteretur remediis, tamen parum vtilitatis inde percepit, et

*) lect. d. 29. decemb. 1767.
**) lect. d. 29. dec. 1766.

et anno ſequenti caſtra media aeſtate relinquere coactus, variis vſus eſt remediis, ſed ſine leuamine et Cl. Auctor eum demum Lutetiae Pariſiorum menſe octobri 1764. vidit. Prima quidem incommoda impedita quorundam vocabulorum enunciatio et ſumma ſiniſtri brachii debilitas fuerunt, his vero tandem acceſſerunt conuulſiui motus totius corporis, ſubinde recurrentes, baculo ſuffultus, difficulter progredi poterat, ſaliua ex ore continuo effluebat, eam enim nec retinere, nec ſputatione reiicere poterat, vocabula non niſi monoſyllaba et haec ſub valida tantum exſpiratione quaſi protrudebat. Reſpiratio difficilis, pulſus debilis, nec celer, nec intermittens erat. Cibos vix capere poterat et lac ferme ſolum cum difficultate deglutiebatur, vrina interea ſana erat et ſomnus tranquillus, cum omnimoda animi integritate, ita, vt non tantum morbi relationem, ſed alia quoque apte deſcribere poſſet. In tam longo progreſſu morbi variis remediis, hic fuſius non repetendis, ſine fructu vſus eſt. Etſi vero de ſpinalis medullae ad ceruicem laeſione potiſſimum cogitari poterat, vera tamen morbi ratio non detegebatur et non ſolum de caſu, vt prima cauſſa, ſed etiam de laeſionibus ex vitae genere nimis aerumnoſo, immo de malo haereditario quaedam ſuſpicio mouebatur.

Finis morbi traditur ex epiſtola Cl. BELLET Med. Reg. Pariſiis ſcripta. Sub finem nimirum menſis februarii 1765 debilitas corporis vniuerſi maxime increſcebat, aeger ſuffocationibus continuis exagitabatur, ſaliua non amplius fluebat et die quinto martii demum aeger mortuus eſt. Ex cadaueris igitur ſectione, maxima cum cura inſtituta, praecipua repetamus. Muſculi linguae flaccidi; nerui linguales et brachiales non compreſſi, ſed quaſi denſi et tendinoſi; dura mater ſana, pia ſanguine turgida et hydatidibus obſita, ad falcem aliqua ſuppuratio; ce- p. 266.

rebri ventriculi aqua repleti et plexus choroideus ſanguine grumoſo diſtentus, corticalis ſubſtantia obſcurioris coloris, medullaris et in cerebro et cerebello ſine labe; medulla oblongata mole aucta; membranae, quae medullam ſpinalem, inde deductam, inuoluunt, ita denſatae, vt aegre diſcindi poſſint, ex quarum compreſſione denſitas neruorum ceruicalium orta videbatur; medulla ipſa adeo calloſa erat, ne digitis comprimi poſſet, ad thoracem autem deſcendens mollior inuenta eſt. Mutationes reliquae morboſae, in viſceribus annotatae, effectus morbi diuturni ex principe laeſione orti videbantur.

p. 274. 26) *Relatio de femina, diabete laborante, ſingulari pulſus irregularitate et cordis palpitatione accedente.* Auctore Cl. RICHARD BROCKLESBY, M. D. *). Femina ſana et obeſa ante ſex annos cum ſiti inſigni vrinam copioſam et lymphaticam odoris ſubdulcis reddebat, ex qua re imbecillitas et macies corporis oriebantur. Etſi vero interdum aptis remediis morbus hic cohibitus erat, ſemper tamen rediit. Praecipue enim menſe martio 1766. imbecillitas, palpitatio cordis et conuulſiui motus, quamquam vagi et tranſitorii, animaduertebantur. Noſter tunc accedens, pulſum fortem, octies rite impellentem, poſtea per quatuor momenta intermittentem, percipiebat, quae intermiſſio etiamſi varia ratione recurrebat, tantam tamen palpitationem cordis inducebat, vt aegra, durante intermiſſione, magnam ſemper in corde reſiſtentiam perciperet. Poſt venaeſectionem ideo veſicatoria applicata ſunt et, primis viis ope tincturae ſacrae purgatis, quindecim grana aſſae foetidae cum drachma dimidia cinnabaris natiuae, intra viginti quatuor horas propinata ſunt. Intermiſſio pulſus quidem non protinus ceſſabat, illa potius ad octo ſecun-

*) lect. d. 26. ianuarii 1767.

ſecundas minutae extendebatur, inprimis cum aegra regularem remedii vſum ſaepe negligeret. Aegra poſtea vſa eſt aqua marina et interne et in balneo, cum leuamine, Londinum tamen reuerſa, recidiuam paſſa eſt et Noſter ei tum propinauit florum chamomillae pulueris grana viginti quinque, ſpecierum aromaticarum grana tria et pulueris rhei grana duo, accurate miſta, per hebdomadem et pulueris huius et praecipue, ſeri lactis aluminoſi vſu continuato, aegram ſanauit. Ex qua morbi relatione patet, irregulares circulationis effectus, non ſemper mechanicis cauſſis, ad cor et vicina vaſa inuentis, adſcribi debere, eos potius idoneo medicamentorum vſu ſaepe corrigi poſſe.

27) *Relatio de effectibus caſtorei et corticis Peruviani in tuſſi conuulſiua.* Auctore Cl MICHAEL MORRIS, M. D. *). Hic in tribus filiis, qui poſt morbillos et ſcarlatinam febrim conuulſiua tuſſi affecti fuerant, remediis conſuetis fruſtra tentatis, caſtoreum pulueri corticis Peruuiani iunxit et ſalutares effectus in quinque aegris declarauit. p. 281.

28) *De commodis citae inoculationis exercitatio.* Auctore Cl. M. MATY, M. D. **). De ſuccincte ſcripta et lectu digna hac exercitatione, cum eam non repetere poſſimus, tantum in vniuerſum monemus, eam commoda, quae inſitionem variolarum, primo poſt natiuitatem menſe ſuſceptam, ſequuntur, ratione infantum, parentum et reipublicae egregie declarare, et citam hanc inſitionem eſſe poſſe remedium penitus ſupprimendi contagii varioloſi. p. 287.

29) *Relatio de effectibus admiſſi liberi et frigidi aeris in variolis confluentibus.* Auctore Cl. RICHARD p. 308.

*) lect. d. 9. februar.
**) lect. d. 23. martii 1767.

HUCK, M. D. et caſtrenſi Medico *). Iuuenis vndeviginti annorum menſe februario variolis confluentibus laborabat, cuius curationis ratio longius deſcribitur et potiſſimum oſtenditur, eum ex graui hoc morbo optime conualuiſſe, cum, durante hoc tempore, liberi aeris tranſitus per conclaue admitteretur. Quamquam enim hoc interdum calefactum eſt, tamen renouatio et depuratio aeris, ea ratione facta, ad aegrum ſeruandum multum contuliſſe certum eſt.

p. 319. 30) *Epiſtola* Cl. I. FOTHERGILL, M. D. *curationem tuſſis conuulſiuae concernens*. Ad hanc tuſſim compeſcendam proponit terreum puluerem, cum tartaro emetico tritum, ſequenti forma. Pulueris e chelis cancrorum drachmam dimidiam, tartari emetici grana duo, huius pulueris granum vnum vel alterum cum alio puluere terreo miſcet et matutino tempore exhibet, ad lenem vomitum mouendum. Praeterea nonnulla de aliis medicamentis, in hoc morbo exhibendis, commemorat.

p. 326. 31) *Relatio de effectibus opii et moſchi in cura ſpaſmi maxillae et opiſthotoni*. Auctore Cl. RICHARD HUCK, Medico caſtrenſi. In grauiter vulneratis et aeris variantis iniuriis, inprimis frigidis noctibus poſt diurni caloris vehementiam expoſitis, ſpaſmodici hi morbi, vt ſymptomata, accedunt, oſtendit itaque Cl. Auctor, quomodo his magnis doſibus opii et moſchi obuiam eundum ſit. Sic v. c. exhibuit intra viginti quatuor horas totidem grana opii et alia occaſione vnciam dimidiam moſchi, ſacharo mixtam, addita vna drachma opii, in iulapio quodam excepit, et intra viginti quatuor horas cochleare ſubinde exhibendo, conſumſit.

32) *Re-*

*) lect. c. ſequ. epiſtola d. 16. martii 1767.

32) *Relatio de ſalutari magneſiae effectu in grauiori vomitu.* Auctore Cl. GUILIELMO WATSON, M. D. Femina triginta quatuor annorum quarto grauiditatis menſe tanto vomitu agitabatur, qui abortus cauſſa erat. Sed, et hoc facto, vomitus non ceſſabant, etſi varia remedia adhibita erant, et alia vix tentari poterant, cum fauces rubentes omnem irritationem diſſuaderent. Dedit tandem Noſter iuſculum veruecinum, quod, licet vomitu ſemper reiectum, aliquod tamen leuamen attulit, quoniam autem acidum non ſatis corrigi potuit, propinauit magneſiae drachmam vnam in vnciis duabus iuſculi vitulini, eo quidem effectu, vt intra tres dies vncias tres magneſiae ſumeret, paucis tantum doſibus iterum reiectis et diaeta commoda aliisque poſtea adhibitis medicamentis, aegram ſanauit. In alia quoque aegra ſimiles magneſiae effectus expertus eſt. p. 335.

33) *Compendium epiſtolae* GUILIELMI HAY, Chirurgi, ad Cl. GUILIELMUM HUNTER, *quae relationem foetus extrauterini exhibet* *). Femina triginta quinque annorum, ſecundo grauiditatis menſe de doloribus colicis conquerebatur, quae, venaeſectione aliisque remediis adhibitis, ad ſextum vſque grauiditatis menſem ceſſabant. Longe autem vehementiores eo tempore recurrebant, atque ex regione vmbilicali, in qua primum percipiebantur, ad regionem iliacam ſiniſtram, perinaeum et femora extendebantur. Venaeſectione et opiatis non cedebant, lenimen tamen aliquod fomentationes et emplaſtrum ex galbano et opio adferebant. Remittebant autem ſubinde, attamen a motu foetus ſtatim nouus eorum paroxyſmus excitabatur. Fine octaui menſis et medio noni dolorum ſpuriorum acceſſus experiebatur aegra, doloribus colicis magis ſimilibus, p. 341.

 quo

*) lect. d. 13. maii 1766.

quo tempore Cl. HAY orificium vteri tactu explorans, reperit, illud iuſto durius et magis elongatum eſſe, collumque vteri maiorem preſſionem in vaginam exercere, quam alias fieri ſolet. Abdomen ad mediam vſque inter vmbilicum et ſcrobiculum cordis diſtantiam diſtentum erat, vteri tamen moles tactu per abdominis integumenta dignoſci non poterat. Fine noni menſis motus foetus penitus ceſſabat, omniaque ſigna foetus mortui percipiebantur, dolores tamen ad partum aliquoties accedebant, veris magis ſimiles, quibus tamen orificium vteri nunquam mutabatur, licet illud breuius profundiusque nunc eſſet, quam octauo menſe Cl. HAY illud inuenerat. Leues haemorrhagias aliquoties aegra experiebatur, ſerique ſanguinolenti effluxum; plurimum tamen moleſtabatur frequenti vomitu porraceae materiae, atque ſenſim ita debilitabatur, vt tandem emaciata, tribus circiter menſibus poſt grauiditatis terminum periret. Cadauere ſectione examinato, inteſtina et omentum, tum inter ſe et cum peritonaeo, tum cum ſacco aliquo concreta reperiebantur magno, qui omnem fere abdominis cauitatem replebat. Eo aperto aliquot menſurae liquoris, qui colorem potus *chocolade* habebat, effluxerunt, cui purulenti aliquid admixtum erat. Craſſities huius ſacci octauam partem pollicis aequabat. Externa ſuperficies glabra, interna vero ſpongioſa, flocculenta et quodammodo rugoſa erat. In hoc ſacco perfectus foetus, nulla adhuc putredinis labe vitiatus, continebatur, cuius chorda umbilicalis per aperturam quandam in alium ſaccum dimidium ad ſeptem vſque octauas partes pollicis craſſum, longe vero minorem penetrabat, qui in regione hypochondriaca et parte regionis inguinalis ſitus erat, atque, accuratiore examine inſtituto, vterus agnoſcebatur. Continebat ille placentam iuſto longe craſſiorem,

ſiorem, quae tres quartas partis cauitatis ſuae explebat, atque a cuius margine exteriore membranae extendebantur, quae, vti Cl. Auctor coniicit, tum vteri reliquam cauitatem, tum ſacci maioris internam ſuperficiem inueſtiebant. Ouaria nulla dignoſci poterant. Tuba ſiniſtra aderat, dextra vero in ſaccum maiorem, foetum continentem, diſtenta erat.

34) *Relationes de aegris ex morſu canis rabidi.* p. 356. Auctore Cl. THOMAS DICKSON, M. D. *). Canis rabidus plures homines menſe ianuario morſu laeſerat. Traditur itaque inprimis deſcriptio ſymptomatum, in puero tredecim annorum obſeruatorum. Vulnera in gena et ſcapula inflicta et ſcarificatione profunda, et vnguento mercuriali tractata, breui quidem ſanata ſunt, ſub finem aprilis tamen hydrophobiae ſymptomata accedebant. Semper ferme agitatus erat, a balneo calido, in quod ſumma vi protruſus eſt, breue tantum leuamen ſenſit, cum nec opiata medicamenta illi propinata deglutire poſſet. Summa inquietudo, auerſatio victus et potus, quem quidem deſiderabat, neque tamen deglutire poterat, effluxus materiae viſcidae ex faucibus et naribus praecipua erant ſymptomata, morſu enim alios non petebat, nec, vt canis, latrabat. Secundus aeger quoque aprili menſe, tertius vero iam februario hydrophobia affectus eſt. In rabie canina a balneo calido aliquam remiſſionem ſpaſmorum induci poſſe, arbitratur Noſter.

35) *Paracenteſis thoracis, vt operatio idonea ad aerem ex pectore educendum, propoſita, additis quibusdam obſeruationibus de emphyſemate.* p. 372. Auctore Cl. GUILIELMO HEWSON, Lectore anatomiae **).

 In

*) lect. d. 18. maii 1762.
**) lect. d. 15. iunii 1767.

In laeſionibus thoracis et fractis coſtis vulnera pulmonum aerem emittunt, qui, in thorace contentus, per vulnus pleurae ad contextum celluloſum ſubcutaneum ducitur. Commemorat igitur Noſter obſeruationes Cll. Vir. LITTRII, MERY, HUNTERI et CHESTONI, quae illum tranſitum confirmant. Inſtituit itaque ad hanc rem declarandam tentamina in vulnerato thorace cuniculorum et canum, quae tamen non ex voto ſucceſſere. Accidit vero, vt vir, ex alto delapſus, praeter fracturam caluae etiam emphyſema in dextro latere monſtraret, in cuius ſectione cauſſa mortis in copia inſigni ſanguinis, inter caluam et duram matrem effuſi, inueniebatur. In pectoris diſquiſitione aer elaſticus proſiliebat; fracta quidem erat prima coſta, ſed ſine vulnere pulmonis in illo loco, in inferiori vero et concaua lobi parte vulnera erant exigua, quae cum extrauaſato ſanguine aerem emiſerunt, concludit itaque, aerem, in thoracem emiſſum, cauſſam eſſe emphyſematis, cum igitur aqua et pus per paracenteſin thoracis emittantur, aerem ſimili modo educi poſſe arbitratur, ideoque hanc rem vlterius illuſtrat.

p. 397. 36) *De emphyſemate ferme vniuerſali refert.* Cl. ALEXANDER RUSSEL. Vir ſexaginta annorum, menſe iulio 1760 fracturas ſterni clauiculae et humeri paſſus, emphyſemate ferme vniuerſali afficiebatur, cum ſumma dyſpnoea, punctura ſcroti et inciſionibus duabus, vtrinque in thoracis integumenta factis, aer exiit et emphyſema ſubinde diſcuſſum eſt. Etſi vero caput inſigni tumore laborabat, tamen ob metum, ne eryſipelas, quo multi in noſodochio laborabant, vulneri accederet, intermiſſa eſt inciſio, tumore tamen viribus naturae diſcuſſo et aegro ſanato, is menſe ſeptembri ex noſodochio dimiſſus eſt.

37) *Ob-*

37) *Obſeruationes de vſu cicutae.* Auctore Cl. IOH. FOTHERGILL. Etſi Noſter poſt commendatam a Cl. STOERCKIO cicutam tentamina ſine fructu in carcinomaticis vlceribus inſtituit, egregium tamen medicamentum eſſe cognouit, quod dolores vlcerum ſopit, progreſſum eorum cohibet et materiae effluentis colorem, odorem et tenuitatem corrigit. In ſcrophuloſis tumoribus plus commodi attulit. Femina tenera, ophthalmia ſimul laborans, annuo extracti vſu leuamen ſenſit. In infantibus Noſter non vſus eſt cicuta, quod ſpaſticos inſultus in teneris his excitari cognouit. In femina tenera, quae liuida tubercula in facie et ſteatomata in capillata parte capitis habebat, vſus diuturnus extracti cicutae profuit, ita tamen, vt, recurrentibus incommodis, vſus medicamenti denuo ſuadendus ſit. Dolor in maxilla ſuperiori, ad antrum HIGHMORI ortus, variis medicamentis fruſtra tentatis, cicuta ſopitus eſt. In pertinaci brachii rheumatiſmo ſimilem effectum obſeruauit Cl. Auctor. Cum femina, vomicis et inde orta tranſitoria haemoptoe laborans, ex cicuta ſolatium percepiſſet, in aliis pulmonicis etiam, ſed ſine fructu cicutam propinauit, forte ſi tubercula adſunt et ſtrumae, melior effectus expectandus eſt. Monet Cl. Auctor, minus attentam medicamenti praeparationem vſum ſaepe imminuere, hinc de ſelectu plantae et elaboratione extracti varia addit. Si enim bene praeparatum eſt, vt anodynum dolores compeſcit, nec ſitim auget, nec cephalalgias matutinas, quae haud raro vſum opii ſequuntur, excitat, aluum raro obſtruit, ſed potius laxam reddit. Caute tamen cicuta vtendum eſſe vrget, cum ſint, qui eius vſu ſpaſticis inſultibus afficiuntur et ſitiunt, in quibus non vlterius propinandum eſt. p. 400.

XI.

Delle ſpecie diverſe di frumento e di pane, ſiccome della panizzazione e di tutte quelle piante, e parti di eſſe ſingolarmente, che in occaſione di careſtia poſſono panizzarſi, o per alimento, in altra maniera uſate, poſſono al pane ſupplire, memoria del Dottor SAVERIO MANETTI, letta da eſſo in varie adunanze tenute dall' imperial ſocietà fiſico-botanica Fiorentina nel caduto anno 1764. In Firenze. 1765. nella ſtamperia Moucke. Si vende da Giovacchino Pagani libraio. 4. Alph. 1. pll. 7. abſque titulo et capitum elencho.

i. e.

De diuerſis ſpeciebus tritici et panis, vt et de panificio omnibusque iis plantis earumque partibus ſigillatim, quae, vrgente annonae caritate, pani conficiendo inſeruire aut alio modo in alimentum cedere vicesque panis ſupplere poſſunt, tractatus D. XAVERII MANETTI, lectus ab illo in nonnullis conſeſſibus ſocietatis imperialis phyſico botanicae Florentinae anno elapſo 1764.

Annonae caritas, quae hoc ipſo anno vniuerſam ferme Italiam preſſit, huius tractationis conficiendae cauſſam Cl. Auctori ſubminiſtrauit. Decem autem ille capitibus, ſeu, vt vocat, articulis abſoluitur, quorum primus *de tritico eiuſque ſpeciebus* exponit, quas ſecundum diſpoſitionem LINNAEI recenſet, cumque iis a TOURNEFORTIO et MORISONO adductas et eas, quae vulgo a ciuibus ſuis diſtinguuntur, comparat, nec aliorum botanicorum ſcri-

p. 4.

ſcriptorum loca, in quibus tritici mentio fit, negligit; quantumque fieri poteſt, antiquiores etiam hiſtoriae naturalis et rei ruſticae ſcriptores illuſtrare annititur. *Tritici polonici* culturam in caritate an- p. 14.
nonae commendat, quia illud, quod experimento in horto botanico Florentino facto euictum eſt, quadraginta nouem dierum interuallo perfectam maturitatem conſequitur.

Secundus articulus agit de farina et panificio, p. 44.
omnesque labores deſcribit, quibus frumentum tractandum eſt, donec ſub ſpecie panis alimentum euadat. Ad conſeruationem frumenti lenem eius vſtu- p. 48.
lationem commendat Cl. Auctor, qua damna ab inſectis, a fermentatione quadam ſeu incaleſcentia, et a corruptione, quam mora temporis contrahunt, praecaueantur, fornacem huic operationi aptum Florentinus quidam INTIER inuenit, et libello edito, eius deſcriptionem publici iuris fecit, at ipſam machinam poſtea aliquantum correxit et vſui magis accommodauit. Paſta farinacea Florentiae pedibus p. 53.
ſubigitur: in aliis Italiae locis inſtrumentis peculiaribus eum in finem vtuntur.

Articulus tertius *ſpecies et differentias principales* p. 61.
panis ſimplicis et ex tritico parati recenſet; nec indigenarum tantum, ſed et externarum mentionem facit, vt panis atri Weſtphalici, ſimulque diuerſum, quod ex variis his ſpeciebus proficiſcitur, nutrimentum expendit.

Alias *differentias panis*, at eas *magis accidentales, pro diuerſa ratione eum praeparandi et coquendi, nec non pro diuerſitate figurae et vſus, cui deſtinatur*, arti- p. 74.
culus quartus tradit, quae quidem differentiae potiſſimum antiquas gentes aut exteras nationes ſpectant.

Articulus quintus *panem tam ſimplicem, quam com-* p. 85.
poſitum in vſus communes conſiderat, *qui generatim ex aliis cerealibus aut farinaceis ſeminibus* (*biade*) *aut ex his cum tritico coniunctis conficitur*. Conſideratio harum

rum plantarum ſimilis eſt ei, quam articulus primus
p. 90. de tritici ſpeciebus exhibuit. Auenae excorticatae
vſus certe tam arctis limitibus, quam putat Cl. Au-
ctor, non continetur, qui illum ſolummodo Saxoni-
p. 100. bus et Anglis familiarem eſſe contendit. Praecipue
in enarrandis ex RECCHO et ORVIEDO variis
modis, quibus Americani *zeam* ſiue *mays* praepara-
p. 107. re ſolent, prolixus eſt. *Polygonum tartaricum* egre-
gie in horto botanico Florentino creuit, ideoque
culturam eius aeque proſpere ac *polygoni fagopyri*
ceſſuram eſſe ſpes eſt: ſed haec res vlterioribus ex-
p. 111. perimentis indiget, quod etiam de variis ex legumi-
noſorum claſſe petitis ſpeciebus cenſendum eſt.

p. 112. Articulus ſextus *panem compoſitum et ad titillan-
dam linguam confectum* exhibet, cuius triginti et vna
ſpecies, tam antiquis, quam noſtris temporibus vſita-
tae, enumerantur.

p. 127. Articulus ſeptimus *de defectibus aut vitiis panis
et farinae, deque damnis ab eiuſmodi pane metuendis*,
p. 128. agit. Situm, quem panis contrahit, qualitate ſepti-
ca pollere, ex eo patet, quod ille ipſe poma, cada-
p. 130. vera, imo ligna lacerare et deſtruere valet. Panem
calidum dentibus infenſiſſimum eſſe, operarii pro-
bant, qui cornua dentesque animalium ceteroquin
duriſſima eodem emollire norunt: vt taceamus,
quam moleſtus ille, addito praeſertim butyro, ſto-
p. 134. macho euadat. In tranſitu triſtis etiam hiſtoria
enarratur, vbi panis, ope ligni, gypſo et ceruſſa ob-
ducti, coctus, mortem induxit. Panis nimium aci-
p. 136. dus, additis carminatiuis, corrigitur: Suecis potiſſi-
mum carui ſemen in hos vſus familiare eſt. Copio-
p. 139. ſe etiam de damnis ex vſu ſecalis luxuriantis (*Ergot*)
diſſeritur, quem tamen frumenti morbum in Italia
rariſſimum eſſe et vix vmquam obſeruatum, Cl. Au-
ctor affirmat.

Articuli ſequentes maximam partem ex variis
LINNAEI diſſertationibus academicis et GESNE-

RI

RI phytographia ſacra deſumti ſunt, et octauus quidem *nonnullas ſpecies panis* ſiſtit *inſolitas apud nos, ſed vſitatas apud quaſdam nationes exteras, et ex plantis maximam partem exoticis et a cerealibus diuerſis confectas:* videmus tamen inter ipſas relatas, quas ob claſſis naturalis conuenientiam cerealibus iungeremus, *coycem* ſeu lacrymam Iobi et *feſtucam fluitantem*, quae vel ipſa in Saxonia noſtra variis locis copioſe colitur. p. 142.

Articulus nonus *quaedam ſemina et fructus* proponit, *quae ſub alia forma alimentum pani ſuccedaneum variis populis et integris nationibus largiuntur.* p. 162. *Pitahaya* incolarum Californiae forte cum *fago pumila* LINN. conuenit. p. 171.

Decimus denique articulus *multarum plantarum notitiam* tradit, *quae, quamuis vulgo non ſint cognitae aut adhibitae ad panem conficiendum, tamen, accedente attentione vel maiori artificio, praecipue in annonae caritate poſſint in panem conuerti; vel ſaltem modo non diuerſo a pane in nutrimentum noſtrum abire*, quarum index vtique ſatis amplus eſt. p. 179. *Bromus ſecalinus* aeque ac *lolium temulentum* non adeo nocent, vt vulgo perhibetur, dummodo farina aliorum cerealium ſeminum maiori quantitate iis addatur, et compoſita eiuſmodi paſta farinacea repetitae, at leniori, cocturae ſubiiciatur, nec panis ipſe calidus nimis comedatur. p. 187. In ea ipſa annonae caritate, quae huic operi ſcribendo occaſionem dedit, homines ruſtici panem ex vitium ſarmentis et vuarum acinis, imo ex iuniperi laurique baccis confecerunt: putat tamen Cl. Auctor, eos melius id praeſtituros fuiſſe, ſi Lapponum more has ipſas materias prius toſtione quadam praeparauerint, aut ex inſigni copia radicum, ſeminum, cet. quam nominauit, ſelectum fecerint, quibus et varias radices mucilaginoſas et gelatinoſas, v. c. tragopogonis, bardanae, taraxaci, ſonchi, lactucae, carduorum plurium cet. addi poſſe, p. 221.

nec

nec effectu ſuo carituras eſſe monet. Quod deni-
p. 225. que in fine ex DAVILA et VOLTARIO adduci-
tur, in obſidione Lutetiae ſumma fame preſſos inco-
las eo compulſos fuiſſe, vt, ſpoliatis ſepulcris, oſſa de-
mortuorum in farinam redegerint et ex iis panem
parauerint, vtrum verum ſit, fidei hiſtoricorum re-
linquendum eſt.

XII.

De valuula coli ſpecimen inaugurale Auctore IOANNE MICHAEL ROEDERER. Argentoratenſi 1768. 4. tab. aen. 1. pl. 7½.

Talem haec res nacta eſt ſcriptorem, qualem illa poſtulat. Poſtquam enim accuratam nobis tradidit eorum, qui hac de valuula ſcripſerunt hiſtoriam anatomico-phyſiologicam et a VIDO VIDIO qui primus hanc valuulam deſcripſit (quae enim a CASPAR. BAUHINO GALENI loca excitantur, minime probant ei hanc valuulam iam cognitam fuiſſe) ad Ill. HALLERUM vſque omnes propemodum multo cum ſtudio e monumentis anatomicis collegit, variasque lites, circa eam ortas, enarrauit; modeſte aeque ac docte ſuam huius valuulae deſcriptionem communicat, in qua conficienda, et adornanda praeſertim figura huius valuulae, ſe multum Cl. LOBSTEINIO debere gratus agnoſcit.

Vidit vero Cl. Auctor villoſa et neruea tunica
p. 42. craſſi inteſtini a muſculoſa caute ſeparata, fibras
muſculoſas craſſi inteſtini tranſuerſas, quo magis ad coeci fundum ſeſe appropinquant, eo obliquiores fieri et circulis ſenſim ſenſimque minoribus circa oſtium proceſſus vermiformis circumduci et concentricas ad apicem huius proceſſus excurrere. Eaedem vero tranſuerſae fibrae craſſi inteſtini continuatae vtramque valuam valuulae coli inueſtiunt et per

ſuperio-

ſuperiorem quidem tranſuerſae feruntur, per inferiorem vero ſenſim aliquantum oblique a poſterioribus ad anteriora deſcendunt. E regione autem anguli inſertionis ilei latius quodammodo expanſae, inde ſenſim conuergunt, mox introrſum protruduntur et duplicatis ſtratis ſibi inuicem applicatae, arctequе concretae, eminentia valuulae cornua efficiunt, quae, vbi ad ipſum rimae angulum peruenerunt, bifurcata in vtramque valuam continuantur harumque extremam quaſi oram perficiunt. Tranſuerſae vero tenuis inteſtini fibrae quam arctiſſime coniungunt ſeſe in oris valuarum cum fibris craſſi, et efficiunt tunicam quandam muſculoſam communem, quae media linea obſcura, ad maiorem mox, mox minorem longitudinem excurrente ſenſimque obliterata, diſtinguitur. Atque ad huius lineae ductum vtriuſque inteſtini fibras ad lineae ſpatium nonnunquam Cl. Auctor diuiſit, vlterius vero ſeparare non potuit. Hinc ſuſpicatur, diſcriminis iſtam apparentem notam forſan a fibrarum vtriuſque inteſtini decuſſatione vel ab impreſſo diuerſo colore a diuerſis contentis vtriuſque inteſtini produci. Celluloſa vero per breuiuſculum ſpatium inter vtraſque fibras producitur, quae laxius ibi cohaerent et craſſiores apparent, mox vero euaneſcit, ita vt fibrae inter ſe concreſcant, tenuior haec muſculoſa communis appareat et in aciem quandam extenuetur. Longitudinales vero fibrae inteſtini ilei extremi in inferiore coitus inteſtinorum angulo, ad quem pertinet regio ilei, meſenterio oppoſita, coniungunt ſeſe quidem cum fibris coeci tranſuerſis, ad formandas autem valuas nihil conferunt. p. 44.

Tranſit deinde Cl. Auctor ad diuerſam inteſtini coeci et valuulae coli in diuerſis animalibus ſtructuram eamque in equo, porco domeſtico, porcello, mure domeſtico, lepore, cuniculo, boue, cane et fele demonſtrat. p. 46.

Diuer-

p. 51. Diuerſitate tandem in foetu humano et recens nato declarata, ad vtilitatem huius valuulae venit et triplicem eius eſſe facultatem, nimirum *retentricem*, *expultricem*, et *valuularem* oſtendit. Auget quidem chymi tranſeundi difficultatem vltimi tenuis inteſtini in omnibus, quae a Noſtro ſunt diſſecta, animalibus anguſtia, poſt mortem adhuc relicta, attamen, cum diutius hic morari oporteat chymum, prouida natura et hic pyloro, ani et veſicae ſphincteribus ſimile quid in conſtruenda hac valuula eſt molita. Demonſtrat enim Noſter, valuulam coli ſphincteris officium praebere, muſculi quippe caui, receptaculi cuiuſdam extremo ideo praefixi, vt praematurus contentorum elapſus cohibeatur.

Haec de facultate retentrice. Quod ad expul-
p. 56. tricem attinet, ciborum reliquiae protruduntur; cibaria enim puls muſculoſum clauſtrum validius ſollicitat, quod ſuperatum cedit relaxatumque, chymum recipit et in craſſum expellit.

Tertia tandem facultas valuularis dicitur. Val-
p. 57. vulas appellat Noſter eiuſmodi cuſtodias, canalibus aliisue animalium cauis intus appoſitas, quae materiae cuiuſdam relapſum impediunt, ſiue is effectus a mechanica conſtructione pendeat, quam ars imitari poteſt, ſiue a muſculari proficiſcatur actione, quae ſoli vitae animali eſt propria. Ad priores pertinent valuulae in venis, arteriarum initiis et cordis ſinubus; ad poſteriores pylorus aliaque. In homine vtrinque partim ex mechanica conſtructione, partim ex actione muſculari retinetur materia. Nec minus in equo ac porco, etiamſi in porco diuerſa eſt conformatio; in reliquis, quorum inteſtina luſtrauit Noſter, animalibus per muſcularem tantum actionem, nec quidquam eſt, quod mechanico modo remeatum inhibere queat.

XIII.
Noua phyſico - medica.

Societas ſcientiarum *Harlemenſis*, conuentu die 21. maii 1770. habito, elaborationes quaeſtionis 1768. *) propoſitae: *quid requiratur ad artem obſervandi et quantum haec conferat ad animum expoliendum et perficiendum*, perquiſiuit, et praemium BENIAM. CARRARDO VRBANO, verbi diuini miniſtro prope Bernam in Heluetia, adiudicauit. Praeterea duae aliae, quarum vna hanc habebat ſententiam: *Artem experientia fecit, exemplo monſtrante viam*, et altera erat inſcripta: *de natura naturam ipſam conſule*, ornatae ſunt *Acceſſit*, atque Societas earum auctoribus, a quibus, vt nomina profiteantur, petit, monetam argenteam attribuit, inſimulque vulgat, ſe edituram eſſe haec ſcripta.

Porro *Eadem* anno 1772. quaerit: *Quibus morbis ſint incolae noſtrae patriae ex naturali ſua conditione obnoxii? Quomodo ii arceri et curari queant?* Praemium eſt moneta aurea, et Cl. Viro VAN DER AA, qui Societati ab epiſtolis eſt, commentarii, quos germanice, gallice ſeu latine conſcribere et literarum charactere lectu facili vti oportet, ita ſunt mittendi, ne vlli eorum cauſſa Societati oboriantur ſumtus, poſſuntque omnes praeter Eiuſdem ſodales, quae ſentiant, cum Societate communicare.

Societatem naturae indagatorum *Gedanenſem*, quae tria illa praemia ex b. IOANNIS SAMUELIS VERCH reditibus, multa ab Eo Societati teſtamento relicta pecuniarum copia, illis diſtribuere polli-

*) V. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 358.

pollicita eſt, qui quaeſtiones, ab ea d. 18. maii 1768. propoſitas et a nobis *) traditas, ſoluerent, oportet indicare, ſeſe non poſſe promiſſis ſuis ſatisfacere, quoniam de effodiendo ſuccino nulla omnino tradita eſt Societati commentatio, et de impedienda putredine ligni quercus et pinus, et coercendis in eo efflorescentibus fungis, ac inprimis ea, quae in inveſtiganda nitri murarii cauſſa verſabatur, partim non ſatis definite eſt explicata, partim theoria minus vera et experientia incerta nitebatur. Sunt enim remedia propoſita, quae contrarium prodebant effectum.

Quibus ex cauſſis vulgat *Eadem* denuo, miſſis iis quaeſtionibus, quae conſeruationem ligni quercus et pinus, atque ſuccini effodiendi modum concernebant, grauem et vtilem *de nitro murario* quaeſtionem, quae cernitur *in inueſtiganda nitri murarii cauſſa; vtrum illa in lapidibus ſeu calce, ſeu vtroque ſimul, an in aliis poſita ſit cauſſis, et quaenam ſint optima remedia, quibus id partim a muro exſtructo abigi, partim ab exſtruendo arceri poſſit?* Habet quidem iam D. HIRSCHING *in Franconica collectione obſeruationum* Vol. I. Part. 2. Sect. 2. et Vol. IV. Part. 22. Sect. 2. contra illud quaedam remedia, quae ſatis apta ſunt muris ſiccis, minime vero imis aedificiorum contignationibus, ob nimiam humiditatis, quae ex terra prouenit, multitudinem. Pariter quoque laudatum oleum nucis ad hunc vſum minus idoneum videtur. Expectare licet illi, qui huius rei theoria limatam ac experientia probatam tradet elaborationem, praemium triginta numorum Hollandicorum aureorum, quod ſoluet Societas vltimo 1772. februarii die.

Praeterea autem duas ad annum 1771. addit *Eadem* quaeſtiones. Nimirum fac, vt magna vrbs aquam,

*) v. Comm. noſtr. Vol. XIV. p. 699.

aquam, ad coquendum bibendum aliaque neceſſariam, ex quodam aliquot millia pedum longo canale, qui trium aut quatuor decempedarum latitudinem et quatuor aut ſex pedum profunditatem, et quinque pedum decliuitatem habet, et cuius fundus maximam partem ex ſabulo partim, partim ex arena conſtat, deriuet; circa cuius littora autem, in remotione quadam forte 2500 decempedas ab initio canalis vſque ad vrbem, ab vtraque parte multi opifices, vt laniones, fabri ferrarii, doliarii, piſtores, cerdones, tinctores et alii, habitant, qui praeter has ſuorum negotiorum impuritates ſuariorum et latrinarum, ad ora littorum exſtructarum, multitudine aquam inquinant. *Quonam* itaque *modo* quaerit ſocietas, *poſſit haec ſupra deſcripti canalis aqua penitus pura et ab omnibus his inquinationibus liberata, commodiſſime et minus ſumtuoſe ad vrbem duci, ita tamen, vt a nullo eorum opificum aqua haec poſſit turbari, nec vllum eorum huius aquae vſu deſtitui oporteat.*

Altera quaeſtio haec eſt: *Quanam ratione in magna, hominibus plena et negotiorum multorum cauſſa florente vrbe, vbi quotidie onera grauiſſima curru vehuntur, viarum ſtratura, optime, firmiſſime, quam citiſſime, nec non minus ſumtuoſe perfici et conſeruari, inſimulque impuritates platearum, inprimis humida tempeſtate, praecaueri queant?* Cuilibet harum quaeſtionum conſtituit Societas viginti et quinque numorum aureorum Hollandicorum praemium, quod vltimo 1771. februarii die diſtribuetur.

Caeterum vti rogantur vel teutonica, vel latina, vel gallica lingua, ac litterarum charactere lectu non difficili; et commentarii ab omnibus omnino eruditis, exceptis ſodalibus ſocietatis, ante 31. octobris diem 1770, ſolutis impenſis, ita ſunt mittendi, vt auctores nomina ſua, dignitates atque domicilia in

ſchedula, ſigillo obſignanda, cui extrinſecus idem inſcribitur dictum, quo commentarius intrinſecus eſt notatus, cum Societate communicent, quae dein ſcripta, praemio condecorata, inprimi curabit.

Quamquam varii medici, inter quos FREDERICUM HOFFMANNUM, LAURENTIUM HEISTERUM et IOANNEM CONRADUM WAGNERUM nominare liceat, naturam, indolem et vſum *fontis medicati prope Hofgeiſmar* ſunt percontati, tamen, cum Sereniſſimus Landgrauius Fridericus II. multa ad eum emendandum contulerit, omnium intereſt, *vt a peritis et gnaris viris denuo partes conſtitutiuae huius fontis diſquirantur*, *indeque definiatur vſus eius aeque internus ac externus.* Quapropter tria iis ſunt conſtituta praemia, quibus in hanc rem inquirere placebit. Ac primum quidem conſtat quinquaginta, alterum triginta, tertium quindecim numis aureis Hollandicis, quibus tres elaborationes pro earum dignitate ornabuntur. Commentarii autem eadem ſententia intrinſecus, qua extrinſecus, ſunt inſigniendi, et cum ſchedula obſignata, in qua nomen, dignitas et domicilium auctoris latet, ad ſummum vltimo februarii 1771. die collegio medico, quod Caſſeliis floret, mittendi, quod pollicetur, has ſchedulas ſe non eſſe aperturum, niſi praemium ſit adiudicatum.

Porro ſcire refert, eos, qui huius rei cauſſa ad illum fontem ſe conferunt, per octo dies ſine impenſis ibi morari et habitare poſſe, iisque, tentaminibus traditis, itineris ſumtus redditum iri. Qui vero nolunt hoc iter ſuſcipere, aquam eius fontis petere poſſunt ab Ill. GEILING in Hofgeiſmar, et a WÜSTENBERG, conſiliario aulico, ibidem morante quippe quibus in mandatis hoc datum eſt.

Legimus

Legimus nuper, Cl. MURRAY, qui Societati regiae ſcientiarum *Gottingenſi* ab epiſtolis erat, hoc munus reliquiſſe, et Cl. HEYNE tradidiſſe, qui in poſterum ſocietatis mandata curabit.

Die 17. maii 1770. IOANNES BECKMANN Profeſſor oeconomiae ordinarius in Academia *Gottingenſi* electus eſt.

I. A. NOLLET, qui *Pariſiis* die 25. aprilis 1769. vitam cum morte commutauit, ſucceſſit Cl. BRISSON in collegio regio, et Cl. LE ROI in mechanica claſſe regiae ſcientiarum academiae.

Hagae Comitum aſtronomiae peritus PETER GABRY quinquageſimo ſuae aetatis anno die 7. maii 1770. mortuus eſt.

In Academia *Halenſi* Experientiſſimus FRIDERICUS CHRISTIANUS IUNCKERUS, Profeſſor medicinae publicus ordinarius, quadrageſimo primo aetatis anno obiit.

In Academia *Lipſienſi* deſiit viuere IOANNES HENRICUS WINCKLERUS, phyſices Profeſſor publicus ordinarius, die 18. maii 1770. ſexageſimo ſeptimo aetatis anno.

Relatum quoque legimus multa cum voluptate, Ill. ALBERTUM DE HALLER *medicam bibliothecam* latine eſſe editurum, in qua omnes omnino libri editi, qui medicinam ſpectant, non ſolum indicabuntur, ſed et cuiuslibet ſcribendi ratio cum iudicio Ill. HALLERI, rerum contentarum nouitas et inuentiones exponentur. Quod opus, quamquam Cl. Auctor breuitatis, quantum poteſt,

ſtudioſus erit, tamen amplum et magnum apparebit. Quapropter placuit Ei per partes ire, ac primum quidem *botanicam* edere *bibliothecam*, quae duobus voluminibus in quarto maiori, quorum ſingulum continet ſexaginta plagulas, conſtabit; dein *anatomicam* eiuſdem magnitudinis vulgare; tertio *chirurgicam* tradere, centum plagulas habentem; quarto *practicam* colligere in tribus voluminibus, quorum ſingulum ſeptuaginta aut octoginta plagulis conſtabit; et tandem *hiſtoriae naturalis* libris in duobus voluminibus, quorum ſingulum totidem plagulas complectetur, finem operi imponere. Prima pars itaque, quae botanicam ſpectat, apparebit Lipſienſi paſchatos 1771. mercatu, altera eodem tempore 1772. et ſic, interpoſito aequali temporis ſpatio, reliquae. Ceterum typorum nouitas et chartae puritas promittitur, et pretium conſtituitur ex numero plagularum, quarum quaelibet nouem nummulis conſtabit. Cui itaque eruditorum aeque ac bibliopolarum hoc inſtitutum non diſplicet, atque qui hoc opus deſiderant, illi rogantur, vt hac de re agant cum bibliopolis *Orell*, *Geſner* et *Fueſlin*, qui Tiguri viuunt, ſeu cum iis, quibus in michaelis 1770. mercatu Lipſienſi haec res eſt mandata.

Memoria

Memoria ANDREAE ELIAE BUECHNERI, Medicinae Doctoris et Profeſſoris Ordinarii in academia Halenſi, Sacri imperii Romani Nobilis, Conſiliarii, Archiatri et Comitis Palatini Caeſarei, Regi Boruſſiae a conſiliis intimis, Academiae naturae curioſorum Praeſidis, Academiae ſcientiarum Londinenſis, Berolinenſis et Monſpelienſis, Electoralis Moguntinae et botanicae Florentinae Socii.

Fuerunt in hoc Viro, praeter inſignem doctrinae laudem, multa alia, quae a nobis in praeſenti commendari poterant, docendi adſiduitas, diſſerendi facundia ſingularis, aegrorum non paucorum quotidiana cura, crebrior per academicas occaſiones diſputandi neceſſitas et alia, quae occupatam quidem et moleſtiis plenam vitam reddunt, ſed ad communes vſus admodum fructuoſa ſunt: verum cum in his omnibus BÜCHNERUS et alios ſui ſimiles habuerit, dicemus potius, quod ei proprium fuit, ſingularem curam academiae naturae Curioſorum, cui per multos annos Praeſidis nomine ita praefuit, vt priorum Praeſidum nulli vel auctoritatis amplitudine, vel conſiliorum grauitate, vel ſcriptorum vtilitate ac praeſtantia cederet. Non modo enim numerum ſodalium viris doctiſſimis cooptandis auxit; ſed et iura academiae quouis modo ſtabiliuit et defendit, quae vt a Carolo VII Imperatore confirmarentur, BÜCHNERUS, itinere ſuſcepto, praeſens impetrauit. Praeterea bibliothecam academiae, librorum copia non numeroſam, ita curando vrgendoque auxit, vt ſuperior numerus ad hanc multitudinem nihil eſſet, et digna bibliotheca videretur, cuius catalogum ederet, qui a. 1754 prodiit, poſt quae tamen tempora multo maior voluminum ac-

 ceſſio

ceſſio facta eſt. Sed externo quoque bibliothecae ſplendori conſuluit, quam vna cum muſeo, rerum naturalium refertiſſimo, Noriberga Erfordiam in ampliſſimas aedes transferendam curauit. Denique hiſtoriam omnem huius academiae ſingulari libro, a. 1755 edito, perſecutus eſt, vt iam ratio nobiliſſimae ſocietatis, cuius tot viri magni participes ſunt, et cui phyſica atque medicina tam multa debet, penitus perſpici poſſit, et luculenter appareat, quo labore et ſtudio, quantaque cum prudentia et honeſtate ad hanc laudem, qua inter omnes floret, euecta ſit. Erunt igitur merita BÜCHNERI et hac ex parte in perpetua veneratione, et quem ſocium habere academiae non paruo ornamento fuiſſet, eum Praeſidem fuiſſe, cum honorificum ſibi, tum fructuoſum ſemper praedicabit. Permagni enim intereſt rei literariae, tam bene inſtituta doctrinarum adiumenta ſtudioſe conſeruari, nec labores maiorum poſteritatis negligentia irritos fieri, aut ab vtiliſſimis conſiliis ad merum nomen deflectere, cum praeter communem in colligendis obſeruationibus vtilitatem etiam hoc ad literarum incrementum vnice valeat, quod quilibet, modo recte laborauerit, aliisque prodeſſe didicerit, ſibi ad ſocietatem honorum ac praemiorum cum ſummis viris aditum patere videt. Quae omnia BÜCHNERUS ita curauit, vt aliis laudabile exemplum relinqueret. Itaque libentiſſime narrabimus, qualis eius vita fuerit, vt ſimul tradere poſſimus, per quos gradus ad hanc Praeſidis dignitatem adſcenderit.

Fundamenta literarum iecit Erfordiae, vbi a. 1700 ex WOLFGANGO HENRICO, verbi diuini miniſtro, et BARBARA DOROTHEA APFELSTEDIA, natus erat. Exactis ſcholaſticae diſciplinae annis, in eiuſdem vrbis academia primum philoſophiam apud BROCKIUM et fratrem ſuum, poſt-

ea medicinam HARTMANNO duce tractauit, praeparatusque hoc modo Halam ſe contulit, vbi HOFMANNUM, ALBERTUM, COSCHWIZIUM, BOSSIUM et BUXBAUMIUM ſectatus eſt. Itinere per Sueuiam, Franconiam et vtramque Saxoniam finito, Erfordiae honores doctoris cepit, et medicinam docendo faciendoque coluit. Cum inter haec a duce Iſenacenſi munus phyſici Rudeſtadiani accepiſſet, etiam a. 1729 profeſſor medicinae extraordinarius Erfordienſis creatus eſt, donec a. 1737 profeſſor ordinarius eligeretur, quod praemium ei tanto magis debebatur, quanto fuerat patriae amantior, cum Ruſſiam adire noluiſſet, vnde ei dignitas aulici medici oblata fuerat. Tandem a. 1744 Halam vocatus eſt, ibique ad finem vſque vitae meruit, vt ab alio honoris gradu ad alium attolleretur. Non magnus in his, quae narrauimus, illuſtris famae velut apparatus eſſe videtur: nulla enim hic cernitur per plures vrbes iactatio, nulla multorum ad vnum concurſatio ſtrepens, nulla nouitas opinionum aut ſectae cuiuſpiam initia; omnia placide et leniter geruntur, videmusque quieſcentem BÜCHNERUM, non otio et fuga laborum, ſed conſtantia eorumdem negotiorum, ſuſceptaeque ſemel vitae fidum et perpetuum cultorem, ſine multo viciſſitudinum ſtudio. Quam vera igitur bona in eo fuiſſe putabimus, qui in hoc vitae placido curſu ad eumdem meritorum ac gloriae finem peruenit, quem maior pars anxie et ſollicite adſequi nititur. Nempe nihil opus eſt ad poſterorum praedicationem, niſi veritas, quae ſi futuris ſeculis vel vnum munus, idque ſummum, ab aliquo recte geſtum nunciet, ſi ab eo expletum omni modo officium tradat, quid attinet, huiusmodi famam de vitae tumultu et ſtrepitu, qui multitudinem percellit, ſilere? Sed, vt ad rem redeamus, enumerare iam liceat, quo ordine pro-

greſſus ſit ad honores apud exteros et ſuos. A. 1755 allectus eſt in ſocietatem Monſpelienſem, a. 56 in Moguntinam, a. 59 in Florentinam, a. 63 in Anglicanam. Ipſa igitur temporis ratio indicat, BÜCHNERUM non mature et feſtinanter titulos expetiiſſe, ſed clarum nobilemque meritis ab aliis ornatum eſſe. In academiam Naturae Curioſorum primum a. 1726 inuitatus eſt, conceſſo ipſi nomine BACCHII, ad munus Adiuncti a. 32 euectus, denique vna cum Praeſidis munere honorem Nobilis imperii Romano Germanici, archiatri Caeſarei et Comitis Palatini accepit. Et quamquam ipſius huius muneris cauſa ei inter omnium ordinum homines verſandum fuit, quos etiam Praeſidis nomine et auctoritate rexit: tamen numquam ſibi plus arrogauit, aut ab aliis metui potius, quam amari voluit. Omnino academia Halenſis, quae BÜCHNERI memoriam ſingulari ſcripto recoluit, integritatem eius et fidem erga collegas ita collaudauit, vt ſe magnitudinem huius iacturae non ſine multo dolore ſentire fateretur. Rara ei contigit felicitas, vt longe maiori candidatorum multitudini doctoratus honores tribueret, quam vllus aliquis in noſtris academiis profeſſor, ac fortaſſe ne in exteris quidem. Itaque non ſolum ab amicis coletur perpetuo, ſed a diſcipulis etiam in honore habebitur, quorum non paruum numerum internallo quadraginta annorum, ex quo primum Erfordiae docere coepit, ad eum conueniſſe credibile eſt.

XIV.

XIV.

Index ſcriptorum, phyſico medicorum, quae anno 1766. prodierunt *).

Catalogue hebdomadaire ou liſte des livres, eſtampes, cartes, ordonnances, édits, déclarations, arrêts, qui ſont mis en vente chaque ſemaine, tant en France, qu'en pays étrangers; l'indication des volumes, du nombre et de la grandeur dont ils ſont formés; les noms des auteurs, la nature du papier et du caractère etc. que l'on a employés et les adreſſes des libraires, ou autres, qui les vendent. Année 1766. à Paris. 8.

Collection academique, compoſée des mémoires, actes ou journaux de plus celebres academies et ſocietés litteraires, des extraits des meilleurs ouvrages periodiques, de traités particuliers et des pieces fugitives le plus rares, concernant l'hiſtoire naturelle et la botanique, la phyſique experimentale et la chymie, la médécine et l'anatomie; traduits en francois et mis en ordre par une ſocieté de gens de lettres Tom. VII. de la partie étrangere et le premier de la medecine ſeparée, à Dijon et à Paris. 4. av. fig.

Philoſophical transactions, giving ſome account of the preſent vndertakings, ſtudies and labours of the ingenious in many conſiderable parts of the world, Vol. LV. for the year 1765. Lond. 4. c. tab. aen.

Hiſtoire

*) Cum viderimus, nos, indices ſcriptorum phyſico medicorum, quae ſingulis annis prodierunt, in noſtris commentariis colligentes, nimis tarde procedere, et multos adhuc reſtare annos, conſtituimus apud nos, in quolibet volumine duos annos coniungere, vt ne nimium noſtri Lectores retardentur. Quae forte de praecedentibus annis adhuc ſuperſunt, illa ad Supplementa ſecundae decadis reſeruabimus.

Hiſtoire de l'Academie royale des ſciences année 1760 avec les mémoires de mathematique et de phyſique pour la meme année. Tirés des regiſtres de cette academie. à Paris 4. c. tab. aen.

Eiuſdem année 1763. ib. 4. c. tab. aen.

Hiſtoire de la ſocieté royale des ſciences établie à Montpellier avec les mémoires de mathematiques et de phyſique. Tirés des regiſtres de cette ſocieté. Tom. premier à Lyon. 4. mai. cum tab. aen.

Melanges de philoſophie et de mathematique pour les années 1762 – 1765. Tom. III. av. fig.

Verhandelingen vitgegeeven door de hollandſche maatſchappye der weetenſchappen te Haarlem. IX. Deel. Te Haarlem. 8. c. fig.

Loegen et medicinsk af det tydske ſprog, dat overſat, efter det andert oplag, ſom i Hamborg i Aaret 1760. er vd givet. Foerſte deel; ander deel, tredi deel an 1766. 8.

Noui commentarii academiae ſcientiarum imperialis Petropolitanae. Tom. X. ad annum 1764. Petropoli 4. mai. c. tab. aen.

Kongl. Wetenskaps academiens handlingar för år 1766. Vol. XXVII. Stockholm 8. c. fig. aen.

Der königl. ſchwediſchen Academie der Wiſſenſchaften Abhandlungen aus der Naturlehre, Haushaltungskunſt und Mechanik auf das Jahr 1763. Aus dem Schwediſchen überſezt von ABRAH. GOTTHELF KAESTNER, *25. Band. Hamburg u. Leipzig. 8. m. K.*

Eiuſdem *auf das Jahr 1764. 26. Band. ib. 8. m. K.*

Acta Heluetica phyſico - mathematico - botanico-medica, figuris aeneis illuſtrata et in vſus publicos exarata. Vol. VI. Baſil. 4. c. fig.

Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Zürch. 3. Band. Zürch. 8. m. K.

Hiſtoria

Hiſtoria et commentationes academiae Electoralis ſcientiarum et elegantiorum litterarum Theodoro Palatinae. Tom. I. Manhemi. 4. c. tab. aen.

Berliniſches Magazin oder geſammlete Schriften und Nachrichten für die Liebhaber der Arzneywiſſenſchaft, Naturgeſchichte u. der angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 2. Band. Berlin. 8. m. K.

Hiſtoire de l'academie royale des ſciences et de belles lettres de Berlin. Année 1764. avec les memoires pour le meme année. Tom. XX. à Berlin. 4. mai. av. fig.

Eiuſd. Année 1759. ou le Tome XV. Berlin. 4. av. fig.

Neues Hamburgiſches Magazin oder Fortſetzung geſammleter Schriften aus der Naturforſchung, der allgemeinen Stadt- und Land-Oeconomie und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 1. 2 und 3tes Stück. Hamburg. 8.

Continuation de l'hiſtoire générale des voyages; ou collection nouvelle 1) des relations des voyages par mer, découvertes, obſervations, deſcriptions omiſes dans celle de feu Mr. l'Abbe PREVOT, ou publiées depuis cet ouvrage 2) des voyages par terre, faits dans toutes les parties du monde, contenant ce, qu'il y a de plus remarquable et de mieux averé dans les pays, ou les voyageurs ont penetré; touchant leur ſituation, leur étendue, leurs limites, leurs diviſions, leurs climats, leur terroir, leurs habitations, leurs principales villes, leurs ports, leurs rades avec l'hiſtoire, les moeurs et les vſages des habitans; leur religion, leur gouvernement, leurs arts, leurs ſciences, leur commerce, leurs manufactures. Ouvrage enrichi des cartes geographiques nouvellement compoſées ſur les obſervations les plus authentiques de plans et de perſpectives, de figures d'animaux, de vegetaux, habits, antiquités etc. propoſé pour ſouſcription. Tom. I. à Paris. 4.

Sammlung

Sammlung der beſten und neueſten Reiſebeſchreibungen in einem ausführlichen Auszuge, worinnen eine genaue Nachricht von der Religion, Regierungsverfaſſung, Handlung, Sitten, natürlichen Geſchichte und andern merckwürdigen Dingen verſchiedener Länder und Völcker gegeben wird. Aus verſchiedenen Sprachen zuſammengetragen, 4ter Band. Berlin. 8. m. K.

Opiſanie zemli kamtſchatki ſotſchinennoje STEPANOM KRASCHENINNIKOWYM academii nauk profeſſorom. *d. i. Beſchreibung des Landes Kamtſchatka verfaſſet von* STEPHAN KRASCHENINNIKOW *Profeſſor bey der Academie der Wiſſenſchaften. II. Theile. 4. Petersburg bey der Academie der Wiſſenſchaften 1755. in einen Auszuge in Engliſcher Sprache bekannt gemacht von* IACOB GIEVE *Doctor der Arzneykunſt und mit Landcharten und Kupferbildern 1764. herausgegeben von* K. JEFFERYS *Königl. Erdſchreiber in London, nun in das Deutſche überſetzet und mit Anmerckungen erläutert von* IOHANN TOBIAS KÖHLER *Profeſſor zu Göttingen. Lemgo. 4.*

Deſcrizione d'un maraviglioſo ponte naturale nei monte Veroneſi. Verona. 4. c. tab. aen. (*Auctore* Cl. BETTI).

Onomatologia hiſtoriae naturalis, *oder vollſtändiges* Lexicon, *worinnen alle Benennungen der Kunſtwörter der Naturgeſchichte nach ihren ganzen Umfange erklärt und der reiche Schatz der Natur durch deutliche und richtige Beſchreibung des nüzlichſten und merckwürdigſten von allen Thieren, Pflanzen, Mineralien etc. erkläret wird. 3ter Theil. Um. 8. mai.*

Nouvelle encyclopedie portative, ou tableau général des connoiſſances humaines, ouvrage recueilli des meilleurs auteurs; dans lequel on entreprend de donner une idée exacte des ſciences les

plus

plus vtiles et de les mettre a portée du plus grand nombre de lecteurs à Paris. 8. Voll. 2. (Varia ex hiſtoria naturali hic leguntur.)

Natuurlyke hiſtorie of vit voerige beſchryving der dieren, planten, en mineraalen volgens het zamenſtel van den Heer LINNAEUS met naaukeurige afbeeldingen. Eerſte deels negende ſtuck. t'Amſterdam. 8. mai. c. tab. aen. (continet inſecta).

Allgemeine Hiſtorie der Natur nach allen ihren beſondern Theilen abgehandelt: nebſt einer Beſchreibung der Naturalien Cammer Sr. Maj. des Königs von Franckreich. Vten Theils 1ter und 2ter Band. 4. m. K.

Hiſtoire naturelle générale et particulière avec la deſcription du Cabinet du Roi. Tom. XIV. à Paris. 4. mai. av. fig.

Hiſtoire naturelle générale et particulière avec la deſcription du Cabinet du Roy. (par Mr. BUFFON *et* DAUBENTON) Voll. 17. nouvelle edition. Amſterd. 4.

British zoology etc. fourth et laſt part 107. tab. Lond. fol. cum tab. aen. viuis coloribus pictis.

Florae Danicae iconum faſciculus tertius a tabula CCXLI – CCC viuis coloribus pictis. (germanice et latine) Hafn. fol.

Fungi Carrarienſis hiſtoria (Auctore IO. MARSILIO, Pataui botanices profeſſ. Patau. 4. c. tab. aen.

Prodromus florae Argentoratenſis. Argentorat. 8.

Le bon Jardinier, almanach pour l'année 1766. contenant une idée générale des quatre ſortes de jardins, les regles pour les cultiver, la maniere de les planter et celle d'élever les plus belles fleurs. Nouvelle édition conſiderablement augmentée et dans laquelle la partie des fleurs a été entièrement refondue par un amateur, à Paris.

Neue Abhandlung von dem Baume Acacia oder dem Schotendorne. Aus dem Frantzöſiſchen überſetzt

von

von MAXIMIL. WILHELM REINHARD. *Carlſruhe.* 8.

Lettre ſur la culture du mélon, par l'Auteur des étrennes d'agriculture, à Bruxelles. 12.

Demonſtrations élémentaires de botanique à l'uſage de l'école vétérinaire. Tom. I. II. Lion. 8. mai. c. tab. aen.

Eſſai ſur l'esprit de la legislation favorable à l'agriculture, à la population, au commerce, aux arts et aux metiers, pieces couronnées par la ſocieté oeconomique de Berne à Paris. 8. Voll. 2.

Mémoires et obſervations recueillies par la ſocieté de Berne. Partie I – IV. pour l'année 1766. à Berne. 8.

Muſeum ruſticum et commerciale *oder auserleſene Schriften, den Ackerbau, die Handlung, die Künſte und Manufacturen betreffend, aus der Erfahrung genommen, und von verſchiedenen in dieſer Verrichtung geübten Männern mitgetheilt, von einigen Mitgliedern der Geſellſchaft zu Aufmunterung der Künſte, Manufacturen und Handlung aber durchgeſehen und herausgegeben. Aus dem Engliſchen überſezt und mit einigen Anmerckungen begleitet. Vierter und fünfter Band. Leipzig. 8. m. K.* (germanice reddidit I. I. S.).

Allgemeines oeconomiſches Forſtmagazin, in welchem allerhand nützliche Beobachtungen, Vorſchläge und Verſuche über die wirthſchaftliche Policey und Cameralgegenſtände des ſämmtlichen Wald-Forſt und Holzweſens enthalten ſind; geſammlet von einer Geſellſchaft, deren ordentliches Geſchäffte iſt, Waldungen zu gewinnen, zu benutzen und zu erhalten. 7 und 8. Band. Franckf. u. Leipz. 8. (Auctore IO. FRIDRICH STAHL).

Neue Beyträge zu der Cameral und Haushaltungs Wiſſenſchaft, aus der Natur und Erfahrung beſtärckt

ſtärckt von einer Societät in Thüringen. III. Stück. Jena. 8. m. K.

Sammlung Strelitziſcher wöchentlicher nützlicher Abhandlungen. 1 und 2ter Theil. Neubrandenburg. 4. (Plurima e re oeconomica continet).

Sammlung auserleſener Schriften zur Aufnahme der Wiſſenſchaften, nebſt einigen oeconomiſchen Abhandlungen auf das Jahr 1765. Franckfurth am Mayn. 4.

Neue oeconomiſche Nachrichten, 3ter Band. Leipzig. 8.

Der Hausvater, eine oeconomiſche Schrift, 1ſter und 2ter Theil. 2te Auflage. Hannover. 8.

Zur Aufnahme der Landwirthſchaft. ſ. l. 4.

Der Ackerbau nach den neueſten Erfahrungen, zum Gebrauch der Liebhaber des Feldbaues, der Pächter und der Ackerleute. Augsburg u. Memmingen. 8.

Schwediſches oeconomiſches Wochenblatt. 1ſter Band. Greifswalde. 8. (Aus dem Schwediſchen überſezt von Herrn Profeſſor DAEHNERT).

Der Wirth im Staat zu Haus und auf dem Lande. Baſel. 8.

Anhang zu dem Verſuche, einen Haushofmeiſter zu bilden in 5. Abtheilungen als der 2te Theil, nach einer etliche 30 jährigen Erfahrung zuſammengeſchrieben von einen Hauswirthſchafter. Frankfurth u. Leipzig. 8.

Anleitung zu der Pflantzung und Wartung der vornehmſten Küchengewächſe. Bern. 8. mai.

Niederſächſiſches Kochbuch oder 710. Anweiſungs - Regeln, wornach ſowohl koſtbare als ordinaire Speiſen praeparirt, auch Garten - Früchte eingemacht werden können, nebſt Unterricht von Confitüren, 6te verbeſſerte Auflage. Altona. 8.

Neues wohl eingerichtetes Kochbuch aus mehr als 400. Faſtenſpeiſen beſtehend. Tübingen. 8.

Der beym Einkauf in und ausländiſcher Weine klüglich verfahrende teutſche Handelsmann und Hauswirth.

Enthält den Weinhandel überhaupt von in und ausländiſchen Weinen, von der Wiſſenſchaft die Weine zu probiren, vom vieſieren der Weine, von den bey Bezahlung der Weine vorkommenden Geſchäfften und der Aufbewahrung der Weine. Leipzig. 8.

Vollſtändige Abhandlung des geſammten Weinbaues und andrer daraus entſtehenden Producte, nebſt einem Anhange von allen übrigen den Weinmangel erſetzenden Geträncken, ingleichen von Eſſigmachen und Branteweinbrennen, von den Ertrag eines Weinbergs, dem Weinhandel und von denen Weinbergsordnungen. Erſter Band. Frankfurth und Leipzig. 8. (Auctor eſſe dicitur IOANNES CONRAD RAST).

Abregé du Pilotage, diviſé en deux parties, ou l'on traite principalement des amplitudes, des loxodromies dans l'hypotheſe de la ſphere et du ſpheroide des marées, des variations de l'aimant et de la recherche de longitudes à la mer. à Paris. 8. av. fig.

Traité des eaux minerales de Meslange contenant 1) l'analyſe des dites eaux, 2) pluſieurs pieces, qui tendent à conſtatér l'état de leurs ſources 3) vne theſe ſoutenue aux écoles de médecine de Paris, ſur leurs vertus dans les maladies chroniques 4) la traduction de la dite theſe 5) les obſervations de pluſieurs médecins de la Faculté de Paris ſur leurs proprietés médicinales. à Paris. 12.

Unterricht von dem Auguſtbrunn bey Radeberg. 8.

Abhandlung von den Schlackenbädern. Quedlinburg. 8.

Kleine Abhandlungen einiger Gelehrten in Schweden über verſchiedene in die Phyſic, Chemie und Mineralogie laufende Materien 1ſter Band. Aus dem Schwediſchen überſezt. Koppenhagen und Leipzig. 8. (Sunt potiſſimum diſputationes, quae Vpſaliae praeſide IOANNE GOTTSCHALCK WALLERIO prodierunt).

Miſcel-

Miſcellanea chymica et metallurgica. Hof. 8.

Dictionnaire portatif des arts et màtiers, contenant en abregé l'hiſtoire, la deſcription et la police des arts et métiers, des fabriques et manufactures de France et de pays étrangers. à Paris. 8. Voll. 2.

Petite encyclopedie: ou les elemens des connoiſſances humaines, contenant les notions générales de toutes les ſciences, de tous les arts utiles et des matieres, qui ont rapport à la ſocieté. Ouvrage dans lequel on ſ'eſt propoſé d'inſtruire les jeunes gens d'une infinité de choſes, qu'ils ignorent, c'eſt à dire, de leur faire connoitre le monde qu'ils habitent, la terre qui les nourrit, les arts, qui fourniſſent a leurs beſoins, les matieres, qui ſont l'objet des divers états, qu'ils pourront embraſſer, en un mot de former des citoyens. Tom. I. II. ib. 12. mai. av. fig.

Dictionnaire de chymie, contenant la theorie et la pratique de cette ſcience; ſon application à la phyſique, à l'hiſtoire naturelle, à la medecine et à l'economie animale; avec l'explication detaillée de la vertu et de la maniere d'agir des medicamens chymiques et les principes fondamentaux des arts, manufactures et métiers dependans de la chymie. à Paris. 8. Voll. 2. (*Auctore Cl.* MACQUER).

Obſervations ſur les memoires de Mr. GUETTARD concernant la porcelaine, lues à l'academie des ſciences a Paris. 12.

Gantz neu entdeckte Schmelzkunſt, wie bey Schmelzung der Metalle und Hütten Wercker alle mercurialiſche, arſenicaliſche und ſulphuriſche Theile können erhalten und genutzet werden. 4. m. K.

Eſſai pour ſervir à l'hiſtoire de la putrefaction: par le traducteur des leçons de chymie de Mr. SHAW. à Paris. 8. mai. av. fig.

Pharmacopoeia collegii regii medicorum Edinburgenſium, ſecundum editionis Edinburgenſis nouiſſimae exemplar in vſum praelectionum academicarum. Brem. et Lipſ. 8.

Anecdotes de médecine, ou choix de faits ſinguliers, qui on rapport à l'anatomie, la pharmacie, l'hiſtoire naturelle etc. aux quels on a joint des anecdotes concernant les médecins les plus celebres, nouv. edition. à Lille et Paris. 12. Voll. 2. (*Auctor eſt Cl.* DUMONCHAU).

Dictionnaire raiſonné d'anatomie et de phyſiologie, dans lequel on trouve 1) la deſcription exacte de toutes les parties du corps humain 2) l'étymologie de beaucoup de termes difficiles 3) des reflexions pathologiques et therapeutiques ſur les parties, que l'on decrit, 4) la maniere de faire toutes ſortes de préparations anatomiques et l'art de les conſerver 5) l'explication phyſique et mechanique de toutes les fonctions de l'homme, avec des reflexions pathologiques et therapeutiques ſur les derangemens, qui peuvent y ſurvenir. Le tout orné de beaucoup d'obſervations utiles et curieuſes, à Paris. 8. Voll. 2. (*Auctor eſſe dicitur Cl.* DE FIEU).

Nuove oſſervazioni ſopra i globetti roſſi del ſangue, in Lucca. 8. (*Auctor eſt* ABBAS FELICE FONTANA).

Geſchencke für das ſchöne Geſchlecht, oder die Kunſt die Schönheit zu erhalten. Aus dem Arabiſchen überſezt 2. Theile. Berlin und Stralſund. 8.

Alethophilorum quorundam Viennenſium elucidatio neceſſaria epiſtolae de cicuta, quam HAENIUS ſcripſit ad Ill. TRALLES. Vindobon. 8.

Eſſai théorique et pratique ſur les maladies des nerfs. à Paris. 12.

Morbus Anglicanus ſanatus: or a remarkable cure of

of an inveterate ſcurvy. Made public for the benefit of thoſe, who labour under the ſame troubleſome diſorder. In a letter from a COUNTRY CLERGYMAN to his ſon in London. Concluding with a contrivance or two, for ſaving the lives of thoſe, who shall happen to be in the upper Rooms of a Houſe, when the lower are on Fire. Lond. 8. mai.

Examen d'un livre, qui a pour titre: paraléle des differentes méthodes de traiter la maladie venerienne, dans lequel on refute les ſophiſmes de l' auteur et on demontre par les faits les plus authentiques la ſuperiorité des dragées antiveneriennes ſur tous les remedes antiveneriens connus juſqu'ici. à Amſterdam et à Paris. 12.

Briefe über das Blatterpelzen dem Parlemente zu Paris gewidmet, 2 *Theile. Altona. 8.*

Mémoires et obſervations ſur la méthode d'inoculer la petite verole. à Bruxelles. 8.

Traité des fievres de l'isle de Saint Domingue. ſeconde edit. à Paris. 12.

Supplement aux obſervations ſur les maladies des armées dans les camps et dans les garniſons. à Paris. 12. (*Eſt traductio ſupplementi libro Cl.* PRINGLE).

Ausführlicher Beweiß desjenigen, ſo bey der am 2ten Jenner auf Befehl alhieſiger Churfürſtlichen hochlöblichen Regierung an den Leichnam des Herrn Stadthalters Freyherrn von Schmidtburg vorgenommenen Section ſich befunden, nebſt gründlicher Widerlegung derer gegen den darüber erſtatteten Bericht und deſſelben weitern Erläuterung ausgeſtreueten Einwendungen, herausgegeben von den erſten 3. Aſſeſſoribus der mediciniſchen Facultät zu Erfurth. Erfurth. 4. (Auctor eſt Cl. MANGOLD).

Notizie intereſſanti ſu la graviſſima malettia, che

 traſſe

traſſe di vita la S. Conteſſa B. P. C. Venetia. 4. (*Auctore Cl.* CALDANI).

Méthode de guerir les hernies ou deſcentes, avec la maniere de faire les bandages. à Paris. 12. (*Auctor eſt Mr.* DE LA GENEVRIERE).

Recueil d'obſervations d'anatomie et de chirurgie, pour ſervir de baſe a la theorie des léſions de la téte par contre coup. ibid. 8. (*Auctore Cl.* LOUIS).

Einige Beobachtungen und Unterſuchungen, welche die Geſchäffte der Erzeugung und die Geburthshülffe betreffen. Nürnb. 8. m. K.

Recueil des pieces relatives à la queſtion des naiſſances tardives; contenant 1) un memoire ſur le mechaniſme et la cauſe de l'accouchement, lu a l'academie Royale des ſciences, 2) des obſervations ſur ce, que Mr. ASTRUC a ecrit, touchant les naiſſances tardives, 3) une conſultation en faveur des dites naiſſances tardives. 4) Lettre à Mr. BOUVART, en reponſe à la critique, qu'il a fait de la conſultation précedente par A. PETIT. à Amſterdam et Paris. 8. Voll. 2.

Kunſt und Wundarzt bey Menſchen und Vieh. 8.

Hippographia, *d. i. deutliche und vollſtändige Beſchreibung eines Pferdes nach ſeiner Schönheit, Tugenden, Mängeln, wie auch ihm zuſtoſſenden Kranckheiten und dafür bewährt erfundenen Mittel von einem engliſchen Roſsarzt beſchrieben und überſezt. Leipzig. 8.*

Phyſicaliſche Abhandlungen von den ſeltſamſten und merckwürdigſten Begebenheiten der Natur, herausgegeben von I. W. C. A. *Freyherrn von H. C. Z. U. Frankfurth u. Leipzig.*

PAUL. ADAMI diſp. inaug. ſiſtens hydrographiam comitatus Frenoſinienſis. Vienn. 8.

BERNH. SIGFR. ALBINI academicarum annotationum liber ſeptimus. Continet anatomica, phyſiologica, pathologica. Leid. 4. c. f.

Examen

Examen du ſyſteme de Mr. NEWTON ſur la lumiere et les couleurs par Mr. F. ALEROPHILE. à Euphronople. 12.

CART. NEOPOMUC. ALTMANN diſſ. inaug. ſiſtens analyſin plantarum antiſcorbuticarum et tentamina: num in iis ſal volatilis alcalinus praeexiſtat. Vienn. 8.

Von der Handlung in Egypten, von ALY-PECHUM. *Cairo, Voll. 3.* (In lingua Aegyptiaca hic liber ſcriptus eſt, ibique inprimis tractatur hiſtoria naturalis plantae Caffee).

Traité de l'homme ſelon les differentes merveilles, qui le compoſent par le Pere ANDRÉ. Yverdun. 12. Voll. 2.

Nouvelles obſervations, de Mr. ANDRÉ, maitre en chirurgie, chargé de la part des miniſtres, de la fourniture des bougies chirurgicales pour les hopitaux militaires de terre et de mer; ſur les maladies de l'urethre et de la veſſie, cauſes des retentions d'urine: ou l'auteur demontre contre les aſſertions de Mr. le CAT, et de ſes partiſans, le vrai deguiſement des maladies ſecrettes et l'impoſſibilité de les guerir ſans l'uſage de ſes bougies et de ſa méthode. à Amſterdam et à Paris. 8.

Voyages depuis Saint Petersbourg en Ruſſie dans diverſes contrées de l'Aſie; à Pekin, à la ſuite de l'ambaſſade envoyée par le Czar PIERRE à KAMHI Empereur de la Chine; à Iſpahan en Perſe avec l'Ambaſſadeur du meme Prince à SCHAH HUSSEIN Sophi de Perſe; à Derbent en Perſe avec l'armée de Ruſſie, commandée par le Czar en perſonne; à Conſtantinople, par ordre du Comte OSTERMANN, Chancelier de Ruſſie et de Mr. RONDEAU, miniſtre d'Angleterre à la cour de Ruſſie. On y a joint une deſcription de la Siberie et une carte de deux rou-

tes de l'auteur, entre Moſcow et Pekin. Par JEAN BELL d'ANTERMONY; traduits de l'Anglois par M*** avec des remarques hiſtoriques, geographiques etc. à Paris. 12. Voll. 3. (*Plurima ſpectant hiſtoriam naturalem*).

Memoire ſur l'action d'un feu égal, violent et continué pendant pluſieurs jours ſur un grand nombre des terres, de pierres et de chaux metalliques, eſſayées, pour la plupart, telles, qu'elles ſortent du ſein de la terre; lu a l'academie royale de ſciences les 16. et 28. maj. 1766. par Mr. D'ARCET. à Paris. 8.

PETR. ARDUINI memorie di oſſervazioni e di ſperienze ſopra la coltura e gli uſi di varie piante, che ſervir poſſono all' oeconomia. Padua. 4. mai. c. tab. aen.

PETR. GABR. ARNOLD diſp. inaug. de febre bilioſa peruerſa methodo tractata ac in febrem quartanam, tandemque in hydropem aſcitem degenerata. Gryphiſwald. 4.

L'art d'accoucher reduit à ſes principes, ou l'on expoſe les pratiques les plus ſures et le plus uſitées dans les differentes eſpeces d'accouchemens; avec l'hiſtoire ſommaire de l'art d'accoucher et une lettre ſur la conduite, qu' Adam et Eve durent tenir a la naiſſance de leurs premiers enfans par I. ASTRUC. à Paris. 12. mai.

JOSEPH. FRANC. AURRAN diſſ. inaug. de elinguis feminae loquela. Argentinae. 4.

Eiuſd. table des articulations des os ſelon un nouveau ſyſteme et leur rapport à celui des anciens. à Strasbourg.

Arzneyen, eine phyſicaliſche mediciniſche Monathſchrift zum Unterricht allen denen, welche den Schaden der Quackſalber nicht kennen, von E. G. BALDINGER. *Erſter Band. Langenſalza. 8.*

Memoire

Memoire ſur les maladies epidemiques des beſtiaux, qui a remporte le prix propoſé par la ſocieté Royale d'agriculture de la generalité de Paris pour l'année 1765; compoſé par Mr. BARBERET et inprimé par ordre de la Societé, avec des notes inſtructives. à Paris. 8.

An inquiry into the merits of a method of inoculating the ſmall-pox which is now practiſed in ſeveral countries of England. By GEORGE BAKER. Lond. 8.

Abregé chronologique, ou hiſtoire des decouvertes faites par les Européens dans les differentes parties du monde; extrait des relations le plus exactes et des voyageurs le plus vérédiques. Par Mr. IEAN BARROW. Traduit de l'anglois par Mr. TARGE. Tom. I. II. à Paris. 12.

IACOB BASTERI opuſcula ſubceſiua, obſeruationes miſcellaneas de animalculis et plantis continentia. Tom. 2di liber 4. Harlem. 4. c. f. aen.

Manuel de chymie, ou expoſé des operations de la chymie et de leurs produits: ouvrage utile aux perſonnes, qui veulent prendre une idée de cette ſcience, ou qui ont deſſein de ſe formér un cabinet de chymie; 2nde edit. revue et augmentée, Par Mr. BAUMÉ. à Paris. 12.

De hiſtoria naturali veterum libellus primus. Auctore IOANNE BECKMANNO. Petroburg. et Gotting. 8.

Eiuſd. diſp. Medel hvarigenem Akeriordmonernas fruktbarhet säkraſt kan främjas. Abo.

DAVID BECHERS *neue Abhandlung von Carlsbad. Erſter Theil. Chymiſche und phyſicaliſche Unterſuchung der Carlsbader warmen Quellen. Prag.* 4.

SAMUEL. SIEGFRIED BEDDEUS diſſ. inaug. de verme taenia dicto. Vienn. 8.

IO. BERND BICKER diſp. inaug. de igne. Vltraject. 4.

Verſuch aus den Centralkräften die Würckungen des Schieſspulvers zu beſtimmen, woraus zugleich eine zur Verbeſſerung der verſchiedenen Mündungen des Schieſsgewehrs dienliche Theorie hergeleitet wird von Herrn BIGOT VON MOROQUES *Artillerieoffi-cier bey dem Seeweſen. Aus dem Frantzöſiſchen über-ſetzt. Nürnb. 8.*

Medical eſſays and obſervations by CHARL. BIS-SET, M. D. Newcaſtle upon Tyne. 8. mai.

A diſquiſition on medecines, that diſſolve the ſtone, in which Dr. CHITTICK's ſecret is conſiderd and diſcovered. By ALEXANDRE BLACK-RIE. Lond. 8.

PHILIPP. ADOLPH. BOEHMER diſſ. inaug. qua ad quaeſtionem: an purpura arte exſtirpari queat? reſpondetur. Auct. et reſp. *Car. Aug. Süſſemilch.* Halae. 4.

GEORG. RUDOLPH. BOEHMER progr. de na-tura vulnerum medicatrice. Vitebergae. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de exanthematum, quae cum fe-bre ſunt, differentia et origine diuerſa. Reſp. *Car. Henric. Titius.* ib. 4.

Traité des fievres intermittents, traduit du latin des aphoriſmes DE BOERHAAVE commentées par Mr. le Baron VAN SWIETEN par Mr. PAUL. 2. parties. à Paris. 12.

Eſſais ſur la culture du murier blanc et du peuplier d'Italie et les moyens les plus ſurs d'etablir ſolide-ment et en peu de tems le commerce de ſoies. Par Mr. BOLET. à Dijon.

Obſeruationes medicae IOANNIS A BONA, Ve-ronenſis Patau. Acad. Prof. ad praxin in noſoco-mio oſtendendam anno 1765. Praemiſſa oratio-ne prima in Gymnaſio habita et mantiſſae loco addita hiſtoria aliquot curationum mercurio ſu-blimato corrodenti perfectarum olim edita. Pa-tauii. 4.

Betrachtung

Betrachtung über die Natur von Herrn CARL BONNET. *Aus dem Franzöſiſchen überſ. von* IO. DANIEL TITIUS. *Leipz. 8. mai. m. K.*

ERNEST. GOTTLOB BOSE diſp. inaug. de virium corporis humani ſcrutinio medico. Reſp. *Io. Samuel. Langmaſius.* Lipſ. 4.

Des Herrn BOURGELAT *Lehrbegriff der mediciniſchen Materie oder Beſchreibung der einfachen Arzneyen nach ihren Würckungen, nebſt den mediciniſchen Formeln zum Gebrauch der Lehrlinge in der Königl. Vieh- Arzeney Schule zu Lyon. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Leipzig.* 8.

R. BROCKS *vollſtändiges Handbuch der ganzen practiſchen Arzneygelahrheit aus denen Schrifften der berühmteſten Aerzte und den Wercken der gelehrten Geſellſchaften zuſammen getragen, in Ordnung gebracht, und mit einer Einleitung von den Unterſcheidungs-Kennzeichen der Krankheiten verſehen. 2ter Theil. Berlin. 8.*

Pathological inquiries and obſervations anatomicals by RICHARD BROWNE. London. 8. mai.

Memoire ſur les maladies contagieuſes et epidemiques des bêtes à corne par Mr. BRUAND, qui a remporté le prix de l'Academie de Beſancon ann. 1763. Beſancon. 12. Voll. 2.

VALENTIN. BRUSATI diſp. inaug. de morbis foeminarum. Vindobon. 8.

M. G. BUCHERS *Entwurf eines Landwirthſchaffts Calenders über die jeden Monath vorfallenden vornehmſten Haushaltungs Verrichtungen etc. Neue Auflage. Leipz. 8. mai.*

Tournefortius Lotharingiae, ou catalogue des plantes, qui croiſſent dans la Lorraine et les trois Evechés rangées ſuivant le ſyſteme de TOURNEFORT, avec les endroits, où on les trouve le plus communement, par Mr. P. I. BUCHOZ. à Paris et Nancy. 8. mai.

ANDRE

ANDR. ELIAS BÜCHNER diſſ. inaug. de purgantium reſinarum et gummatum conuerſione in ſapones horumque vſu medico. Auct. et Reſp. *Io. Chph Henr. Kruſe.* Hal. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de veſicatoriorum, parti dolenti applicatorum, vſu ſalubri et nociuo. Reſp. *Chriſt. Frid. Weitzmann.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de vſu corticis Peruuiani chirurgico. Reſp. *Car. Erneſt. Kronecker.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de vſu neruorum telaeque celluloſae in nutriendis humani corporis partibus. Reſp. *Thom. Ludolph. Stute.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de natura ſomni eiuſque cauſſis. Reſp. *Florent. Gottl. Feſt.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. qua oſtenditur, non omnia ſalia alcalina fixa ignis progenies eſſe. Reſp. *Io. Frid. Gerh. Koch.* ib. 4.

Eiuſd. diſp. inaug. de morte in fulmine tactis. Reſp. *Car. Ferdin. Hoffmann.* ib. 4.

Eiuſd. diſp. inaug. de militum valetudine ab aëris iniuriis defendenda. Reſp. et Auctor. *Procop. Kolloſſowskyi.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de nonnullis ad morbillorum inſitionem ſpectantibus. Reſp. et Auctore *Io. Aug. Beni. Boehme.* ib. 4.

Eiuſd. diſp. inaug. de cautius defendenda fructuum horaeorum in producenda dyſenteria innocentia. Reſp. *Io. Gottfr. Degner.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. ſiſtens febrium generalem conſiderationem pathologico - practicam. Reſp. et Auctore *Beniam. Gottlob. Henrion.* ib. 4.

Eiuſd. diſp. inaug. de vaſorum obſtructione, quatenus febris et inflammationis cauſſa habenda eſt. Auct. et Reſp. *Aug. Gotthard Fuhrmann.* ib. 4.

Eiuſd. diſp. inaug. de paralyſi ſine neruorum et arteriarum laeſione. Auct. et Reſp. *Chph. Detlef Hahn.* ib. 4.

ANDR. EL. BÜCHNER diſſ. inaug. de diuerſa hydropi medendi methodo. Auct. et Reſp. *Io. Gottlieb Petr. Bluth.* Hal. 4.

ANT. FRIEDR. BÜSCHINGS *Beſchreibung des todten Meeres in Paläſtina. Hamb.* 8.

Hiſtoriſche Nachricht von dem Unter und geſammten Oberharziſchen Bergwercke überhaupt, auck verſchiedener inſonderheit zu den letzten gehörigen Aufkunft etc. von HENNIG CALVÖR. *Braunſchweig. fol.*

Deſcription d'une machine à feu, conſtruite pour les ſalines de Caſtiglione; avec des détails ſur les machines de cette eſpece les plus connües et ſur quelques autres machines hydrauliques, ſuivie d'un memoire ſur la conſtruction des ſalines par Mr. LOUIS GUILL. DE CAMBRAY, Ecuyer. à Parme. 4. c. 10. tab. aen.

IOS. AUG. DE CAPELL cortex Peruuianus in diſp. inaug. propoſitus. Vindob. 8.

CHRIST. HERRMANN CARGER diſſ. inaug. curationem febrium continuarum putridarum ſpectans. Gryphiswald. 4.

MATTH. THOMAS LA CASSAIGNE quaeſt. med. an bubones, febribus malignis ſuperuenientes, immaturi cauterio aperiendi? Reſp. *Lud. Claud. Gilbart.* Paris. 4.

Lettre de Mr. LE CAT Ecuyer, ſur les avantages de la reunion du titre de docteur en medecine avec celui de maitre en chirurgie et ſur quelques abus dans l'un et l'autre art. à Amſterd. 8.

Eiuſd. nouveau ſyſteme ſur la cauſe de l'evacuation periodique du ſexe. Lettre à l'Auteur du Journal de medecine, ſuivie d'une reponſe à des objections faites contre ce ſyſteme par laquelle il devient encore plus ſolidement etabli et l'hypotheſe oppoſée radicalement detruite. à Amſterdam et à Paris. 12.

AUR.

AUR. CORN. CELSI de medicina libri octo. Ex fide vetuſtiſſimorum librorum recenſuit, innumeris deprauationibus, partim aliunde, partim a LINDENIO inuectis, liberauit, lectiones variantes et animaduerſiones tum aliorum probatiſſimorum auctorum CAESAREI, CONSTANTINI, IO. SCALIGERI, CASAUBONI, ALMELOVENII, MORGAGNI, TRILLERI, tum ſuas, nec non indices copioſos, aliaque adiecit CAROL. CHRIST. KRAUSE. Lipſ. 8. mai.

Nouveau traité des ſerins de Canarie; contenant la maniere de les elever, de les appareiller pour en avoir de belles races, avec des remarques ſur les ſignes et cauſes de leurs maladies et pluſieurs ſecrets pour les guerir. Par I. C. HERVIEUX DE CHANTELOUP. à Paris. 12.

Lettre de Mr. CHATANET à Mr. CAMBON pour ſervir de refutation à une lettre de Mr. VANDERGRACHT, inserée dans une brochure ayant pour titre: Lettre de Mr. LE CAT a Mr. DUMONT fils, ſur l'opinion de l'adhérence des pierres à la veſſie et autres erreurs, ou imputations, contenues dans une Brochure de Bruxelles. 8. (*ſine loco*).

Hiſtoire naturelle des Fraiſiers, contenant les vues d'économie reunies à la Botanique, et ſuivie de remarques particulieres ſur pluſieurs points, qui ont rapport a l'hiſtoire naturelle générale par Mr. DU CHESNE fils. à Paris. 12. Voll. 2.

Pathological inquiries and obſervations in ſurgery from the diſſections of morbid bodies. With an appendix containing twelfe caſes on different ſubjects. By RICHARD BROWNE CHESTON, Surgeon. Gloceſter. 4. mai. c. f.

Dictionaire oeconomique, contenant l'art de faire valoir des terres et de mettre à profit les endroits

droits les plus ſteriles; l'établiſſement, l'entretien et le produit des prés, tants naturels, qu'artificiels; le jardinage, la culture des vignes, des arbres foreſtiers et fruitiers et des arbuſtes; le ſoin qu'exigent les bêtes à cornes et celles à laine; les chevaux, les chiens, etc. La façon d'élever et de gouverner les abeilles, les vers à ſoie, les oiſeaux de baſſe cour, de proie et de voliere. On y trouve un ample detail des profits et des agrémens, que procurent les biens de campagne, objet, qui comprend la chaſſe, la peche, la fabrication des filets, pieces, etc. l'appret des alimens, la compoſition des liqueurs, confitures et autres choſes d'office; une exacte deſcription des végétaux les plus propres à nous ſervir d'alimens, à favoriſer l'exploitation des biens de campagne, à decorer les jardins, des inſtructions pour prévenir les maladies et pour les guerir, la connoiſſance des plantes utiles à la medecine, à la teinture et à d'autres arts; le detail de leurs diverſes proprietés, leurs culture et les moyens de les employer, avec une idée ſommaire de ce, qui concerne les droits ſeigneuriaux et ceux des communautés et des eccleſiaſtiques, par rapport aux biens de campagne etc. Ouvrage compoſé originairement, par Mr. NOEL CHOMEL. Nouvelle edit. corrigée, augmentée et accompagnée de figures. à Paris. fol. Vol. 3.

Eſſais ſur les maladies contagieuſes du betail, avec les moyens de les prevenir et d'y remedier efficacement. Par Mr. CLERC. à Paris. 8.

Noua variolis medendi methodus, cum ſpecimine obſeruationum miſcellarum, rem medicam illuſtrantium, auctore IO. FRID. CLOSSIO. Traj. ad Rhen. 8.

Reliqua proxime.

Contenta in hac parte.

I. Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie. Tom. IV. pag. 1

II. WALLERII elementa metallurgiae ſpeciatim chemicae. 31

III. RHAZES de variolis et morbillis. 58

IV. Journal de Medecine par Mr. ROUX Tom. XXIII et XXIV. 60

V. HEUERMANN *vermiſchte Bemerckungen und Unterſuchungen der ausübenden Arzneywiſſenſchaft. 2ter Band.* 81

VI. Recueil d'obſervations de médecine des hôpitaux militaires par Mr. DE HAUTESIERCK. 88

VII. BATIGNE eſſai ſur la digeſtion. 96

VIII. WEBER *von der Würckung des künſtlichen Magnets in einem ſeltnen Augenfehler.* 102

IX. LINNAEI ſyſtema naturae. Tom. II. 104

X. Medical obſervations and inquiries by a Society of Phyſicians in London. Vol. III. 129

XI. MANETTI delle ſpecie diverſe di frumento e di pane etc. 154

XII. ROEDERER diſſ. de valuula coli. 158

XIII. Noua phyſico medica. 161

XIV. Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1766. prodierunt. 171

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XVI. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Hiſtoire de l'Academie royale des ſciences et belles lettres, année 1760. à Berlin chez Haude et Spener 4. 1767. 2. Alph. 15. pl. 11. Tab. aen. Année 1761. ibid. 4. 1768. 2. Alph. 20. pl. 10. Tab. aen.

h. e.

Hiſtoria Academiae regiae Scientiarum et elegantiorum litterarum. An. 1760. 1761. Berolini cet.

In claſſe philoſophiae experimentalis ad annum ſexageſimum ſequentes commentationes proponuntur.

1. *Meditationes de influxu, quem diuerſae radiorum lucis refrangibilitati* NEWTONUS *in teleſcopia dioptrica attribuit.* Auctore Ill. Com. de REDERN. p. 3.
NEWTONUS, cuius non ſolum in matheſi, ſed et in omni philoſophia naturali immortalia ſunt merita, per experimenta cum priſmate, aliisque dioptricis inſtrumentis inſtituta, quemuis luminis radium diffringi in ſeptem coloratos radios detexit, ordinem radiorum coloratorum vna cum lege diuerſae eorum refrangibilitatis conſtituit et docuit: fallere di-

optrices promotores, conantes, teleſcopia dioptrica a confuſione illa liberare, quae ex ſphaericitate lentium obiectiuarum oritur, longe enim magis iis imagines turbari, multoque obſcuriores fieri per radiorum lucis refrangibilitatem, et eam confuſionem eſſe tantam, vt plane tolli nequeat. Meritorum itaque Newtonianorum memor Comes Ill. modeſte demonſtrat, legem refrangibilitatis radiorum coloratorum, a NEWTONO ſancitam, eſſe falſam, veramque noſtris demum temporibus a Cl. EULERO, erutam eſſe: deinde ſyſtemati ſuo contradicere NEWTONUM ac deſerere experimenta, quibus propoſitiones ſuas omnes modificare ſolebat, aſſerendo, confuſionem imaginum, in teleſcopiis ortam, a refrangibilitate radiorum multo maiorem eſſe ea, quam ſphaericitas lentium iis inducit, ac tandem, cum hac ſummi Viri auctoritate ſuffultus, ſententiae per multos annos impedimento fuerant, quo minus inſtrumenta haec, quibus accuratiora philoſophiae coeleſtis principia comparantur, perfici poſſent, concludendo grauiter monet, ſummorum etiam Virorum decreta ad examen, abiecto auctoritatis praeiudicio, eſſe reuocanda, ne incrementa ſcientiarum, admiſſis eorum erroneis propoſitionibus, retardentur.

p. 45. 2. *Diſſertatio de ſale foſſili, marino, atque fontano;* Auctore de FRANCHEVILLE. Breuiter Cl. Auctor diſſerit de principio ſalino, et varias de eo ſcriptorum chemicorum, tum temporis clarorum, opiniones enarrat. Probare poſt haec annititur, aquae marinae ſalſedinem pendere ab iis, quae in terrae gremio latitant ſalibus, potiſſimum a ſale gemmae, quod inſignes cryptas ſubterraneas replere rupeſque formare notum eſt. Ex adductis magna copia veterum ſcriptorum locis colligit, a priſcis iam aeuis cognita fuiſſe artificia, quibus ſiue e

terra

terra effodi, ſiue ab aqua marina, ſiue ex fontibus variis ſeparari ſal commune poſſet; longoque refert catalogo locos atque regiones, in quibus per totum orbem nunc noſtra aetate ad vſus oeconomicos parari ſoleat ſal culinare. Triplicem eſſe modum oſtendit, quo vti conſuerunt gentes ad acquirendum ſal; vel iam a natura perfectum ex terra fodiunt magnis in glebis; vel, mediante calore atmoſphaerico, ex marina aqua inſpiſſatur; vel ex muria, in multis hinc inde ſcaturientibus fontibus hauſta, culinaris ignis ope coquitur. Curatius has tres methodos exponit et machinas apparatumque omnem, huic negotio aptum, deſcribit; ſub finem demum commemorans ſalia, ex variorum corporum cineribus eluenda. Negare tamen non poſſumus in hac diſſertatione, cum iam anno huius ſeculi quadrageſimo tertio fuerit elaborata, permulta deeſſe, quae in his rebus recentiorum chemicorum, hac noſtra aetate tam fertilis induſtria, perfecit vlterius vel et detexit.

3. *Experimenta cum terra iſta, quae in muria ſalis communis poſt euaporationem remanet et ſerpentini lapidis baſin conſtituit, facta* Auctore MARGGRAVIO: Olim *) iam Cl. Auctor methodum expoſuit, qua terrae huius ſpecies tam ex ſerpentino lapide, quam ex ſalis communis muria ſeparari poſſit: ſimulque multis experimentis probauit, eam nec ad calcarearum genus referri poſſe; nec iſti, quae ex alumine praecipitatur, ſimilem eſſe. Quanquam enim vere alcalinae ſit indolis et quaeuis acida auidiſſime ſorbeat horumque vim prorſus infringat; iſta tamen, quae ex hoc connubio oriuntur producta, longe diſtant ab iis, quae a calcareis aluminiſue terra cum acidis generantur. Repetitis, quas tum p. 55.

 iam

*) vid. Comment. Vol. XV. P. II. p. 273.

iam enarrauerat, huius terrae ad acida varia affinitatis phoenomenis, noua adfert Cl. MARGGRAFIUS experimenta, ex quibus dilucide apparet, veram eſſe ſupra adductam huius terrae indolem. Calcinata ea terra pellit ex ammoniaco ſale partem vrinoſam; rapit tamen eam in ſe et nouum ſalis ammoniacalis ſpeciem producit. Cauſticum ex igne non adtrahit, hinc calcem viuam non conſtituit. Efferueſcit cum ſpiritu vrinoſo, neque tamen cum eo in vnum corpus coaleſcit; ſub deſtillatione enim huius miſcelae ſpiritus alcalinus prodit, terra vero abſque ponderis decremento in retorta remanet. Cum aequalibus boracis partibus ſubtiliſſime fluit et crucibulum exedit; ſilicum calcinatorum aequalis portio, huic miſcelae addita, dat vitrum topaſinum pellucidum. Sola tamen haec terra neque cum ſilicibus, neque cum fluore ſiue marmore metallico fluit. Ex antimonio crudo regulum, vt creta, non praecipitat. Vitrum Saturni, ſiue purum ſit, ſiue cum arſenico mixtum, cum ea non in fluxum abit, concreſcit ſolummodo. Vitrum commune cum hac terra ſtratificatum et cementatum, eodem, ac cum gypſo fit, modo in albam ſemipellucidam maſſam mutatur. Cum argilla et ſilicibus mixta, abit in maſſam porcellanae ſimilem, poroſiorem tamen atque magis ſpongioſam.

p. 87. 4. *Cogitata de praecoci apum multiplicatione, noviter iterum ante aliquot annos in Marcgrauiatu Luſatiae detecta, qua Romani iam ad examinum nimis debilitatorum paucitatem emendandam vſi ſunt.* Auctore Cl. GLEDITSCH. Romani, in apum cultura diligentiſſimi, duplici modo paucitatem apum in iis domiciliis, quae peſte aliqua vel alia cauſſa inſignem apum numerum amiſerant, emendare tentabant. Vel enim examini imminuto nouum examen contribue-

tribuere et apes ex alio domicilio in hoc transferre ſolebant, vel, cum prior methodus cum variis incommodis coniuncta eſſet, frequentiſſimorum examinum fauos, qui iam maturos habebant pullos, transferebant et paucioribus ſubiiciebant, quo nouae prolis adoptatione domicilia debilitata confirmarentur. Hanc a COLUMELLA *) deſcriptam methodum, in eſſentialibus conuenire cum ea, quam tanquam nouum artificium Cl. SCHIRACH ante aliquot annos libello ſingulari deſcripſit**), Cl. GLEDITSCHIUS pluribus docet.

Ad annum 1761 ſequentes commentationes ad claſſem philoſophiae experimentalis relatae ſunt.

1. *Meditationum dioptricarum pars III. continens principiorum theoreticorum, in prioribus partibus duabus conſideratorum, applicationem ad praxin conficiendi teleſcopia eiuſmodi, in quibus omnium maxime proficua diſpoſitio lentium ocularium obtinetur.* Auctore Ill. Com. DE REDERN. Principiorum theoreticorum p. 3. praeſtantia maior cogitari nequit, quam ſi ita comparata ſunt, vt eorum ope inſtrumenta, quibus nobis ad interiorem rerum naturalium cognitionem aditus patet, corrigi et perfici poſſint. Ill. itaque Auctor, expoſita anno ſuperiori theoria, teleſcopia dioptrica, catoptrica ac microſcopia ab artificibus conſtrui ſolita, diiudicat primum; conſideratis deinde lentium obiectiuarum ac ocularium, ad ea adhibendarum, figura, numero, coordinatione, diſtantiis, aperturis cum diſtantia rerum, per ea conſide-

 randa-

*) Cap. XI. §. 9.

**) *Der Sächſiſche Bienenvater, ein practiſches Bienenbuch für Bienenfreunde und Hausväter mit vieljährigen neuen Erfahrungen herausgegeben von* A. G. SCHIRACH *mit einer Vorrede des Herrn Prof.* SCHREBERS, *Zittau.* 1766. 8. *m. K.*

randarum, ſagaciter perſequitur viam radiorum, imagines efformantium, locosque, vbi eae exhibentur, ac tandem ingenioſe notat, multo fieri poſſe perfectiora teleſcopia aſtronomica ac terreſtria, ſi in focis interſerantur lentes collectiuae; quibus maior viſionis campus aliaque commoda obtinentur. Vt vero et figura et numerus et coniunctio lentium collectivarum cum lentibus obiectiuis ac ocularibus rite in praxi determinentur, Auctor Ill. luculenter exponit problema, qua ratione lentes collectiuae cum lentibus obiectiuis ac ocularibus ea ratione combinandae ſint, vt teleſcopia fiant perfectiſſima, ac cum omnes ſimul perfectiones in vno obtineri nequeant, primo generalem omnium partium perfecti teleſcopii delineationem tradit, deinde ſpecialius, qua ſingulas partes, ea accurate in diuerſis hypotheſibus deſcribit, h. e. in quibus vel potior ratio augmenti vel viſionis campi, vel claritatis ac diſtinctionis habetur, eademque arte examinat teleſcopia catoptrica ac microſcopia, praeſcribens iis regulas, qui praxin hanc exercent, quibus obſeruatis, vtiliſſima haec inſtrumenta multo perfectiora fieri ſpondet.

p. 41. 2. *De reſiſtentia fluidorum commentatio.* Cl. SULZERI. Leges reſiſtentiae fluidorum, a NEWTONO demonſtratae, eiuſmodi deprehenduntur, vt in aliquibus caſibus, cum experimentis inſtitutis, ſatis bene conueniant, in aliis vero caſibus, praecipue, vbi ex iis computatur reſiſtentia aeris, ab experimentis plane aberrent. Quod inprimis experimenta, a LULOFFIO, Prof. Math. in molendinis, vento agitatis, capta edocuerunt, vtpote quae vltra dimidium aberrabant a calculis ac computatione, quam ea theoria NEWTONI, ſumma, qua pollet ingenii ſagacitate, in his actis Cl. EULERUS exhibuit. Cauſſas, cur reſiſtentia fluidorum ad leges calculi adhuc revocari

vocari non potuerit, Auctor Cl. perquirens, eas in eo quaerendas eſſe arbitratur, quod ad easdem leges et reſiſtentia fluidorum, quae, vt aqua, nullatenus comprimi poſſunt, et fluidorum quae, prout aer comprimuntur et compreſſa fiunt denſiora ac maiorem conſequuntur elaſticitatem, exiguntur. Quod vt luculentius pateat, Auctor Cl. elementa vberius exponit reſiſtentiae aquae, quae a moto corpore ſuperanda, diſtincte vero etiam enumerat, quae ad priora ex compreſſione aeris, auctaque inde eius denſitate ac elaſticitate accedunt, motumque corporis imminuunt, ſingulaque more geometrarum formulis differentialibus complectitur.

3. *De rara quadam ſpecie augmenti corollae in centro piſtilli iridis flore monſtroſo et alio ſingulari augmento in lilio albo.* Auctore Cl. GLEDITSCH. p. 50.
Plantae monſtroſae, augmento corollae conſpicuae, ob acceſſum ſucci nutricii copioſioris crebrius conſpiciuntur et Cl. Auctor in iride ſingulare exemplum proponit. Iris enim pratenſis anguſtifolia altior C. B. P. quae in pratis vliginoſis paſſim creſcit, per culturam ſingulari modo aucta erat. Deſtituebantur autem flores ouario, cui alias corolla monopetala ſexfida inſiſtit et membranaceas petalorum expanſiones auctas et multiplicatas referebat. Praeterea ſuper hanc corollam plenam ſtylus, qui ex centro ouarii emittitur, exiguus erat, ſed ſatis craſſus, cum ouario deſtructo nullus eius vſus eſſet. Stigma tandem conſpiciebatur imperfectum, etſi et hoc quodammodo inaequale, monſtroſum et laminis paruis refertum apparebat. Stamina tunc inutilia ſunt et filamenta cum antheris in membranas mutantur cum corolla aucta cohaerentibus. Organis igitur fructificationis prorſus deſtructis, nulla propagatio ex ſeminibus expectanda eſt, etſi interdum ſtamen

 cum

cum anthera ſterili et ouarii quaedam veſtigia conſpiciantur.

p. 56. In flore lilii albi, corolla magna conſpicui, piſtilli illam partem, quam ſtylum dicimus, craſſam et cavam, et in eo diſſecto aliud piſtillum breuius deprehendit. In regno animali vterus quidem duplex vel bipartitus in feminis, vterum ſimplicem habentibus, deprehenſus eſt, nunquam vero vterus intra vterum, in vegetabili autem regno pomum aurantium minus in maiore et legumen minus in maiori inventum eſt. Monet Cl. Auctor in vegetabilibus organa, ad generationem pertinentia, magis monſtroſa fieri, ac alias partes, quam mutationem anthophyli etiam ſuis artibus in detrimentum verae vegetationis augent.

p. 59. 4. *Obſeruationes de ſcirrho et abſceſſibus cerebri, explicationibus phyſiologicis et pathologicis additis.* Auctore Cl. MECKEL. Laeſiones partium morboſas interdum veram naturam et fabricam viſcerum declarare certum eſt, qua ex cauſſa Noſter in cerebro, cuius fibrae medullares a nonnullis ſolidae, ab aliis tubuloſae dicuntur, diſquiſitiones inſtituit.

Femina quinquaginta annorum, partim ob nimis ſeueras mariti caſtigationes, partim ob ſpiritus vini abuſum de doloribus capitis ſaepius conqueſta et motibus epilepticis agitata, per dies integros ſaepe dormiens, de reliquo ſtupida, tandem, febre acuta ſuperueniente, obiit. In cadaueris diſſectione ſequentia praecipue obſeruata ſunt. Corticalis cerebri ſubſtantia ex cinereo pallida, anfractibus non conſpicua, venis, ſanguine ferme deſtitutis, cincta erat, et ad tactum maximam partem renitebatur. Diſſecto hemiſphaerio ſiniſtro, ſubſtantia anterior mollis, ſero foetido ſcatens, ad cornu vero ammonis poſterius ſcirrhus, ex tribus globis ceu nucibus coniunctis formatus, duarum vnciarum et duarum drachma-

drachmarum pondere, vſque ad occiput extenſus, ſubſtantia molli cinctus, reperiebatur. Hoc caute remoto, ſerum copioſum ex ventriculo effluebat, hemiſphaerium vero ipſum maxime extenſum et verſus dextrum preſſum erat. Corpus calloſum itaque non ſub falce ſitum erat, ſed verſus dextrum latus antrorſum directum et tenue. Praeter ſerum limpidum, quod copioſe ex ventriculis anterioribus effluebat, et ſepti lucidi et thalamorum neruorum opticorum preſſionem verſus dextrum latus commemorat. In tertio ventriculo ſub commiſſura anteriori cerebri praeter orificium circulare verſus infundibulum directum, aliud, ouale amplius, apparebat, quod tamen tenui lamina corticalis ſubſtantiae clauſum erat.

Ex hac obſeruatione Cl. Auctor concludit, medullarem ſubſtantiam cerebri eſſe tubuloſam, quod, ſcirrho nato et ita cohibito affluxu humorum ad hanc partem, non corticalis adeo, ſed medullaris quoque ſubſtantia vltra modum aucta, affluxum fluidi ad tubulos medullares elongandos auxit. Sententiam veterum de deſcenſu humorum viſcidorum et excrementitiorum ad glandulam pituitariam negat, etſi tubulum corticalem ſubſtantiae infundibuli ad glandulam pituitariam concedat. Glandulam pituitariam partem cerebri dicit, cum infundibulo coniunctam, quae ſinubus cauernoſis et ſphenoidealibus infixa, ex calore ſanguinis in liberiori humorum circulatione iuuatur. Deſcenſum humorum excrementitiorum ad baſin cranii non declaratum videmus. p. 63.

Stupiditatem et ſomnolentiam compreſſionem a ſcirrho factam auxiſſe, ex eo declarat, quod in elongatis et laxis ſiniſtri et in compreſſis tubulis medullaribus dextri lateris, fluidum nerueum non prompte ſuccedere potuerit, conuulſiones vero intercurrentes ex irritatione ſeri acris ortas eſſe. Commemorat p. 67.

morat itaque abſceſſum, in lobo poſteriori hemiſphaerii ſiniſtri viui, poſt contuſionem capitis vehementem ortum, quem tamen in geneſi ſua et progreſſu nulla ſenſuum internorum perturbatio ſequuta eſt, rupto tamen per acrimoniam puris vaſe magno et ſanguine ita effuſo, apoplexia tactus eſt aeger, ex qua tertio die mortuus eſt. Ex his obſeruationibus itaque concludit, abſceſſum ſine animi perturbatione per plures annos in cerebro latere poſſe, compreſſionem vero a ſcirrho vel extrauaſato ſanguine ſtupiditatem et mortem inducere.

p. 69. Deſcribit porro in femina abſceſſum, diu latentem, ruptura ſua ſubito lethalem, et ſcirrhum, in hemiſphaerii ſiniſtri lobo poſteriore natum in infante quatuor annorum, ex quo, licet incrementum corporis recte ſucceſſerit, ſtupiditas tamen a prima infantia ad mortem vſque obſeruata eſt. Ideoque etiam de iuuene adhuc ſtupido viuente, de cuius morbi hiſtoria varia refert, ſcirrhum potius, quam abſceſſum in cerebro ortum eſſe autumat et colligit tandem, in obſcuris cerebri morbis diſquiſitionem contuſionum maxima cum cura eſſe ſuſcipiendam.

p. 73. 5. *Breuis deſcriptio monſtri humani.* Auctore Cl. ROLOFF. In infante felici partu edito et ad quintam horam viuente, caput quidem nulla hydrocephali veſtigia exhibebat, maxime tamen monſtroſum inveniebatur. Oſſa caluae, maxime imperfecta, accurate deſcribuntur, his deficientibus, cute, varia craſſitie conſpicua, cerebrum obtegebatur, quae tamen in ſaccos irregulares extenſa erat, ex quibus vnus ab oſſe frontis dextrorſum vſque ad mentum deſcendebat. Per tenuem cutim oſſis frontis cerebri cortex et anfractus in dextro hemiſphaerio et falciformis proceſſus intra hemiſphaeria dimiſſus apparebant. Oculi maxime diſtabant et mire mutati erant,

oſſa

oſſa maxillae ſuperioris et naſus ipſe non detegi poterant, niſi imperfecte in ſacco deſcendente. Labium ſuperius dextrorſum fiſſum, inferius vero et auris dextra ſolito maiora erant. Haec de capite enarrata ſufficiant, quae de reliquis partibus Cl. Auctor refert, repetere non iuuat. Foetus vero monſtroſus, duplici icone addita, oſtenditur.

Quanquam vero mater imaginationi peruerſae p. 78. attribuit has mutationes, nullam tamen huius rei cauſſam nec a morbo, nec a terrore referre potuit. Situm itaque peruerſum in vtero matris cauſſam eſſe, Noſter monet et porro dicit, paulo poſt conceptionem compreſſiones capiti applicatas fuiſſe. Vixit tamen foetus vſque ad partum, a compreſſione cerebri in reliqui corporis incremento non impeditus. Pedis dextri ſingularem curuitatem, quam Noſter commemorat, ex ſitu peruerſo quoque declarat, cauda vero exigua ad anum elongatio cutis erat.

II.

A full and plain account of the gout; from whence will be clearly ſeen, the folly, or the baſeneſs, of all pretenders to the cure of it: In which every thing material by the beſt writers on that ſubiect is taken notice of; and accompanied with ſome new and important inſtructions for its relief, which the Author's experience in the gout above thrity years hath induced him to impart. The ſecond Edition corrected. In which is added an index. By FERD. WARNER, L. L. D. London. Printed for T. Cadell. 1768. 8. pl. 20½ *).

i. e.

Perfecta et perſpicua narratio de arthritide: ex qua clare patet ſtultitia vel vilitas omnium, qui curationem ipſius iactant: in qua notitia omnium ad ſubiectum iſtud pertinentium ex optimis ſcriptoribus exhibetur, adiunctis quibuſdam nouis et magni momenti inſtructionibus ad eam leniendam, ad quas communicandas Auctorem experientia in arthritide per triginta annos induxit. Auctore FERDINANDO WARNER.

Quamquam auctor huius operis ipſe medicinae ſe non dicauit, ipſa tamen morbi eiuſdem longior duratio eum ad indolem illius cognoſcendam et ad

*) Quod germanice prodiit: FERDINAND WARNER'S *vollſtändige und deutliche Beſchreibung der Gicht. Aus dem Engliſchen überſezt.* 1770. 8.

ad varias in eo adhiberi ſolitas medendi methodos diiudicandas non potuit non aptum reddere. Experientia igitur edoctus, librum hunc conſcripſit et qua ratione morbum, quocum conflictatur, tractet, tradidit: ſe autem in eo recta via inceſſiſſe, ipſe euentus docet, cum, vt in calce libri profitetur, provectior aetate iam vix tres vel quatuor hebdomadas per annum ab arthritide excrucietur, quae antea eum totidem menſes quotannis vexauerit. Licet autem titulus ſatis amplus ſit ad cognoſcendum finem, quem ſibi praefixit Cl. Auctor: pleniorem tamen ipſius libri notitiam Lectoribus noſtris dare, omnino fas atque iuſtum duximus.

Multa ſunt in deſcriptione morbi huius, quae captum noſtrum ſuperant: inprimis autem intelligi p. 14. non poteſt, qui fiat, vt iſte interdum adeo ſubito a capite in pedes e. ſ. p. tranſeat, vt velocitatem fulguris aemuletur. Praemiſſa notione triplicis dige- p. 17. ſtionis ſeu elaborationis humorum, eaque ad arthritidem applicata, vbi ſimul monetur, homines in ſu- p. 27. dores procliues ab hoc morbo plerumque immunes eſſe, ſtabilitur eiuſdem ipſius idea, quod pendeat a p. 29. retentione materiae qualiscumque indolis, liberare ſe annitentis, quae niſi, mediantibus excretionibus, ex corpore eliminetur, praecipue in extremitatibus ſeu in glandulis articulorum haereat, quod CHEYNEO p. 30. iudice a compreſſione minimorum vaſculorum in articulis oritur, quam protuberantiae oſſium efficiunt; accedunt minuta glandularum fabrica et languor fluidorum, in iis mouendorum, ob maiorem a corde diſtantiam. Poſtmodum SYDENHAMII p. 31. deſcriptio arthritidis regularis repetitur et varia ad eam explicandam adduntur. Praecipua arthritidis p. 46. acquiſitae cauſſa praediſponens in ipſius corporis habitu conſiſtit, quare impoſſibile eſt, inuenire remedium, quod arthritidem perfecte tollat; quod, exa-

minatis nonnullis ſic dictis ſpecificis medicamentis,
illuſtratur. Cauſſa autem propior, ab illa remota
p. 54. pendens, eſt turbata vel peruerſa elaboratio humo-
rum potiſſimum in digeſtione tertia, quae in mini-
mis partibus peragitur, praeſertim cum perſpiratio
inſenſilis cohibetur a nimia mole vel craſſitie par-
tium excernendarum, quae inde in locis minus aptis
p. 56. ſtagnando acrimoniam contrahunt. Accedunt au-
tem aliae cauſſae, ſanguinis mixtionem deprauantes,
quae fuſius explicantur, at omnes denique in addu-
cta elaboratione peruerſa humorum collimant,
quamquam alii Auctores hanc, alii illam tamquam
p. 69. principalem adducunt. Quod SYDENHAMIUS
et QUINCIUS dixerunt, paroxyſmum arthriticum
eo vſque durare, donec tandem materia peccans pe-
nitus ex corpore expulſa fuerit, ſua ipſius et alio-
rum experientia refutat Noſter, dum ſaepius, paro-
xyſmo prorſus, vt decet, finito et corpore ſanitati pri-
ſtinae, vt videbatur, reſtituto, morbum ipſum ſubi-
to recrudeſcere ſenſit, ſimulac error quidam diaetae
commiſſus fuerit; idque citius accidit, quam noua
p. 73. materies colligi potuerit. Error INGRAMI, ar-
thritidem multos alios morbos arcere aut tollere ne-
gantis, refellitur auctoritate SYDENHAMII,
MUSGRAVII et QUINCII proprioque ratioci-
p. 76. nio et ipſam potius criticam ſolutionem morbo-
rum, inprimis neruoſorum, quam morbum ipſum
eſſe euincitur.

p. 78. Arthritidis regularis deſcriptionem delineatio
eiuſdem irregularis ſeu anomalae, ex SYDENHA-
MIO et MUSGRAVIO hauſta, ſequitur, quae di-
verſorum morborum, ſub quorum ſpecie ſe prodit,
exactiſſimam notionem ſiſtit, nimirum doloris ven-
triculi, colicae, diarrhoeae, dyſenteriae, melancho-
liae, lipothymiae, aſthmatis, catarrhi, tuſſis, peri-
pneumoniae, phthiſis, anginae, cephalalgiae, verti-

ginis,

ginis, apoplexiae, paralyſis, dolorum vagorum in dorſo, lumbis cet. ophthalmiarum, odontalgiae cet. Cuius indolis ſit materies arthritica, auctores mul- p. 109. tum diſputauerunt, quarum tamen diuerſae ſenten- p. 124. tiae in quatuor claſſes redigi queunt. Alii enim eamdem in acrimonia putridi caloris et viſciditate fluidorum, alii in acrimonia vrinoſorum, tartareorum aliorumue ſalium, alii in acrimonia partium terreſtrium, non ſolutarum, alii denique in ſuperabundantibus partibus mucilaginoſis abſque vlla acrimonia poſuerunt. Prior ſententia non vniuerſalis ſa- p. 129. tis eſſe, neque ad ſummam vehementiam paroxyſmorum, neque ad originem ſedimenti ſabuloſi in vrina declarandas ſufficere videtur, licet in obſeruandis cautelis, ratione regiminis, nihil damnoſi inde ſequatur. Alteri ſententiae ſequentia repugnant: in p. 130. ſtatu naturali ſales non abundant in ſanguine, quare opus eſt, vt in illud demum ingerantur. Sed qui per vegetabilia induci poſſunt, nimis vel ſubtiles redduntur, vel diluuntur, quam vt nocere poſſint; ex animalibus autem partibus magis arte producitur ſal, quam natura ipſi ineſt, qui nocere queat. Porro ſales obſtructiones potius reſoluunt, quam generant: inde etiam varia eorum genera in ipſo morbo noſtro a medicis in vſum vocantur. Nautae, nullis fere, niſi ſalitis, cibis vtentes, arthritide rariſſime afficiuntur. Exemplum narratur hominis, per triginta annos arthritide laborantis, qui perpetuo cibis ſalitis veſcebatur et optime ſe habebat, deficiente autem ad eos capiendos appetitu, poſt breuiorem morbum anno ſeptuageſimo tertio moriebatur. Tertia p. 143. ſententia, cuius Cl. JAMES auctor eſt, veritati quam maxime reſpondet, neque vllum exſtat phaenomenon, quod ipſi repugnet. Quarta demum, quam nuper LIGERIUS propoſuit, paullo acrius p. 145. refutatur, quod idem Auctor vehementius contra

p. 150. SYDENHAMIUM inſurrexit. Partes conſtitutiuae mucilaginis, paucae nempe oleoſae, at multae terreſtres cum ſatis inſigni quantitate aquae et aeris, coniunctim ſumtae, etſi aſſumamus, eaſdem in prioribus digeſtionibus et elaborationibus non disiungi, adeo abundare nequeunt in minimis vaſculis, vt ea ſola copia irritent et adeo exquiſitos dolores efficiant; ſed omne momentum neceſſario ad eas, quae omnium difficillime ſoluuntur et tranſpiratione expelluntur, hoc eſt, terreas, redit.

Expoſita morbi theoria, ad curationem Noſter
p. 151. progreditur. Cum ſaepe cruditates primarum viarum paroxyſmum arthritidis regularis antecedant, vomitus ciendus eſt infuſo cardui benedicti vel florum chamaemeli, aut vbi maiori ſtimulo opus eſt, remedio ab HUXHAMO praeſcripto, quod ex infu-
p. 152. ſo ipecacuanhae cum ſale abſinthii, additis aqua chamaemeli et ſyrupo florum acaciae conſiſtit. Venaeſectio in plethoricis tantum, nec diu iam morbo affectis ante emeticum adminiſtranda eſt. Altero poſt vomitum die lene laxans ex infuſo foliorum ſennae, addito ſale GLAUBERI, ſumatur. Diaeta praeterea ſtrictior ſeruanda eſt, abſtinendumque ab omni animali victu. Ipſo praeſente paroxyſmo, potus diluens calidus copioſe vſurpandus, veſperi autem ſero lactis vinoſo cum ſale volatili oleoſo vtendum. Commendatur etiam infuſum ſaluiae, leniter acidulum redditum. Si potum frigidum concupiſcit aeger, librae vni aquae fontanae addatur circiter vncia vna aquae menthae et ſufficiens quantitas ſacchari canarienſis vel ſyrupi papaueris erratici, quo potu per
p. 156. noctem vti poteſt. Vini vſus prorſus interdici nequit: ſed conſuetudinis et gradus morbi rationem haberi oportet. Alimenta vero parce, eaque facilioris digeſtionis, exhiberi debent. Materia autem,
p. 157. iam ad articulos delata, licet febris perduret, victus anima-

animalis parcior in prandio conceditur, addito tamen largiori piperis vſu. Neque cereuiſia aſſuetis ſubtrahenda eſt; qui vero eam recuſant, ſumant in prandio aquam, in qua ferrum candens exſtinctum ſit, calidam, et tres aut plures, ſi opus eſt, vini cyathos ſuperbibant. Arthritis inueterata, vel integra p. 159.
membra occupans, ſtrictiſſimam regularum diaeteticarum obſeruationem poſcit; non aeque ſimplex vel quae vnum tantum duoue loca tenet. Quo perſpiratio obtineatur, aeger, paroxyſmo ingruente, proti- p. 160.
nus lectum petat et partem affectam panno aſperiori (*Flanell*) inuoluat, lectumque relinquens, tumorem arthriticum lana ouilla carpta et panni eiuſmodi ope firmanda, obtegat, vt liberioris aeris acceſſus arceatur, neque tamen perſpiratio impediatur. Exercitium, durante ipſo paroxyſmo, ex SYDENHAMIO ſuadetur; refrigerium ſollicite caueatur. Quae p. 161.
autem requirantur ad vectionem in curru, quam idem commendat, fuſius enumerantur. Si paroxyſ- p. 163.
mi vehementiſſimi ſunt et agrypniam ſummosque dolores inducunt, opiatis, quae plurimi adeo reformidant, opus eſt: quare elixir anodynum commendatur, quod ex opio, ſapone tartari et hiſpanico, camphora et aromatibus quibusdam conſtat, in ſpiritu ſalis ammoniaci dulci digeſtis. Hoc caute vſur- p. 164.
pato, paroxyſmus, qui alias ad vnum vel duos menſes extenditur, duarum hebdomadum ſpatio, reſolutione praeſtita et excitata largiori perſpiratione, abſoluitur. Sin hoc ipſum remedium non ſuffecerit, laudanum a Cl. JONES praeſcriptum ſeu ſolutio aquoſa opii eidem iungi debet. Alui obſtructio- p. 167.
nem inde forte oriundam clyſteres emollientes et lubricantes ex iuſculo veruecino, oleo amygdalarum et ſaccharo tollunt. De vſu opii poſtmodum co- p. 173.
pioſe diſſeritur, idque ab obiectionibus factis vindicatur. Ille tamen, etſi magnus, vniuerſalis tamen p. 182.

non eſt: neque enim ipſi locus datur, niſi paroxyſmus iam perfecte formatus fuerit, neque vbi, quod tamen rarius contingit, diarrhoea critica accedit.
p. 185. Purgantia in paroxyſmo exhibere, alienum eſt. To-
p. 186. picis, praeter iam commendatum lanae pannique aſperioris vſum, nullis opus eſt, niſi frictione, aut nonnumquam pauxillo elixirii anodyni, mediante pluma, applicato, aut pauca quantitate olei purioris, ſi pars
p. 188. affecta tumeſcere incipiat. Declinante paroxyſmo, diaeta accuratiore opus eſt, tumque purgantia ſaepe minus neceſſaria vel adeo noxia ſunt: collectas tamen nimia quantitate in primis viis cruditates purgante, eoque altero vel tertio die repetito, expellere oportet; ſingulo autem purgante ſumto, veſperi opiati doſis proportionata ſubiungenda eſt. Haec ſtomachica et roborantia excipiant: exercitatione ta-
p. 193. men corporis eorum actio iuuanda eſt. Pars affecta, quam diu rubet, panno ſuperius dicto, quo ſuffitus ex maſtiche exceptus fuerit, fricetur et poſtmodum balneum aquae ſalſae tepidum per aliquot dies veſperi adhibeatur, quod demum frigidum excipiat, donec robur et elaſticitas fibrarum reſtituta fuerint.
p. 195. Ad praecauendam partis debilitatem formulae duorum cataplaſmatum, ab aliis laudatorum, communicantur, quae vero Noſtro minus placent, qui potius arenam calidam, in quam membrum affectum, panno ſaepe dicto obuolutum, immittendum eſt, vel turfum ſuadet.

Haec de arthritide regulari. Quae nunc de cura
p. 198. irregularis commemorat Auctor, aeque vt deſcriptionem variarum ipſius ſpecierum ex opere MUSGRAVII petiit, paucaque tantum de ſuis hinc inde adſperſit: in huius ergo ſectionis recenſione breuio-
p. 205. res eſſe poterimus. Si materia arthritica caput, aut ventriculum, aut inteſtina occupauit, Cl. Auctor remedium quoddam ſummis laudibus extollit, quod conſici-

conficitur ex vuarum paſſarum conciſarum libra dimidia, ſennae drachmis duabus, ſeminum coriandri et foeniculi ſingulorum drachma vna, coccionellae, croci et glycyrrhizae ſingulorum drachma dimidia, rhabarbari minutim conciſi vncia vna, quae omnia cum ſpiritus vini gallici menſura vna per decem dies digerenda ſunt, poſtmodum colanda et ſpeciebus iſtis denuo libra vna dicti menſtrui ſuperaffundenda et vtrumque demum inter ſe commiſcendum eſt. Doſis ſit quatuor vel quinque cochlearium in aequali portione aquae tam calidae, quam ferri poteſt, eaque, niſi malum ceſſet, omni ſemihorio repetenda; vel ſi vomitus medicamentum reiiciat, decem guttae laudani, ſuperius commendati, in drachmis duabus aquae cinnamomi vel menthae in interuallis adhibendae ſunt. In angina Auctor ex mente Cl. COOKp. 221. tracheotomiam, ope cannulae et acus triquetrae factam, alteri methodo inciſionis praefert. Expoſitis his ex MUSGRAVIO, ſubiungitur cura morbi no-p. 232. ſtri, cum calculo coniuncti, ex SYDENHAMIO. Peculiarem ſpeciem arthritidis anomalae LIGERIUS deſcripſit, quam in iunioribus hominibus, parentibus arthriticis vſis, voracibus inprimis et habitus laxioris obſeruauit, quae abſque vllo alio ſuae praeſentiae indicio pulmones, ventriculum et praeſertim renes obſidet et ſaepe aegros, viribus nimis debilitatis, iugulat.

Accedit nunc Auctor Noſter ad ea, quae in in-p. 238. teruallis morbi obſeruanda ſunt, quae ad quatuor capita referi queunt, ad aerem nempe, medicinam, exercitium et diaetam. Quod primum ſpectat, aerp. 241. liberior in rure vrbi praeferendus eſt, quod iam SYDENHAMIUS ſuaſit. Humidus quam maxime nocet et tum potius domi, in conclauibus adhibenda exercitationum genera, excogitanda ſunt, cum ea in aere liberiori inſtitui nequeunt. Maxime in ge-

nere nocet aer nocturnus, quare SYDENHAMIUS
hiberno potiſſimum tempore tempeſtiue cubitum
p. 244. eundum iuſſit. Medicamenta primaria vires dige-
ſtionis confirment, quod autem non paucis diebus,
ſed longo eorum vſu efficitur: inde quotidianus
vſus tincturae corticis Peruuiani et elixirii vitrioli
p. 192. MYNSICHTI, ad praeſcriptionem QUINCII pa-
rati, quae iam olim ſub declinante paroxyſmo
morbi ſuadebantur, rurſus commendantur, ita tamen,
vt prius medicamentum per vnum, alterum per
duos menſes vſurpetur et ita alternatim ſumantur.
p. 248. Purgantia ex mente SYDENHAMII ſemper no-
cent, dum corpus eneruant et vires digeſtionis debi-
p. 251. litant, cui Auctor ipſe contra CHEYNEUM adſti-
pulatur: ad aluum tamen liberam ſeruandam par-
cam doſin hierae picrae vel in puluere, vel ſolutam
ſpiritu vini, quotidie veſperi ſumendam, commendat,
aut vbi corpus aloetica non ferat, infuſum vinoſum
ex aequalibus partibus rhabarbari, corticum auran-
tiorum et ſeminis carui ſuadet. Flores ſulphuris,
p. 256. quorum vſum CHEYNEUS laudat, Noſter reiicit,
p. 257. quod primas vias relaxant. Vomitoria magis prae-
cauent collectionem peruerſorum humorum: inde
omni menſe infuſo cardui benedicti vel florum cha-
p. 259. maemeli ventriculus eluendus eſt. Aqua Bathoni-
enſis egregium vſum praeſtat, quem CHEYNEUS
p. 263. iam depraedicauit. Inter medicamenta externa fon-
ticuli, alterutri vel ambabus ſuris applicati, non vlti-
mi vſus ſunt, quos INGRAMUS multis laudibus
extollit. Si concretiones calcareae, laceratis vaſcu-
p. 264. lis et eroſa cuticula, exitum quaeſiuerint, reformi-
dat Auctor conſolidationem horum vlcerum, quam
CHEYNEUS praecipit, eaque potius aperta ſeruan-
da iubet, vt vices fonticuli gerant. Cum autem
p. 265. omnia medicamenta exercitio corporis iuuanda ſint,
de eo fuſius agit Noſter, quorſum etiam refert mo-
deratio-

derationem affectuum animi. Balneorum nemo fe-
re Auctorum mentionem fecit. CHEYNEUS ma-
gni facit balnea calida ex aquis Bathonienſibus, qui-
bus tamen ex mente Noſtri Auctoris aqua marina
praeſtantior videtur: ſed ipſum SYDENHAMII de
iis ſilentium ea ſuſpecta reddit. Frigida vero, quae
itidem CHEYNEUS extollit, periculoſa videntur ob fa-
cile reprimendam materiam arthriticam: robur au-
tem, ab iis exſpectandum, frictionibus et exercitio cor-
poris totius obtinetur. Quod tandem diaetam atti- p. 277.
net, generalis SYDENHAMII regula eſt, ne plus
alimenti aſſumatur, quam digeri poſſit, neque mi-
nus, quam conſeruandis viribus ſufficiat. Ipſa ta-
men alimenta pro conſtitutione corporis differre
queunt; in genere autem aſſata coctis praeferenda
ſunt. Salis etiam moderatus vſus accedere debet. p. 279.
Iuſcula concentratiora et diaeta lactea vires digeſtio-
nis nimis debilitant. Potus fermentatus immerito
a SYDENHAMIO plane reiicitur: moderatus enim
eius vſus omnino concedendus eſt. Conducit inpri-
mis mulſa, paucis atque lenioribus aromatibus addi-
tis. Serum lactis etiam tamquam potus ordinarius
ſummae vtilitatis eſt, quam iam celeberrimi medici
meritis laudibus extulerunt.

III.

D. IOHANN CHRISTIAN DANIEL SCHREBERS, *der Kaiſerl. Academie der Naturforſcher, und der Leipz. Oeconom. Geſellſchaft Mitglied, Beſchreibung der Gräſer, nebſt ihren Abbildungen, nach der Natur. Erſter Theil. Leipzig bey S. L. Cruſius, in groſ fol.* 1769. 154. *Blätter, nebſt* 20. *Kupfertaf. auch einer Dedic. und Vorrede von* 20. *Bl.*

h. e.

Deſcriptio graminum, additis eorum iconibus ad viuum delineatis. Auctore I. C. D. SCHREBER.

Licet inter veteres C. BAUHINUS, dein MONTI et SCHEUCHZERUS maxime graminum hiſtoriam enodare et illuſtrare ſuſceperint, eorumque icones et deſcriptiones exhibuerint et recentiſſimo tempore HALLERUS, praecipue et LINNAEUS eundem laborem continuauerint, omnia plenius et perfectius expoſuerint et genera, ſuis characteribus definita, propriisque nominibus inſignita, conſtituerint, difficultatem nihilominus ſummam in hac plantarum claſſe ſupereſſe, plurimaque adhuc perficienda reſtare, facile nobiscum fateri debent omnes, qui naturae diſquiſitionem amant, plantasque ſtudioſius contemplari ſolent. Merito itaque Cl. Auctoris operam laudare debemus, dum partim botanicis et oeconomis graminum examen et diſquiſitionem facilitare, partim eorundem vſum, vel ex his in naturae oeconomia expectanda commoda et incommoda plenius exponere, atque hac ratione omnibus fere numeris abſolutam graminum hiſtoriam condere voluerit.

Tria autem maxime ſunt, per quae plantarum et graminum praecipue cognitio facilis reddi poteſt; ſyſte-

ſyſtematicus ſcilicet ordo, perfectiſſima deſcriptio et accurata delineatio. Facillimam et breuiſſimam quidem viam, qua ad cognitionem eorum peruenire poſſimus, primum illud exhibebit auxilium; dum vero gramina ſecundum ſyſtematis leges ordinare et diſquirere volumus, plures occurrunt difficultates et exercitatus ſaepe botanicus dubius relinquitur. Hinc vel ideo, praeterea cum per partes edendum eſſet opus, ſyſtematicum ordinem neglexit Cl. Auctor, duobus vero reliquis adminiculis vbique feliciter vſus et in deſcribendis et delineandis his plantis ſtudioſiſſimus fuit. Deſcriptiones omni modo abſolutae ſunt, ſingularum partium figuram, magnitudinem, numerum, colorem et ſic porro dilucide expoſuit, id quod perpetuum eſt, vel ex loco natali aliisque cauſſis, in vna vel altera parte, variare ſolet, ſollicite annotauit, ſpecierum, quas expoſuit, examen nouum Ipſe ſuſcepit, hinc aliorum errores ſaepius indicauit, omniaque ea, quae modo a plantarum deſcriptore deſiderari poſſint, egregie impleuit; vbique etiam cum generico triuiale, latinum et germanicum nomen praemiſit, copioſa auctorum ſynonyma adpoſuit et in aliis linguis vſitata nomina addidit, loca natalia porro curioſius adnotauit, graminum morbos memorauit, vſumque, oeconomicum praecipue et in pabulo animalium praeſtantiam, in pratis artificialibus parandis vtilitatem et colendi rationem vel ex propria, vel optimorum Auctorum experientia, in vſitatis ſpeciebus ſtudioſe expoſuit. Alterum quoque cognitionis facilitandae adiumentum, delineationem ſcilicet, aeque bene exhibuit Cl. Auctor et integram plantam, omnesque eiusdem partes, minimas quoque florum, microſcopio aliquando auctas, iconibus egregie ſculptis, in tabula illuſtrauit, easque nitidiſſimas praeſtantiſſimorum hoc in artificio Virorum, Cruſii et Geyſeri opera confectas fuiſſe, Ipſe

O 5 monuit,

monuit, icones etiam viuis coloribus pictae, iis, qui deſiderant, exhiberi poſſunt.

p. 1. Praeter praefationem, operi praemiſit introductionem, qua de graminibus in genere egit, horumque definitionem, creſcendi et florendi modum in ſpica, vel proprie vel improprie ita dicta, et panicula, partium vel communium, vel huic claſſi ſaepius propriarum, hinc plerumque ſingularibus nominibus inſignitarum, vt radicis, culmi, foliorum horumque vaginae, floris feminisque diſpoſitionem, fabricam, numerum cet. expoſuit. Haec omnia repetere non licet, paucis modo floris ideam exhibeamus.

Suos quoque flores proferunt gramina, licet ab aliis plantarum floribus, egregia colorum varietate ſaepius conſpicuis, multum, praeſertim in fabrica et ſitu partium, recedant. Foliola namque, quae futurum ſemen et fructificationis partes tegunt, nec circularem ambitum conſtituunt, nec vni tantum lateri adhaerent, ſed ſibi inuicem opponuntur et duo latera occupant; deinde calicis foliola corollae foliolorum dorſo incumbunt, non autem, vt in aliis, duplici inuolucro praeditis floribus, fieri ſolet, ſibi alternatim affiguntur. Duo eiusmodi foliola, ſtamina et piſtillum in ſe continentia, florem exhibent, qui vel ſolus, vel plures inter ſe iuncti, cum adhaerentibus exterioribus foliolis ſpiculam, vel locuſtam conſtituunt, quae hinc vni-bi-ſexflorae inueniuntur. In bifloris alter floſculus minori pedunculo inſiſtit, in multifloris citra glumas haeret pedunculus ſiue axis, cui alternatim affiguntur flores.

Editae hactenus fuerunt tabulae viginti, quibus ſpecies diuerſae delineantur et, deſcriptionibus additis, illuſtrantur. Cum autem de his copioſius agere haudquaquam poſſimus, recenſione ſpecierum ſimus contenti et nonnulla modo hinc inde excerpamus annotata. Eſt itaque:

Tab.

Tab. I. Auena elatior, *Wieſen-Hafer.* Praeſtantior haec graminum ſpecies, nomine *Franzöſiſches Ray-Gras* cognita, in pratis colendis optime conducit, culmum gerit altum, ſucculentum, foliaque longa, lata et molliora, dulcem habet ſaporem, animalibus gratiſſimum et in recenti ac exſiccato ſtatu egregium praebet pabulum, tam ſi ſola, quam aliis immixta adhibetur; praeterea copia quoque ſeſe commendat, pratumque auena hac diues, duplam fere quantitatem foeni exhibere ſolet, commode in pratis per ſexennium durat et quotannis ter, quaterque, immo quinquies eandem metere poſſumus.

Tab. II. Feſtuca elatior, *Wieſen-Schwingel*, et haec praticultoribus commendatiſſima eſſe debet, et priori vix inferior erit.

Tab. III. Feſtuca fluitans, *Manna-Schwingel.* Verum haec eſt gramen mannae eſculentum, *Schwaden* germanice dictum et non ſolum pabulum praebet animalibus, inprimis equis et ſuibus gratiſſimum, ſed ſemen quoque ad noſtra alimenta pertinet. Cum autem ſpecies, ex quibus ſemen illud mannae (*Schwaden*) deſumitur, a multis Auctoribus inter ſe confundantur, in illis enodandis determinandisque multum operae SCHREBERUS poſuit; citatam vero illam eſſe, ex qua Poloni aliaeque gentes ſemina colligere et aliis vendere ſolent, aliorum partim teſtimoniis, partim propria experientia ſtabiliuit, ſeminaque haec colligendi et praeparandi modum copioſius expoſuit.

Tab. IV. Cenchrus racemoſus, *Rothes Klebgras.* In Galliae et Italiae ſabuloſis, praecipue maritimis locis creſcit, attamen apud nos quoque ſub dio facile durat, multumque ſe multiplicat et forte pro coërcenda mobili arena adhiberi poſſit.

Tab. V. Anthoxanthum odoratum, *Gelbes Ruchgras.* Peculiari floris fabrica et binario antherarum numero

numero facile quidem, optime tamen gratiſſimo ſuo odore ab omnibus fere graminibus diſcerni poteſt. Radix minus grate moſchum redolet, herbae autem odor debilior, aſt et multo gratior exiſtit, illi fere ſimilis, quem aſperula odorata, vel melilotus officinalis ſpirat, eundemque nunquam amittit, modo, ſi in ſicciori ſolo creſcit, fortior, in humidiori parum debilior deprehenditur et florendi tempore perfectiſſimus, poſtea paulo imminutus et in iuniori plantula denuo auctus adeſt, nec in exſiccatione eundem amittit. Pertinet ad illas ſpecies, quae ab omnibus animalibus cum voluptate et ſine incommodo deuorantur. Gratiſſimus ille odor, quem foenum ſpirare ſolet, fere vnice ab anthoxantho pendet, inſimul vero multum et ad odorem et bonitatem foeni confert modus, quo pabulares plantae in foeniſecio tractantur et dein conſeruantur. Hinc Cl. Auctor occaſione huius graminis peculiarem de foeno, optimaque illud exſiccandi et conſeruandi ratione tractationem exhibuit, multumque de multiplicatione anthoxanthi diſſeruit, ac in colendis pratis ſerio commendauit.

Tab. VI. fig. 1. Bromus mollis, *Weicher Treſp*, et fig. 2. Melica nutans, *glattes Perlgras* exhibentur. Prior ſpecies in variis Germaniae locis, in viis publicis, ad ſepes, in agris, in ſicciori, argilloſo, lapidoſo et arenoſo ſolo habitat et ab omnibus animalibus, dum vero in arena creſcit, ouibus praecipue, deuoratur. Facile ſeminibus ſparſis ſe multiplicat, humilis ſemper manet et ſecari nequit, pro arenoſo autem ſolo emendando et inde noua fertiliorique ſuperficie obducenda, commode inſeruit. Melica quoque et indigena planta eſt et alendis animalibus aptiſſima, cum vero in montoſis locis et ſcopulis creſcere ſoleat, feris praecipue conducit.

Tab.

Tab. VII. Nardus ſtricta, *Haarförmiges Pfriemgras*, *Borſten-Gras*. Stylo vnico facile et extra florendi tempus radice ſua, culmo, foliisque cognoſcitur. Perennis eius et filiformis radix horizontaliter decurrit et vndique ſquamis ita obducta eſt, vt, nonniſi diſſectione praemiſſa, videri poſſit; intra ſquamas exeunt criſpae radicis fibrae, recta in terram deſcendentes. Eſt vero planta oeconomis magis moleſta, quam grata, licet in tegenda et immutanda, immo praeparanda ſteriliori terra vſum habere videatur.

Tab. VIII. fig. 1. Cynoſurus criſtatus, *ſteifes Kammgras*, in Europa vndique et in diuerſo ſolo creſcit; inter pabulares plantas inferiorem quidem occupat locum, ſaginandis tamen ouibus optime conducit et earum carnem ſapidiſſimam reddit. Fig. 2. Dactylis glomerata, *rauhes Hundsgras*. Vndique fere, non viſu quidem, ſed tactu facile cognoſcendas ſpinulas gerit, durumque victum praebet, hinc a nullo animalium genere, niſi ab equis deuoratur; canibus medicinae loco inſeruit, qui folia pro excitando vomitu deglutire ſolent.

Tab. IX. Auena flaueſcens, *Gold-Hafer*. Non quidem ſeorſim in pratis coli, commode vero aliis plantis immixta tolerari debet, multumque cum auena elatiori conuenit.

Tab. X. fig. 1. Aegilops triuncialis, *rauhes Bartgras*, exotica et curioſa magis, quam nobis vtilis planta. Fig. 2. Phalaris Canarienſis, *Canarien-Glanzgras*, *Canarien-Saamen*. Semen, ex inſulis Canarienſibus ad nos delatum, nunc fere indigenum factum fuit; culturam huius fuſius deſcripſit et non ſolum paſſerculis Canarienſibus nutriendis inſeruire, ſed excorticatum ſemen hominibus quoque gratum victum exhibere poſſe monuit et plantam bulboſam, a LINNAEO ſeorſim deſcriptam, pro varietate declarauit Cl. Auctor.

Tab.

Tab. XI. Bromus giganteus, *Futter-Treſp.* Culmos ſucculentos et folia, reſpectu aliorum graminum, latiſſima, mollia et ſapida profert, meſſem copioſam edit, autumno adhuc viget. Et a bobus in deliciis habetur, hinc pabularis et cultura multiplicanda erit planta; id quod experimenta, a Cl. C. G. RIMRODIO, apud Quenſtedtienſes verbi diuini miniſtro, inſtituta et hic recenſita, ſatis et abunde confirmant.

Tab. XII. Phalaris paradoxa, *Forſkäls Glanzgras*, a FORSKAEHLIO ex Oriente allata planta ſingularem ſtructuram habet et curioſorum attentionem meretur.

Tab. XIII. Bromus inermis, *Queck-Treſp*, a LEYSERO primum Halae, dein et in aliis Germaniae regionibus inuenta ſpecies, vel ideo notatu digna, quia euidenter inde cognoſcimus, ariſtas ſaepiſſime in hac plantarum familia variare. Obſeruauit Cl. RIMRODIUS tunc inprimis ariſtas easque longiores emittere bromum, quando in vmbroſis creſcit, immo ex alio loco in vmbroſum tranſplantata planta ariſtas profert, quae antea nullas oſtendebat et ex aliis denique obſeruationibus concludit, non tam natale ſolum diuerſum, ſed ſolummodo vmbram generandis ariſtis in hac ſpecie inſeruire.

Tab. XIV. Phleum pratenſe, *Wieſen-Lieſchgras.* Nodoſum et alpinum LINN. huius modo varietates, ex diuerſo ſolo enatas, eſſe, aſſerit Cl. Auctor. Omnibus his communis ineſt, facile conſpiciendus character; ſcilicet locuſtae ſunt oblongae, ſuperne truncatae, et cornutae lateraliter ſplendentibus pilis ciliatae. Laudauit gramen et vt Americanum, nomine *Timothygras*, Cl. ROQUE vendidit, illudque ex Britannicis plures pro artificialibus pratis parandis multum commendarunt; verum nec ſapidum, nec vtile animalibus per ſe praebet pabulum, oues illud plane negligunt, boues

boues vero, lubentius equi, idem, aliis pabularibus plantis commixtum, deuorare ſolent; hinc ſi illud in pratis cultura multiplicare volumus, nunquam ſolum, ſed in ſocietate aliarum eiusmodi plantarum ſerere debemus.

Tab. XV. Auena fatua, *Wild-oder Wind-Hafer.* Moleſtiſſimam eandem agricolis noſtris eſſe, quotidie experimur; hinc varios Cl. Auctor recenſuit modos, quibus eam imminuere et plane tandem exſtirpare poſſemus. Ariſtas aliquando hygrometra conſtituere, nota res eſt. Et cum auenae huius ariſtae peculiari ratione conſtructae ſint, hinc etiam ab aëre ſicco et humido euidenter mutentur et perfectum eiusmodi hygrometrum praebeant, etiam de eodem egit Auctor, eiusque praeſtantiam et vſum expoſuit.

Tab. XVI. Panicum ſanguinale, *Bluthirſe.* Eſt quidem agricolis ſaepe moleſtum gramen, attamen hinc inde colitur et ſemen alimenti loco adhibetur; cum feſtuca fluitanté ſaepe confunditur et vtriusque ſemen mannae eſculentum, *Schwaden* ſiue *Mannagrütze* appellatur. Inter ſe autem multum differt et panici huius cultura nunc fere euanuit, poſtquam feſtucae praeſtantia magis magisque innotuit. Pro arena mobili figenda commode vſurpari poteſt.

Tab. XVII. Hordeum Zeocrithon, *Bart-Gerſte.* In Anglia et Gallia notiſſima frumenti ſpecies, noſtratibus aeque commendanda; id quod Cl. SCHADII experimenta, hic enarrata, ſatis ſuperque probant.

Tab. XVIII. Holcus halepenſis, *ſchmalblätteriges Honig-Gras.* Planta Syriaca, in curioſorum hortis modo inuenienda. Germanico nomini occaſionem dedit holcus ſaccharatus, qui dulciſſimum continet ſuccum; huic multum ſimilis eſt halepenſis, ideoque has ſpecies notato titulo inſignire voluit Cl. Auctor.

Tab.

Tab. XIX. fig. 1. Alopecurus pratenſis, *Wieſen-Fuchsſchwanz*, gratiſſimum animalibus gramen et in colendis perficiendisque pratis facile princeps; cuius praeſtantiam non ſolum luculenter expoſuit Auctor, ſed et hac occaſione de pratis artificialibus in genere diſſeruit, optimumque modum expoſuit, quo haec poſſint inſtitui, foecundari, conſeruari. Fig. 2. Alopecurus agreſtis, *Acker-Fuchsſchwanz*. Priori in multis ſimilis, huius autem ſpica ſimplex eſt et locuſtae nudae, ſpica prioris compoſita et locuſtae piloſae. Fig. 3. Lagurus ouatus, *kolbiges Sammt-Gras*. Neque indigena eſt, neque ratione vſus cognita planta.

Tab. XX. fig. 1. Holcus lanatus, *wolligtes* et fig. 2. Holcus mollis, *kriechendes Roſs-oder Pferdegras*. Vtraque apud nos et in ſiccis et humidis pratis aliisque locis ſponte prouenit; eſt vero poſterior propter repentem radicem et tenacem culmum agricultoribus minus accepta; prioris culmi et folia molliora, ſucculenta, dulcique ſapore praedita ſunt, hinc optimum animalibus, inprimis ouibus exhibent pabulum, ideoque praticultoribus omni modo commendari, vel propterea etiam laudari debebit, quia arenoſa loca firmat, eademque in praeſtantiſſima ouina paſcua commutat.

Ex his, quae breuiter indicauimus, operis praeſtantia facile apparebit, atque hinc omnes, botanici aeque ac rei agrariae cultores, eiuſdem continuationem nobiscum deſiderabunt; conſtantem itaque ſanitatem Cl. Auctori exoptamus, ſperamusque, nec domicilii mutationem, nec noui muneris labores eum a graminum deliciis abducturos eſſe.

IV.

IV.

Lucubrationum academicarum ſpecimen primum, de ſyſtematibus mineralogicis et ſyſtemate mineralogico rite condendo a IOANNE GOTTSCH. WALLERIO, Phil. et Medic. Doct. Chem. metall. et pharmac. Prof. reg. Vpſ. acad. Imper. nat. cur. nec non reg. acad. Stockh. et Vpſal. ſocio. Holmiae. Impenſis Direct. Laurent. Saluii. 8. 1768. 10 ½ pl. tabb. aen. 3.

In duas ſectiones libellum ſuum diuidit Cl. Auctor; in priore ſyſtemata mineralogica recenſet, in poſteriore autem de ſyſtemate mineralogico, rite condendo, agit. Syſtemata commemorans Noſter, inter p. 5. veteres ante Chriſtum natum duos tantum auctores deprehendit, nimirum ARISTOTELEM et THEOPHRASTUM ERESIUM; poſt haec tempora, ſeculo, poſt Chriſtum natum, primo, 1) DIOSCORIDES; 2) C. PLINIUS SECUNDUS; ſeculo ſecundo CLAUDIUS GALENUS; ſeculo quarto EPIPHANIUS et ſeculo duodecimo AVICENNA ſe commendarunt.

Seculo decimo ſexto 1) ALBERTUS MAGNUS; p. 13. 2) PETRUS ARLENSIS DE SCUDALAPIS; 3) GEORGIUS AGRICOLA; 4) ANDREAS LIBAVIUS; 5) CHRISTOPHORUS ENCELIUS; 6) HIERONYMUS CARDANUS; 7) GABRIEL FALLOPIUS; 8) FRANCISCUS RUEUS; 9) IOAN. KENTMANNUS; 10) VALLERIUS CORDUS; 11) CONRADUS GESNER floruerunt.

Seculo decimo ſeptimo 1) ANDREAS CAES- p. 27. ALPINUS; 2) FRANC. CALCEOLARIUS; 3) IO GUIDIUS; 4) ULYSSES ALDROVANDUS; 5) CASPARUS SCHWENCKFELT; 6) SIGFRID

ARON FORSIUS; 7) ANSELMUS BOETIUS DE BOOT; 8) IOAN. DE LAET; 9) BERNARDUS CAESIUS; 10) OLAUS WORMIUS; 11) IOAN. IONSTONIUS; 12) IO. IOACHIM BECCHER; 13) IOAN. WEBSTER; 14) FRID. LACHMUND; 15) FERRAND. IMPERATUS; 16) ALBARO ALONSO BARBA; 17) OLAUS BROMELIUS; 18) IOH. IOACH. BOCKENHOFFER; 19) EMANUEL KOENIG; 20) URBAN HIAERNE vixerunt.

p. 59. Seculo demum decimo octauo 1) CHRIST. IOAN. LANGE; 2) IR. FAUST; 3) IO. IAC. BAYER; 4) VALENTIN. KREUTERMANN; 5) G. ANDR. HELLWING; 6) IOH. IAC. SCHEUCHZER; 7) IOH. HENR. SCHÜTTE; 8) JOHN WOODWARD; 9) MAGNUS VON BROMELL; 10) HERMANN BOERHAAVE; 11) FR. CHRIST. LESSER; 12) CAROL. LINNAEUS; 13) IO. FR. HENCKEL; 14) IOH. ERN. HEBENSTREIT; 15) IOH. ANDR. KRAMER; 16) IO. HENR. POTT; 17) Auctor ipſe WALLERIUS; 18) IOH. HILL; 19) CHR. GOTTL. LUDWIG; 20) IOH. LAC. WOLTERSDORFF; 21) IO. FR. GRONOV; 22) IOH. FRID. CARTHEUSER, iun.; 23) DEZALLIER D'ARGENVILLE; 24) PATRICK BROWNE; 25) IOH. HENR. GOTTL. VON IUSTI; 26) EMAN. MENDEZ DA COSTA; 27) IACOB. THEODOR. KLEIN; 28) ALEX. CRONSTEDT; 29) IOH. GOTTL. LEHMANN; 30) RUDOLPH. AUG. VOGEL; 31) IOH. ERNST. IMM. WALCH; 32) M. VALMONT DE BOMARE; 33) IOH. WILH. BAUMER inter praecipuos
p. 113. mineralogos collocandi ſunt. Praeter hos recenſitos etiam alios commemorat, qui ad mineralia ſpectantes libellos et in iis foſſilium claſſificationem exhibuerunt, inter quos nominantur ORPHEUS, Graecus; 2) GUALTER CHARLETON; 3) RICH. BRADLEY;

BRADLEY; 4) BOURGUET; 5) CAV. GIOV. BAILLOU; 6) TH. NICOLS.

Muſea pauciora a Noſtro indicata ſunt, hanc quidem ob cauſſam, tum quod in huiusmodi gazophylaciis vix alia reperiuntur deſcripta, quam quae curioſa et exotica fuerunt, oculosque ſpectatoris delectant, rariſſime autem vel nunquam vulgaria, niſi extraordinarium quid in his fuerit obſeruatum; tum quoque quod Auctores pauciores in huiusmodi muſeis receptam aliquam ſecuti ſunt claſſificationem. Ne vero eiusmodi muſea omittantur, a Noſtro viginti octo tanquam praecipua nominantur. Oryctographos plurimos praeteriit, vtpote penes quos peculiarem quandam claſſificationem mineralium reperire non potuit. Praecipuos tamen numeroque vnum de viginti indicat. p. 113. p. 116.

In ſectione poſteriore Noſter de ſyſtemate mineralogico rite condendo, agit et ſyſtema mineralogicum appellat, *quod continet completam recenſionem et deſcriptionem omnium corporum mineralium, rite, ordinate et fideliter factam.* Rite facta dicitur, ſi ſimilia ſimilibus coniunguntur, diſſimilia ſeparantur; ordinate vero facta vocatur, ſi a ſimplicioribus ad magis compoſita, a ſimilibus ad diſſimilia fit progreſſus ſucceſſiuus. Ad fines proximos reſpicienti Noſtro, ſyſtemata mineralia quadruplici potiſſimum fine condi videntur. 1) Vt corporum mineralium ideae animo ingerantur et corpora oblata ab aliis diſtincte cognoſci et agnoſci poſſint; 2) vt animus imbuatur principiis, quibus in ratiociniis de his aliisque corporibus opus habet; 3) vt pateat vſus, quem haec corpora praeſtare poſſunt in vita communi, in rebus medicis etc.; 4) vt per eiuſmodi ſyſtemata abbreuietur via diſcendi et memoria ſubleuetur. Ad hos fines obtinendos requiritur, vt corpora per certas p. 119.

ac determinatas notas characteriſticas diſtincta cognoſcantur. Itaque tales ſecundum Noſtri ſententiam eligendae ſunt notae characteriſticae, 1) quae omni tempore et loco conſtantes ſunt, cuicunque ſubiecto eiuſdem ſpeciei nunquam non competentes; 2) quae perennes ſunt, hoc eſt, quae nulli mutationi obnoxiae ſunt; 3) quae determinatae ac ſufficientes ſunt ad corpus oblatum, a quocunque alio diſtinguendum. Notis characteriſticis inniti claſſificationem, aſſerit Cl. Auctor; atque hanc quoque methodum appellari, eſſeque corporum naturalium, ex characteribus conſtantibus et ſufficientibus rite factam diſtributionem in claſſes, ordines, genera et ſpecies cum varietatibus ſuis, autumat. Claſſes vocat genera ſuprema, notis vniuerſalioribus diſtincta, quae ideo ſimilitudinem corporum generaliorum, in ordinibus, ſub claſſe comprehenſis, communem indicant. Ordines dicit, eſſe genera intermedia, quae notis minus vniuerſalibus indicant ſimilitudinem corporum, in generibus inferioribus, ſub ordine comprehenſis, obuiam. Genera vocat, quae a ſimilitudine in ſpeciebus, ad ſua genera relatis, obſeruata formantur. Species vero adpellat, quae ſimilitudinem, in indiuiduis obuiam, indicant. Varietates tandem Noſtro ſunt, quae non niſi in accidentali quadam in indiuiduis ſimilitudine vel mutatione locum habent. Ita autem omnem claſſificationem ſeu methodum conſtrui debere, innuit Cl. Auctor, vt, quae non conueniunt in ſpecie, ſingulare genus et, quae non in genere, ſingularem ordinem vel claſſem conſtituant. Notas vero characteriſticas claſſium, ordinum et generum tales eligendas eſſe, praecipit, vt, addita differentia ſpecifica, idea rei clare pateat. Notas characteriſticas ad fines obtinendos ita comparatas eſſe debere autumat, vt ſemper, quacunque occaſione, quocunque loco et tempore ad rem oblatam cognoſcendam ſufficiant. Easdem ita-

que

que ab extrinſecis proprietatibus et qualitatibus vel externa facie, quantum poſſibile, deſumendas eſſe, aſſerit et eiusmodi notas extrinſecas appellat. Quodſi vero extrinſecae non reperiantur notae conſtantes et ſufficientes, ad alias notas, quae a relatione corporum ad ignem, menſtrua vel ad alia corpora obtineantur, ſimul attendendum eſſe, monet, talesque notas intrinſecas vocat. Ad extrinſecas refert eas, quae deſumuntur, 1) a loco natali et patria; 2) ab vſu; 3) a magnitudine vel paruitate; 4) a nobilitate vel ignobilitate; 5) a qualitatibus ſenſibilibus, nimirum odore, ſapore, colore, nitore, pelluciditate vel opacitate; 6) ab externo adſpectu et ſtructura; 7) a generationis modo ab extrinſeca facie apparente; 8) a figura. Ad intrinſecas notas refert, quae, in ipſa natura corporum fundatae, deſumuntur, 1) a grauitate et leuitate; 2) a duritie vel mollitie; 3) a relatione ad menſtrua aquoſa vel ſalina; 4) ab indole in igne; 5) a materia et modo generationis per experimenta chemica enodandis.

A notarum characteriſticarum diuerſitate, intrinſeca vel extrinſeca diuerſa, vt oſtendit Noſter, promanant ſyſtemata mineralogica. Alii namque claſſificationem ſecundum notas extrinſecas inſtituere volunt, hancque claſſificationem, ab aliis artificialem dictam, Noſter ſuperficialem adpellat. Alii ad interiorem compoſitionem et intrinſecas notas reſpiciendum eſſe contendunt, hancque, naturalem ab iiſdem dictam, Noſter chemicam vocat. Alii denique claſſificationem mixtam exoptant, quam duplici ſenſu ſumi, Cl. Auctor perhibet; aliter nimirum ab iis, qui extrinſecas notas ſimul cum intrinſecis adhibendas eſſe volunt, vel vtrasque in generum ac ordinum characteribus determinandis combinando; vel ea ratione, vt genera ac ordines ab intrinſecis determinentur, ſpecies vero ab extrinſecis criteriis, aliter

vero ab iis ſumi, qui in generibus aut ordinibus determinandis alibi intrinſecis, alibi extrinſecis notis characteriſticis vti volunt: ſed hoc ſenſu mixtam methodum potius confuſam appellandam eſſe, autumat. Naturalem methodum illam adpellat Noſter, in qua congenera corpora et eiuſdem compoſitionis coniunguntur, diuerſae vero mixtionis ſeparantur, ſeu, *in qua ad maximam conuenientiam et ſymmetriam, ſiue intrinſecam ſiue extrinſecam, ſiue vtramque reſpectus habetur.* Hinc cum artificiale, vt oppoſitum naturali, conſiderari debeat, tam ſuperficialem, quam chemicam artificiales eſſe poſſe, neglecta conuenientia nominata, putat. Nullus itaque dubitat, naturalem methodum omnibus aliis praeferre. Cum vero diſputatur, quaenam ex methodis enarratis ad naturalem accedat, ideoque reliquis praeferenda ſit, ſingulos characteres, tam extrinſecos, quam intrinſecos indicatos, examinat. Ad extrinſecas itaque notas primo reſpiciens Noſter oſtendit, a loco natali et patria, cum in ſubiecto obſeruari detegique nequeant, nullas notas characteriſticas deſumi debere, et a notis, quae ab vſu deſumantur, cum iſte maxime mutabilis ſit, ab arbitrio vſurpantis ſaepe pendens, abſtinendum eſſe. Oſtendit deinde, omnem, a quantitate deſumtam notam, inſufficientem et inutilem eſſe, cum v. g. fruſtum iaſpidis vel achati non cognoſci poſſit, multoque minus per experientiam indagari, an a maioris vel minoris molis lapide ſeparatum ſit. Innuit porro, nobilitatem et ignobilitatem, quatenus hae in ſe conſiderentur et fundamentum ſuum vel in raritate aut frequentia, vel in arbitrio hominum, ſaepius mutabili, habeant, vt notam characteriſticam conſiderari non poſſe. A qualitatibus ſenſibilibus e. g. odore, ſapore etc: paucas notas characteriſticas foſſilium ſumi poſſe, ac non niſi ſpecificas, aſſerit. Faciem externam ſeu externum adſpe-

ctum

ctum et ſtructuram, a qua multi notas deſumunt, non niſi inſufficientes, difficiles, immo falſas praebere poſſe notas, Noſter autumat, cum mineralium genera, natura diſtincta, confundantur et eiuſdem naturae corpora ab inuicem ſeparentur, non tamen omnino reiiciendas eſſe notas, ab externa facie deſumtas, affirmat, et non tantum adminiculi loco, qua aſſueti mineralogi oblatos lapides, ſine vlteriori examine, ſaepe agnoſcere et dignoſcere poſſint, in memoriam reuocantes, ſe tales prius vidiſſe, ſed etiam ad ſpecies determinandas conducere poſſe, putat. Ab apparente generationis modo diuerſo, cum probabile ſit, vnius eiuſdemque generis corpora diverſo modo produci et hinc diuerſam faciem, in ſpeciebus obuiam, pendere, eo magis incertas notas deſumi putat, quo magis adhuc incerti ſumus de modo generationis lapidum diuerſo. Notas tandem, a figura deſumtas, cum plura corpora diuerſiſſimae naturae eandem obtinere poſſint figuram, a cauſſa quadam peregrina communi, in haec corpora aequaliter agente, pro generibus igitur determinandis inſufficientes eſſe ac deceptrices, ideoque vnice locum habere poſſe in ſpeciebus diſtinguendis, docet.

Progreditur Cl. Auctor ad notas characteriſti- p. 146. cas, quae per experimenta quaedam ſunt cognoſcenda et elicienda. Primo itaque grauitatem vel leuitatem corporum conſiderat, talique examine theoriam corporum mineralium multum quidem illuſtrari poſſe, claſſificationem vero eorundem corporum ex hoc fundamento vix vllam conſtrui, putat, cum diuerſa ſit in vno eodemque genere, immo in varietatibus vnius eiuſdemque ſpeciei, grauitas ſpecifica, quae pendet vel a particulis metallicis, plus minus immixtis, vel ab arctiori nexu partium, vnde maior quantitas materiae ſub minori volumine compingi-

tur. Differentiam porro inter lapides, a duritie vel mollitie deſumtam, praeterquam quod nimis ſit generalis, ſub vno titulo diuerſos compingens lapides, maxime dubiam et ambiguam exiſtere, putat, ab his tamen affectionibus notas characteriſticas auxiliares ſumi poſſe, inprimis ad ſpecies, ab inuicem ſeparandas, non dubitat. A ſolubilitate vel inſolubilitate lapidum in acido quodam fortiori, inprimis in aqua forti, hincque orta interdum efferueſcentia notam characteriſticam ad diſtinguenda genera lapidum, naturaliter diſtincta, deſumi non poſſe, optimum vero adminiculum, quo via ſimul pandatur ad interiorem lapidum compoſitionem cognoſcendam, obtineri arbitratur. Si naturaliter diſtincta corpora ſint ſeparanda et ſimilia coniungenda, ſi et mineralia, non ratione ſtructurae, ſed ratione mixtionis et compoſitionis ſuas exerceant functiones, ſuas mutationes et deſtructiones ſubeant, ſuos et conſequentes praeſtent vſus tam in metallurgicis, quam oeconomicis, non magis ſufficientem conſtitui poſſe arbitrum ac iudicem claſſificationis, quam ignem, Noſter oſtendit. Quod tandem ad methodum attinet, qua nonnulli, ad materiem, qua componuntur vel generantur lapides, reſpicientes, vtuntur, in ipſis potius experimentis h. e. in indole lapidum, in igne, menſtruis et ad alia corpora relatione, quam in concluſione adhuc ambigua de materia, qua generantur, acquieſcendum eſſe, monet. Ex his igitur patere, dicit Noſter, quaenam methodus reliquis praeferenda ſit, vtrum ſuperficialis, an chemica, an demum mixta. Cum itaque methodus mixta, quae notis characteriſticis, tam extrinſecis, quam intrinſecis, ſimul combinatis, ſuperſtructa eſt, proxime ad naturalem accedat, maximamque indicet ſymmetriam, eam ipſam reliquis omnino praeferendam eſſe, arbitratur.

V.

V.

Index Pharmacopolii completi cum calendario pharmaceutico, Auct. IOH. IUL. WALBAUM, M. D. et Practico Lubecenſi P. I. Lipſ. apud Ioh. Frid. Gleditſch. 1767. fol. pl. 23. et P. II. ibid. 1769. fol. Alph. 1. pl. 3.

Cum peruerſa medicamentorum in pharmacopoliis collectio atque praeparatio nonnunquam ex intentione medici praeſcribentis, perperam intellecta, vel improba lucri cupiditate, omnium autem frequentiſſime ex ignorantia proficiſcatur, laudabili inſtituto Cl. Auctor huic, quem vltimo loco nominavimus, errorum pharmaceuticorum fonti obuiam ire voluit. Ipſi itaque viſum eſt, in prima parte indicatis, ſecundum tria naturae regna omnium, quae in pharmacopoliis aſſeruari debent, medicamentorum ſimplicium, nominibus vſitatis, non tantum locos ex iis ſcriptoribus, qui optimas eorum deſcriptiones vel icones dederunt, allegatos, ſed vegetabilibus etiam nomina ſic dicta triuialia ex LINNAEI ſpeciebus plantarum apponere. Characteres etiam, quibus adulteratae merces a genuinis internoſci poſſint, indicauit, nec minus quarundam plantarum deſcriptionem, cum in libris vernaculis nondum inueniatur, ipſe dedit, e. g. monardae, myrti Britannicae, roſmarini ſylueſtris, ſeminis phellandrii, fabae pichurim, fungi Melitenſis etc. In calendario adiecto, plantarum vegetatione ſummatim expoſita, tempus definit, quo partes earum viribus medicatis maxime pollent. Pro ſoli quoque, in quo plantae creſcant, varietate, ipſarum vires maiores minoresve, ideoque ſponte prouenientes, illis, quae in hortis coluntur, nec non montanas paluſtribus plantis praeferendas eſſe, recte monet. Per ſingulos dein-

de menſes, quae plantae floreant, vtpote ex qua re ſingulas earum partes colligendi tempus facile definiri poteſt, porro, quae colligi debeant, denique, qui labores a pharmaceutis ſuſcipiendi ſint, oſtendit. Sub finem regulas addit, in colligendis, ſiccandis, aſſeruandisque ſimplicibus, imprimis ex vegetantium claſſe, obſeruandas.

Altera pars ordine alphabetico ſiſtit nomina praeparatorum ſimplicium et compoſitorum. Plurima quidem congeſſit Cl. Auctor, ea tamen, quae vtilitate ſua ſe commendant, ab his, quibus officinae noſtrae commode carere poſſent, literis maiuſculis diſtinxit. Cum vero multa inter haec medicamenta ſint, quorum praeparationes in diſpenſatoriis conſuetis non deprehendantur, eae in ſubiectis notulis additae ſunt. Praeterea duo appendices ſubiuncti ſunt. Alter denominationes medicamentorum germanicas, in tractu Lubecenſi ſolemnes, alter cautiones atque encheireſes pharmaceuticas, ex praeſtantiſſimis ſcriptoribus multo ſtudio depromtas, exhibet, quibus quale pretium ſtatuendum ſit, vt eo melius noſtris Lectoribus conſtet, nonnullas earum, memoratu maxime dignas, exempli loco, indicare nobis liceat.

Medicamenta compoſita, in quibus aduerſus praecepta chemica peccatur, aut quorum ingredientia ſeſe deſtruunt, ex officinis proſcribantur. Circa aquarum deſtillationem videndum eſt, num partes ingredientium actiuae in excipulum deſcendant, nec ne, num volatiles ſint, an fixae, num cito, an tarde a reliquis ſecedant. His enim momentis vaſorum et menſtrui ſelectus, ingredientium praeparatio atque ignis gradus accommodari debet. Ad conſeruas parandas ne plantae adhibeantur nimis mucilaginoſae, aut quarum virtus quaeſita in parte haereat volatili. In conficiendis emplaſtris ſaturninis,

nis, ad cauendum empyreuma, aqua tepida ſubinde affundenda, et ceruſſa lota (*ſchieferweis*) ceruſſae vulgari, (*bleyweis*) creta vtplurimum adulteratae, praeferenda, quo iuſtam acquirant conſiſtentiam. Extracta bonae notae, praeter requiſitam conſiſtentiam, ſaporem odoremque eius rei, ex qua parantur, prae ſe ferre et ab empyreumate libera eſſe debent, ſeduloque videndum, vt, ad ea recte conficienda, conueniens vbique menſtruum, pro cuiusuis ſubſtantiae extrahendae indole, eligatur. Ad faciliorem oleorum empyreumaticorum rectificationem, alias taediofam et difficilem, opus eſt, vt retorta ſit ſicca et probe mundata, oleum ipſi ope infundibuli praelongi immittatur, ignis primo leuiſſimus, poſtea ſenſim auctus adhibeatur, idque, quod ſub initium et finem operationis prodit, ſeparatim a tenuiſſima puriſſimaque olei parte, mutatis vaſis, excipiatur. Ex ſubſtantiis tenacibus, adſtringentibus, aut aromaticis ſyrupos ne conficias. Pro extrahendis tincturis ſubſtantiae imprimis eligantur forti odore atque ſapore praeditae, hisque accomodentur menſtrua, aromata, aliaque volatilia, vel vbi menſtruum adhibetur volatile, ſine igne extrahenda ſunt. Plura addere, breuitatis ſtudium haud ſinit, id tantum monemus, ſerio optandum eſſe, vt libellus hic, quem Lectoribus noſtris de meliore nota commendamus, non tantum a pharmacopoeis, artis ſuae, vti par eſt, curioſis, quibus imprimis a Cl. Auctore dicatus eſt, ſed etiam a medicis legatur, qui de emendandis tabernis medicamentariis cogitant, eo enim tanquam norma, quam in hoc opere ſequantur, commode vti poterunt.

VI.

VI.

La nature opprimée par la médécine moderne, ou la néceſſité de recourir à la méthode ancienne et hippocratique dans le traitement des maladies. Par Mr. TOUSSAINT GUINDANT. A Paris, chez Debure l'aîné, 1768. 12. pl. 17½.

i. e.

Natura per hodiernam medicinam oppreſſa, ſeu neceſſitas recurrendi ad veterem et hippocraticam morbis medendi rationem, Auctore Cl. TOUSSAINT GUINDANT.

Exhibita notione vocis naturae in medicina, Cl. Auctor primum prolixe de officio medici, eam
p. 8. in curandis morbis ſectandi, exponit, eumque diuerſas morbi periodos caute attendere iubet, noxamque, ex earum neglecta obſeruatione oriundam, declarat et eos iure quidem ſuo reprehendit, qui in multis medicamentis et, illis morbi ſtatui non accommodatis, huius curandi ſpem ponunt. Ad quos eo magis conuincendos ideam corporis ſani eiuſque
p. 26. functionum dat et ex iis niſum naturae, ſanitatem conſeruandi, declarat, medicumque docet, quomodo illam operantem ſuſtentare eique ſuccurrere debeat; quod exemplis, a Cl. Auctore allatis, clare atque perſpicue probatur, quae copioſe enarrantur et quibus ratiociniis ille ad formandas indicationes debellandumque morbum vſus fuerit, indicatur. Poſtea, per
p. 62. partes eundo, docet, abuſum venae ſectionis, ſi ea tamquam remedio vniuerſali vtamur, nec non purgantium, pari ratione conſideratorum et quae inde damna reſultent, vix ſemper reparanda, iterum, ad-
p. 80. ditis aliis ex praxi exemplis, euincit. Tertium poſt-

ea

ea errorem Cl. Auctor impugnat, ſi venae ſectio nimis parce adhibetur, eiuſque emolumenta aliis medicamentis, quaecumque ea demum fuerint, obtineri poſſe putantur: quod itidem exempla addita demonſtrant. His, veluti praeliminari ſermone, praemiſſis, antequam praeſtantiam methodi hippocraticae commendet Cl. Auctor, officia quaedam medico ſumme neceſſaria indicat, quae ex ZACUTO LUSITANO depromſit et quorum ſummam ſi cum Lectoribus noſtris communicauerimus, eorum veniam nos impetraturos confidimus. *Medicus ſit vir probus; non verboſus et loquax; non ſuperbus et arrogans; fateatur errores,* quod HIPPOCRATES et GALENUS, praeſtando magna nobis exempla, reliquerunt; *ſit ſciens et natura prudens;* ſcientia autem ipſi ſufficiens erit ſobriae philoſophiae et phyſicae; *ſit ſtudioſus*, et artem quotidie ſtudiis amplificare tentet, qua in re labores chemicorum et botanicorum laudabile exemplum ad imitationem proponunt; *habeat libros, ſed paucos et optimis vtatur Auctoribus;* a nimia enim et confuſa lectione in quavis ſcientia iam SENECA dehortatus eſt: medico autem HIPPOCRATIS prae reliquis ſtudium commendatum eſto, cuius lectioni ſelectiſſima tantum reliquorum veterum aeque, ac recentiorum iungenda ſunt ſcripta; *paruum morbum non magni, ſic et magnum non parui faciat;* hiſtrionis enim, CELSO iudice, eſt paruam rem attollere, in grauiori autem morbo praeſagium certum et proſperum aegros negligentiores reddit et, ſi morbus in peius fuerit verſus, famae vel adeo conſcientiae medici maculam inurit; *nihil aggrediatur temere et amet conſultationes*, quae vero non niſi coram viris, ſcientiae peritis, inſtituendae ſunt; *auxiliari non differat et caute praeſagiat*, praeſertim hoc in aegris diaetae non adeo obſequentibus; *rationalem profiteatur artem*, vbi op-

p. 118. p. 141. p. 167. p. 172. p. 184. p. 196. p. 208.

poſi-

poſitae empiricorum et dogmaticorum ſectae clarae
luci exponuntur, huiusque prae illa praeſtantia de-
monſtratur; *inſpiciat ſubiectum, circa quod verſatur,
nobiliſſimum; ſanitatem vt primarium ſcopum atten-
dat; recte teneat, in qua difficili arte verſetur*, neque
p. 235. enim HIPPOCRATI aliisue medicis turpitudini
fuit fateri, ſe ad ſummum ſcientiae faſtigium non
perueniſſe; *medicus doctus generoſo animo vulgi ca-
lumnias contemnat*, vbi vulgatiſſimae contra medicos
p. 259. obiectiones enarrantur et reuelluntur; *medicus a re-
ctitudine*, id eſt a via, quam natura ipſi monſtrat, *non
recedat*, *etſi non* eo ipſo momento *appareat iuuamen-
tum* ſenſibus obuium; non enim tantum cito et iu-
cunde, ſed et tuto curare morbos oportet; *rectis in-
dicationibus nixus*, *veraque methodo fretus*, *naturam,
recte operantem, imitetur; in arte anatomica ſit appri-
me inſtructus; in chirurgica arte ſit verſatus; mate-
riae medicae ſit ſtudioſus et callens.*

His omnibus fuſe explicatis et multis iisque
p. 285. egregiis monitis inſperſis, ad ſecundum tractationis
ſuae caput Cl. Auctor progreditur, vbi neceſſita-
tem methodi hippocraticae in tractandis morbis
p. 289. oſtendit. Praemiſſa HIPPOCRATIS laude, duode-
cim leges, ex ſcriptis eius erutas, recenſet, quae agen-
di modum in morbis concernunt, poſteaque diaete-
ticae illius rationem exponit, venae ſectionem vbi
ille adhibuerit, indicat, euacuantium ordinem et
modum, iis vtendi, declarat, et denique chirurgico-
p. 299. rum auxiliorum, ab eo in vſum vocatorum, et morbo-
rum, in quibus iis vſus fuerit, mentionem facit.
Praeſtantiam methodi ipſius iam BACO cognouit,
multisque eam laudibus extulit et ex recentioribus
SYDENHAMIUS, BAGLIVIUS et BOERHAA-
VIUS ſecuti ſunt et aeque ac SWIETENIUS, ean-
dem viam calcando, medicinae plurimum lucis affu-
derunt. Et eadem praeſtantia, quae omnes medi-
cos ad imitationem methodi huius excitare debet,
Cl.

Cl. Auctorem ad eam ſectandam compulit, quod, p. 313.
additis duodecim obſeruationibus, probat, quae demonſtrant, morbi indole, obſeruationibus ſtudioſe inſtitutis, detecta, paucis omnino remediis et ſaepe ſola diaeta opus eſſe ad eum, etſi grauiſſimus videatur, feliciter profligandum. Huc et illuc his obſeruationibus varia inſperſa ſunt, quae attentione digna videntur, paucis a nobis commemoranda, v. c. p. 321.
in iis morbis acutis, vbi faucium ſumma eſt ſiccitas, os aqua frigida, ſi in aeſtatem, tepida, ſi in hyemem morbus inciderit, replendum, eaque tam diu retinenda eſt, donec gradus frigoris ipſius imminutus fuerit; imo hoc ipſo remedio in declinante morbo, lingua cruſta viſcida obſeſſa, ter quaterue ſingulo mane repetito, vices purgantium ſupplentur, ſi aluus iam ſatis reſpondeat. Alio loco Cl. Auctor memi- p. 355.
nit, ſe morbos bilioſos, putridos et gangraenoſos, plerumque per diureſin iudicatos, vidiſſe. In febri- p. 367.
bus exanthematicis, niſi malignitatis quaedam ſuſpicio adſit, venae ſectio in robuſtis et plethoricis et vomitorium, niſi quid contraindicet, eruptionem iuuant, quae ſi non adeo promte ſuccedat, diaphoretico leniori v. c. ſcorzonerae decocto, ſin autem impetuoſius, temperantibus iuuatur; a refrigerantibus autem ſummo ſtudio abſtinendum. Purgantibus in fine morbi quam maxime opus eſt. In malignis e contrario ſanguinis miſſio nocet; in principio morbi vomitorio et carthartico medicamento primae viae liberae reddendae ſunt et tunc antiſepticis, vt acidis vegetabilibus et mineralibus dulcificatis, camphoratis, aut, ſumma vrgente neceſſitate, veſicatoriis vtendum eſt, quae tamen caute adhibenda p. 370.
ſunt, vbi a dyſcraſia humorum iſchuria aut dyſuria prouenerit. Finem denique totius operis index vo- p. 375.
cabulorum medicorum, quibus in opere hoc vſus eſt Cl. Auctor, cum ipſorum explicatione facit.

VII.

VII.

Eſſai ſur les effêts ſalutaires du ſéjour des étables dans la phtiſie. Par Mr. READ. A Londres, et ſe trouve à Paris, chez Riviere. 1767. 8. pl. 2.

i. e.

Tentamen ſuper effectibus ſalubribus ex commoratione in ſtabulis in phthiſi. Auctore Cl. READ.

Nouum remediorum genus caſu, vt fit ſaepe, detectum et aliquoties in eodem morbo applicatum, fauſto ſucceſſu ſe commendans, omnino clariore dilucidatione indigebat, quod praeſenti libello Cl. Auctor praeſtare anniſus eſt. Aerem pro variis, quas continet, exhalationibus, corpori noſtro vel infenſum eſſe, vel proficuum, notiſſima res eſt: inter illas autem tranſpiratio inſenſibilis animantium non poſtremum locum occupat, quae quantum ad ſanitatem conſeruandam et corroborandam conferat, vniuerſa antiquitas loquitur et plurima hodienum exempla confirmant. Quod autem praeſertim eam
p. 11. ſpectat, quae a brutis proficiſcitur, ipſius actionem in corpora noſtra benignam eſſe oportere, ſtructura partium harumque functiones, parum diuerſae a noſtris, et praecipue victus vegetabilis, qui alkaleſcentem indolem praecauet et vaporibus exhalantibus qualitatem magis vnctuoſam et balſamicam tribuit, ſuadent. Quaeritur igitur, an aer, eiusmodi parti-
p. 13. culis foetus, phthiſin ſanare poſſit? hanc Cl. Auctor in genere definit, quod ſit colliquatio partium muſcularium, a defectu aut deprauatione ſuccorum nutrientium deducta, et in atrophiam et phthiſin pulmonalem diuidit: primae ſpeciei annumerat atro-

phiam

phiam neruoſam, conſumtionis dorſalis duas ſpecies
ab HIPPOCRATE deſcriptas, et maraſmum eua-
cuationibus immodicis aut morbis diuturnis ſucce-
dentem; alteri phthiſin haereditariam, ſcirrhos, vl-
cera, tubercula et calculoſas concretiones in pulmo-
nibus. Quod ergo alteram quaeſtionis partem ſpe- p. 14.
ctat, percipitur in ſtabulis calor quidam gratus a ma-
teria perſpirabili corporis et pulmonum vaccarum,
vna cum odore dulci et ſuaui a lacte horum anima-
lium, qui augetur a partibus volatilibus excremen-
torum, quae ad quoddam tempus impreſſionem ſpi-
rituum animalium retinent. Hae ergo particulae p. 15.
coniunctae inter ſe ſanguini noſtro indolem balſami-
cam et vnctuoſam humiditatem tribuere poſſunt, a
quibus nutritio pendet, ideoque in phthiſi primae
ſpeciei omnino conducent, idque eo magis, quo ſimi-
liores ſunt conſtitutioni corporis aegroti ipſius.
Symptomata phthiſicorum reſolutionem humorum
teſtantur, quare ad eos condenſandos incraſſantibus
vti ſolemus: ſed haec vel ventriculo oneri ſunt, vel
expectorationem cohibent, quorum neutrum a prae-
ſenti remedio metuendum erit. Vlcera pulmonum p. 18.
remediis balſamicis aut aliis antiphthiſicorum nomi-
ne inſignitis ſanare velle, impoſſibilis plerumque vel
ſaltem difficillima res eſt, quare nonnulli iis ſuffimi-
gia ex balſamicis ſubſtituerunt: his autem omnibus p. 22.
exhalationes in ſtabulis, pulmonibus adductae, prae-
ſtant, acrimoniam humorum temperando, gluten ad
conſolidanda vlcera ſuppeditando, fibris iuſtam fle-
xilitatem conciliando, calloſitates enatas ſenſim
emolliendo et auferendo, tuſſim leniendo et tranſpi-
rationem moderando. Siccus enim aër in genere
plus nocet eiuſmodi aegrotis, quam humidus, quod
plures iam cognouerunt. Requies etiam, qua ae- p. 27.
gros in ſtabulis detentos frui oportet, multum fuit
ad ſanandum morbum. Argumenta, quae Cl. p. 28.

CLERC huic medendi methodo oppoſuit, magni
p. 30. ponderis omnino non videntur eſſe. Regulae, quibus vtendum eſt in hac curatione, eo ſpectant. Tempora conuenientiſſima ſunt auctumnus, hyems et veris principium. Numerus animalium ſtabulo incluſorum a duobus ad ſex aſcendat in eiuſmodi loco, qui duplo eorum continendo alias capax eſſe poſſet. Optime hunc in finem thermometrum adhibetur, cuius calor ſit inter quatuordecim et ſedecim gradus. Animalium etiam ſelectus caute inſtituendus eſt, vt ſana ſint, et ſalubri victu vtantur, cui, ſi fieri poterit, herbae quaedam aromaticae, origanum, menthae ſpecies, ſaluia cet. admiſceantur, acres autem et pecoribus infeſſae plantae euitentur; idem de aquis valet. Antequam in ſtabulum ſe confert aeger, laxante potione, at ea leniſſima, vtatur ex caſſia, manna, ſyrupis, ex ſero lactis. Lectus ad vnius duorumue pedum altitudinem a ſolo collocetur. Pauco victu animali vtendum, eoque tantum ex volatilibus, et ouis, ceterum oryzae cremore, auena excorticata, halica, leguminibus, fructibus horaeis. Potus ordinarius ſit cereuiſia tenuis, cui imminuta febre ſubſtituatur vinum, aqua remixtum. Ab aromaticis, potu ſpirituoſo, concentrato potiſſimum, et coffea abſtinendum. Tempus certum praeſcribi nequit, ſed imminutio ſymptomatum de eo decidat. Lactis vſus vt in omni phthiſi ſuſpectus eſt: ſi vero illud tentare velimus, lac feminae robuſtae conuenientiſſimum videtur. Iuuabunt effectum huius remedii infuſa plantarum vulnerariarum aromaticarum, antiſcorbuticarum et Peruuiani corticis moderatus vſus.

VIII.

IOANNIS OOSTERDYK SCHACHT A. L. M. Phil. et Med. D et Profeſſor Ord. inſtitutiones medicinae practicae ad auditorum potiſſimum vſus in epitomen redactae et euulgatae. Editio Traiectina altera priori auctior. Accedit oratio: de arcanis medicorum non celandis. Traiect. ad Rhenum apud Abrah. a Paddenburg, Roeland de Meyere et Io. Schoonhouen. 1767. 4. Alph. 1. pl. 15.

Non adeo multum differre hanc elegantis et eximii libri, quem interdum ampliorem Lectores optabunt et nos quoque in votis habuimus, editionem a priori, quae prodiit ibidem 1747, inter legendum atque conferendum animaduertimus. Ordo enim rerum plane non mutatus eſt a Cl. Auctore; addita autem ſunt non raro pauca, quae partim illuſtrationi et explicationi eorum, quae iam dicta ſunt inſeruiunt, partim nouitatem diuiſionum pariter ac definitionum produnt. Finem porro prioris editionis impoſuerunt duae orationes, quarum loco in hac, quae iam a nobis cum Lectoribus communicabitur, editione, aliam, de arcanis medicorum non celandis, legimus. Quamquam vero omnia, hic propoſita, ſummam merentur attentionem et ſingulare breuitatis et perſpicuitatis monſtrant ſtudium, tamen in quibuſdam tantum ſeligendis acquieſcendum nobis eſt.

In prolegomenis proponit Noſter ordinem, ſecundum quem morbi, ab ipſo deſcripti, conſiderantur et hic ab vniuerſalibus ad particulares progreditur. Vniuerſales ſunt vel ex ſua indole febriles, vel non neceſſario febriles, particulares vero pro partis, p. 1.

quae patitur, differunt diuerſitate, quibus ſimul ab Auctore ſexus aetatisque morbi adnumerantur. Morbus eſt illa humani corporis conditio, qua fit, vt actiones ab homine exerceri ſolitae, rite exerceri nequeant. Sunt quidem morbi ſolidarum aeque, ac fluidarum partium, raro autem ſimplices, crebrius ex vtroque compoſiti. Inter alia in ſolidis reſpicit ſedulo ad irritabilitatem nimium vel non ſatis magnam, atque ſenſibilitatem deprauatam; ac in fluidis attendit ad deprauatam cohaeſionem et miſcelam partium conſtituentium, in vtroque ad aequilibrium et proportionem, inter ſolidas et fluidas ſublatam.

p. 4. Febrim primum inter vniuerſales morbos Noſter conſiderat, quam ita definit, vt ſit ea conditio, qua pulſus intra datum temporis ſpatium frequentior ſit ſimul cum quarumdam functionum laeſione. Quamquam enim in omni omnino febre pulſus naturali ſit frequentior, eius tamen natura in aucta circulatione non cernitur, quum bina haec pari paſſu non ſemper incedant, ac ſaepenumero, febre praeſente, circulatio non ſit aucta, et ipſa haec aucta circulatio effectus potius, quam cauſſa vel natura febris appellari debere videatur. Proxima febris cauſſa eſt proxima auctae in pulſu frequentiae cauſſa. Haec vero vnice eſt frequentior, intra datum temporis ſpatium, influxus ſpirituum et ſanguinis vel altervtrius liquidi in neruos eorumque origines, vaſa et cauitates cordis, varias per cauſſas internas aeque, ac externas, excitatus. Inde ſatis apte febris dici poſſet cordis morbus.

p. 6. Cauſſis, febrim efficientibus, e. gr. inflammatoria, putrida, bilioſa, atrabiliaria, pituitoſa, neruoſa, meſenterica, catharralis, purulenta, verminoſa etc., conſideratis, ad eorum effectus Noſter progreditur. Inter quos alii ſemper febrim comitantur, alii in quibusdam

busdam modo febrium ſpeciebus deprehenduntur. Prioris generis ſunt horror, calor, ſiccus primum, dein plerumque humidus; poſterioris dolor ὀϛεοκόπος; nauſea, vomitus, ſitis, ructus, flatus, exanthemata, ſudor, vigiliae, ſopor, delirium, anxietas, convulſio, mittimus alia.

Quod febrium diuiſionem ſpectat, varia enarrat p. 7.
Noſter diuidendi fundamenta. Solent nimirum diſtribui a tempore durationis in acutas et chronicas ſiue lentas; ab origine in communes vel epidemicas, et ſingulares ſeu ſporadicas; ratione cauſſarum, quas ſupra nominauimus; reſpectu temporis, quo detinent, in continuas et intermittentes. Continua febris eſt vel continens σύνοχος vel continua remittens ſeu continuata σύνεχης. Continens triplex eſt: ephemera, ſynochus non putris ſeu ephemera plurium dierum et ſynochus putris. Inflammatoria quartam forte conſtituit ſynochi ſpeciem. Synochi putridae nonnullis ſpeciebus examinatis, continuam remittentem diſpeſcit Noſter in erraticam et periodicam. Periodica eſt vel continua quotidiana vel tertiana vel quartana. Intermittentium alia ſpecies die ſeu tertio, quarto, quinto etc. redit indeque ex numero dierum nomina habet. Diuiduntur porro in ſimplices et compoſitas et quaerit Noſter: an continuae remittentes ſint intermittentes compoſitae? Aliae tandem intermittentium ſpecies in veris ſiue legitimis, aliae in ſpuriis, anomalis, nothis cernuntur. Sunt porro et multa nomina febribus, ab earum ſymptomatibus, quarum diuerſitas ſat magna eſt, proficiſcentia, quae, ſi cauſſas, quarum ſupra mentionem fecimus, ſpectemus, non ſingulare nomen merentur, ſed facile cauſſis poſſunt adnumerari. Febrim topicam dari poſſe affirmat Cl. Auctor ex vario in varia parte calore et pulſu, inflammatione partis ſine febre generali, ex effectu irritantium

 aliis-

aliisque. Omnis febris autem vel in ſanitatem, vel in mortem vel in morbum alium ſeſe terminat, id criſis in arte appellatur. Quarum ſanandarum tres habet Noſter indicationes, ac prima quidem: tollere vel infringere cauſſas febris remotas, altera mutare illam conditionem, quam remota cauſſa generavit et a qua febris proxime pendet, et tertia tollere iſta effecta, quae febrim ſequuntur, ſeu mitigare ſymptomata. Omnibus tribus indicationibus ſatisfaciendum, medicamenta caute eligenda indeque ſummum medici opus eſſe iudicium Noſter affirmat.

p. 48. Haec ſufficiant in genere de febrilibus morbis, iam ad morbos vniuerſales non neceſſario febriles tranſeamus. Scorbuto, arthritide et podagra, doloreque iſchiadico examinatis, ad rheumatiſmum venit, quem diuidit in ſcorbuticum et inflammatorium. In ſcorbutico vel nulla, vel leuior eſt febris et partes neque adeo dolent, neque nimis ſunt tumidae. Foeminis ſenibusque potius communis, quam viris et iunioribus, nec minus iis, qui cortice Peruuiano largiter vſi ſunt, maxime autem ſcorbuti labe inquinatis. Inflammatorium autem horror, rigor, calor et reliqua acutioris febris ſymptomata comitantur, inde iis ſanguis emittitur, cruſta phlogiſtica obductus. Porro rhachitidem infantes raro a natiuitate, ſed inter ſextum aetatis et quartum ac vigeſimum menſem plerumque inuadere, propter inſignem autem illius varietatem non definire poſſe, ideoque ad phaenomena varia pro diuerſa partium ſede, vt in capite, thorace, abdomine, artubusque animaduertenda eſſe, autumat.

p. 64. Inter particulares primo conſiderantur morbi capitis, quibus adnumerat ſpaſmum et conuulſionem. Inuita, violenta et morboſa muſculi, partem quandam mouentis, contractio, dicitur conuulſio, et quidem, ſi indeſinens illa fuerit, ſpaſmus, ſin alterna, motus conuulſiuus appellatur. Porro epilepſiam, quam

quam principem morborum conuulſiuorum iudicat Cl. Auctor, ita definit, vt ſit motus conuulſiuus plerorumque corporis muſculorum cum ſubito hominis in terram prolapſu, ſenſibusque tam internis, quam externis vel pro tempore plane ſublatis, vel plurimum ſaltem imminutis. Curatio eius triplex eſt: alia imminentem auertere, alia praeſentem tollere, alia nouum inſultum praecauere. Caeterum radices valerianae ſylueſtris et paeoniae inter efficaciora refert Cl. Auctor antepileptica. Affectuum ſoporoſorum quatuor conſtituit ſpecies, nempe carum, coma, lethargum et apoplexiam, quae quidem inter ſe tum intenſitate cauſſae, gradu et varietate ſymptomatum; tum etiam indole et genio cauſſae efficientis differunt.

Dum Cl. Auctor oculorum morbos pertractat, p. 102. inquirit in amauroſin ſeu guttam ſerenam, ophthalmiam, hypopium, mydriaſin ſeu nimiam pupillae anguſtiam, epiphoram. Hypopium diuidit in duas ſpecies. Vbi enim pus inter lamellas, ex quibus tunica cornea conflatur, continetur, id hypopion primi generis appellat, vel commiſtum cum humore aqueo ſub cornea haeret, id hypopion ſecundi generis nominat. Inter alia huius morbi remedia ſuadet corneae pertuſionem et quaerit: an adſtringentia tuto adhiberi queant? Ad mydriaſin curandam iuuat inprimis viuidiſſimi luminis frequens in oculum ingreſſus. Cauſſae epiphorae ſeu oculi lacrymoſi latent vel in ſanguine vel in ipſo humore lacrymoſo, vel in organo, humorem ſecernente, vel in partibus vicinis e. gr. palpebris male formatis, nec ſatis bene ſe contrahentibus, vel caruncula lacrymali deficiente vel inflammata e. ſ. p.

Progreditur Cl. Auctor ad morbos aurium, vbi p. 112. de ſurditate et graui auditu, de acuto auditu, de ſonitu, tinnitu et bombo aurium et de otalgia ſeu dolore

lore aurium agit. Surditatis et grauis auditus cauſſae cernuntur aliae in organo auditorio, aliae in medio, quod ſoni vehiculum eſt, aliae tandem in communi ſenſorio, hoc eſt, in aure, aere et cerebro. Grauior vero auditus, cuius cauſſa in aere eſt ſita, proprie huc non ſpectat, quum tum ſaepe nullus in corpore morbus ſit, vel non eſſe poſſit. Singularum partium, aurem conſtituentium, morbis examinatis, problemata varia Cl. Auctor propoſuit, quarum nonnullorum modo iniiciamus mentionem, e. gr. cur, qui a natiuitate ſurdi etiam muti ſunt? An in electriſatione et ptyaliſmo auxilium et quando?

p. 130. De angina, morbo faucium Noſter monet, eſſe eam ita definiendam, vt ſit morbus, in quo actio faucium impeditur a cauſſa, quae in iis vel prope easdem haeret. Differunt enim anginae inſigniter et a Noſtro in inflammatoriam ſeu veram, aquoſam ſeu oedematoſam ſeu catharroſam ſeu mucoſam, ſuppuratoriam, gangraenoſam, ſchirroſam, cancroſam, vlceroſam, conuulſiuam, paralyticam diuiduntur. Quin et carnoſa, polypoſa, fungoſa, calculoſaque fingi poſſent.

p. 147. Inter morbos pectoris liceat aſthma commemorare. Quod quidem malum ſi leuius, dyſpnoea: ſi grauiſſimum, orthopnoea dicitur, deſinens interdum in apnoeam vel catarrhum ſuffocatiuum. Porro peripneumoniam a vaſorum bronchialium et pulmonalium inflammatorum diuerſitate in bronchialem et pulmonalem diſpeſcit; et, cum non tantum ſanguinea, ſed et ſeroſa lymphaticaque pulmonum ſint vaſcula eaque ſimili modo inflammari queant, forte oriri poſſe, Noſter arbitratur, illum morbum, qui eryſipelas pulmonum dicitur. In medendo huic morbo, reſoluentes vapores, ore excepti egregie conducunt. Phthiſis pulmonalis eſt contabeſcentia totius corporis ab vlcere pulmonis. In confirmata

phthiſi

phthiſi ſuadet Cl. Auctor ad mitiganda ſymptomata opiata. Ad morbos cordis progrediens, ſyncopen vocat ſubitum et vix praeuiſum virium prolapſum, cum torpore, immobilitate et paralytica omnium tam vitalium, quam naturalium atque animalium muſculorum flacciditate, qui pro gradus vehementia, lipothymia, λειποψυχία, σύγκοπη, ἀσφυξία appellatur et potiſſimum in imminuta cordis cernitur contractione. Si cor, auriculae, ſinus, in maiorem molem ita dilatantur, vt naturalem magnitudinem multum excedant, malum hoc cordis, auricularum, ſinuum, aneuryſma adpellatur. Per arteriarum et venarum maiorum aneuryſmata intelligit Cl. Auctor vel earumdem in aliqua ſui parte in ſaccum quendam ampliorem expanſionem: vel et cauitatem earum, inſignem in modum auctam. Malum hoc, quamquam diutiſſime interdum fertur, praeſertim ſi tumoris parietes oſſeam, quod interdum fit, aut cartilagineam duritiem acquiſiuerunt, tamen ſemper celerrimam minatur mortem; nonnunquam autem moriuntur ex ſputo ſanguinis. Mercurialia ſaepe aneuryſmata efficiunt, ideoque iis, qui lue venerea et aneuryſmatibus ſimul laborant, vſum mercurii plane interdicit. Inter varias, quas addidit, quaeſtiones, et hae ſunt: an pulſus durus et plenus in omni aneuryſmate adſit? an pulſatio venarum iugularium continua, etiam dum aeger decumbit et nullo thoracis motu agitatur; tum et anxietas cum cordis palpitatione, pondere, pulſatione indicium eſt aneuryſmatis in dextro ſinu, auricula vel ventriculo haerentis? Tum paraphrenitidem diſquirit, nec vllam, ſi, inſtituta paracentheſi, pus non peſſimae indolis educitur, vidit Noſter rationem, cur de mundando et ſanando diaphragmatis vlcere plane deſperet. Inter morbos oeſophagi et illum conſiderat, qui a corpore peregrino, in eo infixo, oritur,

tur, quod deprimi vel educi, debet. An et hic oeſophagotomiae locus? Empyematis operationem vel in alterutro latere, ſi alterutrum pus impleuerit, vel in vtroque, ſi vtrumque, eſſe inſtituendam monet Cl. Auctor, ſed parum ſpei in poſteriori caſu ſupereſſe ei videtur. Quod ſi vero pus inter mediaſtini lamellas haeret, vnum, ſed anceps, in terebrando ſterno, cernitur auxilium. Hydropis pectoris ſigna non abſolute certa quod attinet, haec a Noſtro recenſentur; nulla antegreſſa inflammatio, erecta et difficilis reſpiratio: ponderis ad diaphragma ſenſus, tuſſicula, decubitus vt in empyemate; pedum manuumque oedematoſus tumor cito apparens, ſcroti tumor et ad eius augmentum vel decrementum, ſymptomatum decrementum vel incrementum, non longa in lecto mora, ſubita expergefactio cum ſuffocationis periculo, fluctuationis ſenſus, vrina primum alba copioſa, dein parcior et ſaturatior, pulſus inaequalis. An et praeuia intra praecordia ebullitione ſpumoſae et liquidae materiei ex ore excretio? In methodo medendi declaranda inter alia et ſetacea, per ſcrotum tranſmiſſa, nec non thoracis paracentheſin proponit.

p. 189. Iam tranſit Cl. Auctor ad morbos viſcerum abdominalium et hepatitidem in arterioſam et venoſam, porro ratione iecinoris ſuperficierum in eam, quae conuexam et eam, quae concauam illius occupat ſuperficiem, diſtinguit. Icteri cauſſas indagans, grauiditatem refert inter eas, et inter medicamenta ſuccum graminis, radicem pareirae brauae, acmellae, oleum carabes et terebinthinam laudat, nec plane ab externis reſoluentibus, incidentibus attenuantibusque vnguentis, linimentis, emplaſtris abſtinendum eſſe hortatur. Inter remedia, hydropicis adhibenda, numerat Noſter ſoldanellam, rhamnum catharticum, lapidem lazuli. Ad laeſam digeſtionem

corri-

corrigendam iuuant diaeta ſicca, frictio et mechanicus corporis motus. Vomitus diſtinguitur in idiopathicum et ſympathicum, tum et ſymptomaticum et criticum, denique a materie excreta in bilioſum, pituitoſum, atrabiliarium, cruentum. Porro quaerit: an iuſculum pulli cum trochiſcis Remich Meſuae lienteriae eſt ſpecificum? In affectione coeliaca ſeu fluore chyloſo, quae diarrhoeae ſpecies Cl. Auctori eſſe videtur, vbi chylus et feces ſimul excernuntur, purgantia caute ſunt exhibenda, ſed roborantia cum frictionibus, quae incredibilis vtilitatis plane hic eſſe a Noſtro dicuntur, propinanda. Diarrhoeae autem cauſſas quatuor recenſet, quarum prima in liquido, ad inſteſtina copioſius delato, altera in eo, quod ex acrimonia inteſtina irritat, tertia in eo, quod fibris inteſtinalibus nimiam conciliat laxitatem, et quarta in vaſis meſentericis ſeu lacteis ſiue venoſis, vel et glandularum cauis aut obſtruendis aut comprimendis cernitur. Quamquam in qualibet corporis humani cauitate aliquando inſecta verminoſa reperta ſunt, nullibi tamen frequentius, quam in inteſtinorum tractu, quorum quatuor potiſſimum ſpecies in iis nidulantur, teretes, qui conueniunt cum lumbricis terreſtribus, cucurbitini, lati et aſcarides. Inter medicamenta anthelmintica venereorum et ſuppoſitoriorum mercurialium, quae forte ad aſcarides inuitandos valent, mentio eſt facta.

In morbis partium, generationi inſeruientium, p. 256. gonorrhoeam ſimplicem, dein virulentam pertractat. Gonorrhoeam ſimplicem nominat eam, vbi verum exit ſemen, reliquae ſpecies, vbi liquores, a ſemine diuerſi, emittuntur, immerito ad gonorrhoeam referuntur. Cuius curatio cernitur in cacochymia ſeroſa corrigenda et ſolidis roborantibus tam externis, quam internis medicamentis. Gonorrhoea virulenta autem, quae luis venereae prodromus

eſt,

eſt, tantam habere Noſtro videtur cum lue ipſa affinitatem, vt alterius ſine altera indoles et cura vix recte intelligi queat. Quam ob cauſſam coniunxit vtrumque. Ac primum quidem originem huius mali dum ſpectat, vix certo poſſe cauſſa, quae primum hoc excitauit fouitque miaſma, explorari, forte vagam venerem et cum menſtruantibus coitum, cum nemo ſine contagio illo morbo decumbat, primam dediſſe occaſionem arbitratur. Veneream luem diſtinguit Cl. Auctor in haereditariam et adventitiam. Aduentitia olim, dum ferociſſime ſaeviebat hoc malum, innumeris et leuiſſimis etiam de cauſſis excitabatur, hodie inprimis congreſſu venereo et lactatione, quamquam contrectationi partium genitalium et baſiis aliquid tribui poteſt. Id autem conſtanti propemodum lege hodie obſeruatur, vt, vbi virus venereum primum eſt applicatum, ibi quoque primum eius effectus exſerat. Quale venenum ſit venereum et qualem in corpore humano, hoc eſt, vtrum in aquoſis lymphaticis, an ſeroſis, vtrum in contextu celluloſo, an in ſanguine, ſedem occupet, dictu eſt difficile. Quod ad medendi methodum attinet, nihil reliquorum medicamentorum ſine mercurio ad malum venereum eradicandum valere, conſentiente Cl. ASTRUC, perhibet.

p. 266. Inter morbos ſequioris ſexus attendit primum Cl. Auctor morbos virginum. Si nimirum in puellis debitum illud lunare non praeſtatur, retentio ſeu ſuppreſſio menſtruorum ſeu amenorrhoea illud malum nuncupatur, cuius cauſſa vel in humoribus vterinis, vel in vaſis, vel in vtroque eſt quaerenda. Varietatem cauſſae oportet ſpectare in remediis eligendis, ad quae et venaeſectio pertinet, quam, in brachio potius, quam in pede inſtituendam eſſe ſuadet. Nimii menſium fluxus autem magna adhibenda eſt cautio, ne omnis liberalioris ſanguinis e genitalibus

eua-

euacuatio, etiam in non grauidis, pro nimio menſium fluxu habeatur. Saepenumero enim a topico quodam vteri et vaginae vitio oritur. Morbos porro grauidarum in tres diſpeſcit Cl. Auctor claſſes, atque prima continet eos, qui a plethora oriuntur. Fetum, recens formatum, enim omnem illum cruorem, qui quolibet menſe alias expellitur et iam ad illius formationem adhibetur, vix abſorberi, ideoque facile plethoram exoriri poſſe putat, quae variis morbis, a grauiditate proficiſcentibus, ſuppeditat occaſionem. Sed, quum grauida adnexum ſuo corpori fetum ita habeat, vt mutua quaedam vaſorum inoſculatio dari nonnullis cenſeatur: hinc mire mutatam et a naturali ſtatu deturbatam habebit circulationem, vnde motus hyſterici et ſingularia eorundem effecta orientur, quae ergo ſecundam eorum complectuntur claſſem. Tertiam autem conſtituit inſolita fetus, aquae, ſecundinarum moles et inde nimia incredibilisque vteri dilatatio, ad quam referuntur ii morbi, qui a mutato grauitatis in praegnantibus centro pendent.

Tum Cl. Auctor tranſit ad morbos parturientium. Simulac grauidae parturientes per conditionem quandam praeternaturalem vel ſolito tardius vel maiori cum molimine fetum emittunt, partus laborioſus vel difficilis dicitur. Cuius cauſſae diuerſiſſimae, aliae in matre parturiente, aliae in fetu, per partum excludendo, conſpiciuntur. Quod ſi matri haec difficultas eſt tribuenda, vel inſtrumenta, quibus natura ad fetum excludendum vtitur, deſunt, vel in viis, e quibus expelli et per quas transmitti debet, haeret. Inſtrumenta illa ſunt conamina vel dolores ad partum, qui ſi ſpurii ſunt, vel plane deſunt, vel magnopere debiles ſunt, excludi fetus non, niſi difficillime, poterit. Caeſarea ſectio ſola medetur fetui extravterino, quam omnino ibi, vbi p. 275.

neque

neque per naturam, neque per artem educi poteſt fetus, viua etiam matre, inſtituere oportet et licet.

p. 278. Morbi puerperarum, praeter haemorrhagiam vteri, lochiorumque retentionem ſiue nimium fluxum aliosque, ſunt tormina poſt partum, quae vel ab alio fetu, vel a ſecundinis retentis, vel a ſanguine congrumato et mola, vtero inhaerente, vel a dolore tolerato violentaque partium tenſione, vel tandem a partium inflammatione, quae raro ſola tormina, ſed plerumque alium morbum producit, excitantur. Tormina, a ſanguine congrumato vel mola proficiſcentia, ſedari nec debent, nec poſſunt, niſi iisdem expulſis: ad quod ſi natura non ſufficit, embryulci manus, iniectu tepidae adiuta, concurrere debet. An per vſum remediorum illico a partu adſumtorum grumi ſanguinis praecaueri poſſunt? Non raro autem morbi puerperarum oriuntur ex lochiis, quae vel nimia, vel nimis parca, aut nulla fluunt quantitate. Nimii lochiorum fluxus cauſſae ſunt quaerendae, vel in vteri vaſis, vel in eiuſdem cauo, vel in liquido, per vaſa vterina manante. Imminutus fluxus lochiorum oritur vel ex vaſorum vterinorum ſpaſmo, vel obſtructione, vel aucta reſiſtentia et rigiditate, vel materiei verſus alia loca determinatione, vel morbi vteri topico, vel et alio, quocunque in loco, excitato. De metaſtaſi lactea, veteribus forte ignorata, recentiores, PUZOS, LEVRET, VAN SWIETEN, conſulendos eſſe, Noſter hortatur.

p. 182. Morbi vetularum plerumque a plethora proficiſcuntur. Simulac enim ex mechaniſmo naturae ille menſtruus ſanguinis fluxus primum imminuitur, dein penitus ſupprimitur in feminis, illae multis morbis exponuntur, qui a nimia collectione ſanguinis pendent et morbi vetularum a Noſtro nuncupantur. Nimirum haemorrhagiae vteri aliarumque

par-

partium, inflammationes, vlcera, ſcirrhi vteri, mammarum, eorumdem in cancros conuerſiones, aliaque mala. Quum vero non in omnibus generetur plethora aeque magna, hinc quoque in omnibus non eiusdem effectus. Iis vero, qui patiuntur, venaeſectionem ſuadet.

Etſi admodum varii, diuerſiſſimisque praediti ſymptomatibus, morbi infantibus ſunt communes, omnes tamen tam acuti, quam chronici ex his cauſſis: ex pituita nimirum, retentis fecibus, acido, dentitione difficili et vermibus, poſſunt declarari. Opiata non, niſi ſumma ſymptomatum vrgente vehementia, concedit Cl. Auctor. Nec minus in difficili dentitione, ab erupturi dentis irritatione et inflammatione in gingiuis orta, aluo aperta, ſuadet refrigerantia, lenientia, mucilaginoſa, ad gingivas applicata, hirudines pone aures, phlebotome, adtritus ad duriora corpora prudensque gingiuarum diſſectio: nec inutilis aduerſus ſpaſmos omnino ſpiritus cornu cerui, parciori doſi exhibitus. In efflorescentiis cutis, potius criticis apud infantes, quam morboſis, ſollicitiſſime vitanda ſunt externa exſiccantia. p. 283.

Finem huius libri facit oratio, in qua, arcana non eſſe celanda, oſtendit Cl. Auctor, quoniam id, cunctis officiis, quae et Deo et hominibus debemus, plane contrariatur. Non enim fama, laus, gloria, pecunia, aliaque commoda praeferenda ſunt omnium ſaluti.

IX.

IX.

Philoſophical Tranſactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies and Labours of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Vol. LVII. Part. I. II. for the Year 1767. London, printed for L. Davis and C. Reymers. 1768. 4. Alph. 3. plag. 2. tab. aen. 27.

i. e.

Tranſactiones philoſophicae, quae laborum ab eruditis in variis orbis terrarum partibus noviſſime ſuſceptorum quandam exhibent notitiam. Vol. LVII. Pars I. et II. ad annum 1767.

Pars I. p. 1. 1. *Relatio de foetu humano monſtroſo, cui deerat caput, cor, pulmones, ventriculus, lien, pancreas, hepar et renes, a Cl.* CLAUD. NICOL. LE CAT, *ex gallico idiomate tranſlata a Cl.* MICH. UNDERWOOD. Foemina peperit gemellas, primam mortuam, alteram monſtroſam, partibus inferioribus vſque ad vmbilicum bene formatis, praeter pedem ſiniſtrum, quatuor digitis inſtructum, ſuperioribus vero ſuper vmbilicum ex mera maſſa difformi compoſitis, quae in adiecta tabula aenea ab anteriore et poſteriore parte delineatur. In eius ſectione detexit Cl. Auctor octo coſtas inferiores dextras et ſeptem ſiniſtras, ſuper quas inueniebatur hydatis, in qua latebant nerui ceruicales ac rudimenta ſcapulae et clauiculae; in latere vero dextro eminebat e cute pollex dextrae manus. Aderant quoque veſtigia maxillae inferioris, laryngis et vnius oculi et cerebri vel potius cerebelli portio pollicem quadratum circiter

circiter aequans, nec non medulla ſpinalis. Thoracem replebat, loco cordis et pulmonum, ſubſtantia parenchymatoſa et oedematoſa; in abdomine haerebant inteſtina, quibus deerat ventriculus, duodenum et ieiunum; loco hepatis conſpiciebatur viſcus rubrum, quod ren vel glandula ſuprarenalis eſſe videbatur; anus non perforatus erat. Inteſtina excrementa griſei coloris, nullum vero meconium continebant. Diſquiſiuit deinde Auctor Cl. organa circulationis huius monſtri, eaque, icone adiecta, illuſtrauit, ex qua patet, venam vmbilicalem in aortam continuatam fuiſſe, quae in ſuperiorem inferioremque ramum mox diuidebatur. Trunci venae cauae origo eiusque cum aortae vel eius ramis anaſtomoſis, diſſectione non commode detegi potuit. Interim vel ex iis, quae vidit Cl. Auctor, probari poſſe autumat, veram omnino circulationem ſanguinis inter fetum et matrem locum habere, fetumque non alimento, ore ſumto, nutriri. Caetera, quae ex parua copia cerebri Cl. LE CAT concludit, cum hypotheſes tantum ſint, omittimus.

2) *Litterae ad Cl.* WATSON, *quae continent deſcriptionem trium ſimplicium medicamentorum, quorum mentionem fecerunt medici Arabes in libello, transmiſſo ex Aleppo et translato ex lingua arabica a Cl.* I. CHANNING. Haec tria medicamenta hic deſcripta ſunt 1) *Tabashir*, ſiue ſpecies arundinis Indicae; 2) *Mamitha*, ſiue ſpecies glaucii DIOSCORIDIS, qua vtuntur incolae in morbis oculorum; 3) *Mameraan*, ſiue ſpecies chelidonii. p. 21.

3) *Generalis conſideratio curuae, ortae in plano, quod vmbrae, a ſphaeroide depreſſa proiectae, axin ad angulos rectos ſecat, in litteris, ad Societatem Regiam datis, a Cl.* GEORGE WITCHELL. p. 28.

p. 44. 4) *Tentamen de cauſſis diluuii vniuerſalis*, *a Cl.* EDWARD KING. Credit Cl. Auctor, initio orbis terrarum adfuiſſe aequalem relationem maris ac terrae, vti et nunc ſit, atque tum ſenſim obtectum fuiſſe fundum maris variis conchis heterogeneisque corporibus, ac ſimul, ineunte creatione, progignitos fuiſſe ignes ſubterraneos, in viſceribus terrae latentes, eosque, tempore deſtinato, maxima ac ſubitanea vi ſub mare prorupuiſſe, fundum oceani eleuaſſe, terram continentem vndis obtexiſſe, eamque in mare mutaſſe, et ipſum fundum maris poſt diluuium in terram continentem atque ſiccam mutatum, in eoque ſtatu permanſum eſſe.

p. 58. 5) *Tentamen explicationis generationis ſpatorum et cryſtallorum.* Auctore EODEM. Cryſtallos cuiuscunque generis, quae in cauernis montium vel lapidum reperiuntur, oriri putat ex particulis quarzoſis vel ſimilibus, in montis vel lapidis ſubſtantia deliteſcentibus, ab aqua, montem vel lapidem penetrante, ſolutis et ad cauitatem delatis, in qua, ſalium ad inſtar, cryſtalliſantur. Augentur magnitudine, ſi plures accedunt partes, quando ſuperficies priorum cryſtallorum adhuc mollis eſt. Quo maiores poros aqua penetrat, eo impuriores ſunt cryſtalli. Salinae indolis partes eſſe, ex quibus cryſtalli conflantur, Auctor Cl. putat, optatque, vt accuratiora examina chemica cum his et ſimilibus corporibus inſtituantur.

p. 65. 6) *Experimenta cum camphora inſtituta a Cl.* ALEXANDER, *Chirurgo Edinburgenſi.* Vt diſquireret Cl. Auctor, vtrum camphora, interne ſumta, calefaceret, an refrigeraret corpus, ſumſit eius ſcrupulum vnum in pulpa tamarindorum. Poſt viginti vero minutas calor ſcrobiculi cordis, a quo antea mercurius

in

in thermometro Fahrenheitiano, per quinque minutas applicato, ad 18 gradus adſcenderat, minime auctus eſt, ſed, cum antea in vna minuta 68 ictus arteriae numeraſſet, nunc tantum 66 percipiebat et poſt tres quartas horae partes tantum 65, ſub eodem gradu caloris corporis. Altero die, cum thermometrum 19 gradus caloris indicabat et, arteria in vna minuta ſeptuageſies ſepties pulſabat, ſumſit Cl. Auctor ſcrupulos duos camphorae in ſyrupo roſarum, ac ſtatim ſenſit ſaporem acrem ingratum; poſt 10 minutas mercurius tantum ad 18 gradus caloris adſcendit et arteria tantum ſeptuagies in vna minuta pulſauit; poſt 25 minutas gradus caloris idem erat, ſed arteria rurſus ſeptuaginta ſepties pulſabat; paulo poſt acceſſit vertigo, perturbatio ſenſuum, cephalalgia, nauſea, delirium, conuulſiones cum ſpuma oris, ſequebantur deinde animi deliquia et arteria centies in vna minuta pulſabat. Aeger immiſit poſtea manus ac pedes aquae frigidae, qua tremor totius corporis et calor inſignis mitigabantur, deinde hauſit aquam calidam et euomuit magnam partem camphorae, nondum ſolutae; ſumto poſtea ſucco citri et aurantiorum, ſenſim redierunt ſenſus interni et reliqua ſymptomata ceſſarunt. Altero die poſt placidum ſomnum, ſenſit magnam corporis defatigationem et alui obſtructionem, tertio vero die plane conualuit.

7) *Deſcriptio inſecti cuiusdam aquatici in palude* p. 72. *prope Noruicum vernali tempore* a. 1762 *inuenti.* Auctore Cl. E. KING. Licet Cl. Auctor inſectum hoc nouum plane, et a nemine adhuc obſeruatum eſſe autumet, ex deſcriptione tamen et icone apparet, illud ad monoculorum genus pertinere, aut plane non diuerſum eſſe ab eo, quod Cl. SCHAEFFERO *apus piſciformis* audit et ab eo ſingulari libel-

lo Norimbergae 1752 edito, deſcriptum eſt (*) LINNAEUS illud ad *cancros* retulit et cancrum (*ſtagnalem*) macrourum, articularem, manibus adactylis, pedibus patentibus, cauda cylindrica bifida vocat, licet ſuſpicetur, illud forte laruam cuiusdam ephemerae eſſe, quod tamen nec SCHAEFFERUS, nec KINGIUS obſeruarunt.

p. 65. 8) *Relatio de hominibus proceritatis eximiae, viſis prope fretum Magellanicum anno 1764 ab iis, qui in naue bellica,* delphinus *dicta, erant, praefecto Ill.* BYRON; *in litteris Cl.* CHARLES CLARKE *ad Cl.* MATY. Gigantes illi, de quorum exiſtentia tantae lites motae ſunt, nunc a fide digniſſimis teſtibus viſi, colore erant cupreo, pilis longis nigris, ſtatura corporis 9 pedum longitudine, robuſtiſſima, maxime proportionata; foeminae 8 circiter pedum longitudinem aequabant. Equi eorum robuſti quidem, ſed parui erant.

p. 80. 9) *Litterae a Cl.* WILLIAM SHARP *ad Cl.* JAMES PARSONS, *quae continent relationem de machina recens inuenta, fractis cruribus applicanda.* Conſiſtit ex duabus ferulis, e charta conglutinata craſſiori compoſitis, quarum inferior ſiue ea, quae exteriori lateri cruris applicatur, atque *fibularis* dici poſſet, interius concaua, exterius conuexa eſt, longitudine 18 poll. latitudine $2\frac{3}{4}$ poll. Huic tres loricae adnexae ſunt, quae, foraminulis pertuſae, crus circumdant. Ad malleum vero foramen magnum irregulare relinquitur. Inferius ad partem ferulae, quae pedem extremum ſuſtinet, alia lorica pertinet, quae pedem cingit et ducta per trochleam alterius ferulae internae, ſiue tibialis, quae tribus globulis, ad affigendas loricas aptis, inſtructa eſt, ad eius

(*) Vid. Comment. Vol. II. p. 360.

eius globulum inferiorem appenditur. Hac machina, in icone adiecta, delineata, quae faſcia firmatur, feliciter vſus eſt in variis fracturis cruris, et ſimplicibus, et complicatis. In repoſitione oſſium fractorum non vulgari modo extenſionem pedis dolorificam et difficilem adhibet, ſed aegro, in ſitu horizontali in illud latus collocato, in quo crus fractum eſt, pedem verſus abdomen ita flectit, vt extenſores relaxentur muſculi, ſub quo ſitu extremitates oſſis fracti facillime in priſtinum ſitum reponi poſſunt. In eodem quoque ſitu eum per reliquum curationis tempus ſeruat, nec capſa PETITI opus eſſe aſſerit. Idem quoque ſitus in fractura femoris adhiberi poteſt.

10) *Relatio de ſpaſmo maxillae et paralyſi, ope electrica curatis*, *a Cl.* EDWARD SPRY *in litteris ad Cl.* CHARLES MORTON *datis.* Virgo 18 annorum a terrore incidit in motus conuulſiuos, ſenſimque maxilla ſpaſmo clauſa eſt, acciditque paralyſis lateris dextri ſub coxa. Omnibus remediis iam fruſtra tentatis, Cl. Auctor tandem applicauit cruri paralytico vim electricam, cuius ope in ſex dierum tempore aegra rurſus hoc vti poterat, applicatis poſtea ictibus electricis ori, linguae, temporibus, mento, iisque ſenſim auctis, tandem intra quatuordecim dies vſum maxillae ac linguae recuperauit et plane conualuit. p. 88.

11) *Experimenta, inſtituta cum aqua, quae* Londini *in loco*, Rathbone-Place *dicto, hauritur, a Cl.* HENRY CAVENDISH. Per experimenta, hic deſcripta cognouit Cl. Auctor, menſuram anglicam (*pint*) ſiue 7315 grana huius aquae continere 1) $\frac{2}{10}$ gr. ſalis volatilis alcalini; 2) $8\frac{4}{10}$ gr. terrae, cuius parua pars ex magneſia conſtat, reliqua e terra p. 92.

 calca-

calcarea; 3) tantum aeris fixi, quantum continetur in $19\frac{8}{10}$ gr. terrae calcareae; 4) $1\frac{2}{10}$ gr. ſelenitidis; 5) $7\frac{2}{10}$ gr. mixturae ſalis marini et Epſonienſis, ac ſummam partium ſolidarum, in vna menſura contentarum, $27\frac{1}{2}$ gr. ſiſtere.

p. 108. 12) *Deſcriptio meteori, quod viſum eſt Oxoniae d. 12. oct. 1766, in litteris a Cl.* JOHN SWINTON *ad Cl.* CHARLES MORTON *datis.*

p. 111. 13) *Obſeruationes nonnullae de examinibus culicum, inprimis de illo, quod Oxoniae die 20 auguſti 1766 viſum eſt; in litteris Cl.* JOHN SWINTON *ad Cl.* CHARLES MORTON. Hoc anno inſignis culicum quantitas aderat, vt ſaepe aerem obſcurarent, ac morſu inflammationes excitarent. Inprimis vero obſeruauit Cl. Auctor, die 20 aug. in horto culices in ſex columnis a ſex ramis mali adſcendiſſe ad altitudinem 50–60 pedum; duae harum columnarum erant perpendiculares, tres obliquae et vna formam pyramidalem ſiſtebat. Quam quidem rem inprimis hanc ob cauſſam commemorat, quod nemo adhuc zoologorum obſeruauit, culices ad tantam altitudinem adſcendere poſſe.

p. 114. 14) *Deſcriptio andrachnes cum charactere eius botanico.* Auctore Cl. G. D. EHRET. Frutex paruus quatuor pedum altitudine, ramis ſparſis, cortice vernali tempore ſubuiridi, fuſco, verſus hiemem in rubrum mutato, folia petiolata, oblonga, leuiter ſerrata, quatuor pollicum longitudine, duorum cum ſemiſſe latitudine habet. Rarior hic frutex primum in Anglia floruit in horto Cl. FOTHERGILL et racemum, ex ſpicis minoribus congeſtum, floribus albis copioſis ornatum, produxit; ramuli ſpicarum et florum pedunculi filamentis conſiti ſunt. *Arbutus* andrachne

ne, *fruteſcens, ſpica erecta, foliis ouatis integris et ſerratis, bacca tuberculoſa, polyſperma*, dicitur et partes floris et fructus, a latere rami, egregia icone expreſſi, ſeparatim delineantur. Calix eſt paruus, quinquifidus; corolla monopetala, vrceolaris, margine quinque dentato; nectaria decem exigua; ſtamina decem; ouarium ſiue germen ſubgloboſum, piloſum, ſtylo ſimplici, ſtigmate ſubrotundo longitudine corollae, fructus bacca globoſa, tuberculata. Haec ex fructu ſicco, quem Cl. A. RUSSEL Aleppo miſit, delineata eſt. Ab arbuto *vnedo* vix differre videtur, etſi quaedam folia non adeo ſerrata ſunt. Refert etiam Cl. Auctor, eſſe vnam ex illis, quas Cl. GORDON ex ſeminibus Aleppo miſſis, anno 1754 obtinuerat. Planta flores aeſtate 1765 emiſit et, per hiemem leuiter tecta, maio ſequentis anni fructus oſtendit.

15) *Hiſtoria fetus, qui natus eſt cum encephalo minus perfecto; cui additur ſupplementum tentaminis de vſu gangliorum, publicati in actis philoſophicis anno 1764, a* Cl. JAMES JOHNSTON. Erat puella iuſto tempore nata, cui deerat totum cranium, eiusque baſin obtegebat membrana carnea; in fouea baſeos haerebat encephalon magnitudine nucis auellanae; oculi perfecti, neruus vero opticus vt et medulla ſpinalis nimis tenues erant. Viſcera thoracis et abdominis perfecta, atque cor valde robuſtum erat, nec vlla pars deerat, praeter cerebrum. Ante partum mortuus erat hic fetus, pulmones enim in aqua ſubſidebant. Plura exempla eiusmodi fetuum, ex diverſis Auctoribus collecta, hic affert Cl. Auctor atque hinc concludit, hos fetus ſemper ſtatim poſt partum mori, cum irritabilitas cordis tantum a calore matris in illis ſuſtineatur; neruum intercoſtalem inprimis e medulla ſpinali originem ducere; irritabilitatem cordis ſine influxu neruorum capitis pendere

p. 118

 a neruo

a neruo intercoſtali eiusque gangliis et medulla ſpinali. Alias *) iam publicarat, ganglia praeſertim ſita eſſe in neruis intercoſtalibus et aliis, qui muſculos, quorum motus inuoluntarius eſt, ingrediuntur, eaque rarius inueniri in neruis muſculorum, ad motum voluntarium aptorum, ac nunquam in neruis ſenſoriis, ideoque ope gangliorum motum cordis, inteſtinorum et vueae ſemper inuoluntarium fieri. Refutat itaque argumenta, huic doctrinae oppoſita, hoc modo. Contra primam oppoſitionem: *quemlibet neruum ſpinalem habere ganglion vnum, ac interdum vnum vel duo inueniri ad ſubdiuiſiones paris quinti neruorum:* ita ſe defendit; ganglia nimirum haec non ad neruos ſpinales, ſed ad intercoſtales pertinere, atque ex his proficiſci ſurculos ad neruos magnos ſympathicos; deinde legem naturae perpetuam, qua omnes partes gangliis inſtruantur, quarum motus a voluntate noſtra non pendeat, rarius eae, quae ab hac pendeant, nec vnquam nerui ſenſorii, gangliorum vſum peculiarem ſatis declarare. Ganglia vero ramorum nerui paris quinti non perpetuo adſunt **), et ſi quoque adeſſent, tamen cum hi rami ad glandulas ſaliuales et mucoſas, circa linguam, palatum, pharyngem, nareſque ſitas, diſtribuantur, ſecretioni glandularum inſeruire videntur. Ad oppoſitionem ſecundam: *a neruis intercoſtalibus mitti ramos et ad partes voluntati noſtrae obnoxias, v.c. ad pharyngem ac diaphragma, et ad cor ac inteſtina, illi minime ſubiecta,* reſpondet, motum pharyngis et diaphragmatis mixti generis

*) Vid. Philoſ. Transactions Vol. LIV. for the Year 1764. p. 177 ſqq. et Commentar. hor. Vol. XIV. p. 315.

**) Agitur inprimis hic de ganglio rami palatini ſecundi rami quinti paris, quod Cel. MECKELIUS in *Mem. de Berlin* T. VII. p. 85 etc. deſcripſit. vid. Comm. noſtr. Vol. I. Part. III. p. 399. Monet autem Ill. HALLERUS hoc non ſemper reperiri. *Elem. Phyſ.* T. IV. p. 213. Maxillare vero et lenticulare ſemper adſunt.

generis et modo voluntarium, modo inuoluntarium eſſe, ac muſculos, quorum motus eiuſmodi generis eſt, neruos duplicis generis habere, tales ſcilicet, qui gangliis careant et voluntati obediant, ac tales, qui gangliis inſtruantur, et motus inuoluntarios excitent. Contra obiectionem tertiam: *ſi ganglia cohibeant communicationem ſenſorii communis et partium, quarum nerui a gangliis proficiſcuntur, ſequitur, his non ſolum motus harum partium inuoluntarios reddi, ſed ipſas etiam has partes inſenſibiles fieri:* haec proponit. Inteſtinorum, quibus ganglia neruos exhibeant, ſenſilitatem maximam contrarium docere. Etenim credit Cl. Auctor, interruptam directionem paralelam filamentorum neruoſorum in gangliis ſenſationes harum partium, quibus ganglia neruos mittunt, magis quidem confuſas ac minus determinatas reddere, quam in aliis partibus, has vero partes minime hinc plane inſenſibiles fieri; membra enim paralytica, quae a voluntate moueri non poſſint, ſaepe ex ſtimulo dolorifico vel ex pathemate vehementiori contra voluntatem moueri. Varias denique partes, vt pulmones, hepar, lien, quae a gangliis neruos accipiunt, ſenſum tantum confuſum habere, multas obſeruationes declarare. Obiectioni quartae: *quilibet muſculus ad voluntatem agens, contra hanc agit, ſi vehementer ſtimulatur, v. g. acceleratores vrinae ad voluntatem expellunt vrinam, contra hanc vero ſemen:* ſic reſpondet, vt concedat quidem, animum in vehementioribus pathematibus perdere imperium in corpus, hinc tamen non concludendum eſſe putat, ſtimulos, qui afficiant cor, inteſtina, aliasque partes, quarum motus inuoluntarii ſint, ac vix ab animo percipiantur, ſimilem habere effectum. Oppoſitionem tandem quintam: *quamquam motus vueae eſt inuoluntarius a luce irruente, is tamen voluntarius redditur, dum vuea contrahitur ad diſtinguendum*

obiectum oculo propius applicatum, cuius minimas partes vix accurate obſeruamus, ſic vincere annititur Cl. Auctor. Etenim hae contractiones vueae ei potius inuoluntariae videntur, ab impreſſione variorum graduum lucis pendentes. Sunt itaque ganglia quaſi parua cerebra ſiue germina neruorum, ex mixta ſubſtantia corticali et medullari, quae vaſis ſanguiferis nutritur, compoſita, vbi varia neruoſa filamenta colliguntur; atque ex his gangliis oriuntur nerui, qui ad organa mittuntur, quorum motus inuoluntarius eſt, atque cauſſam exhibent, qua impeditur voluntas noſtra, quo minus ad haec organa extendatur. Limitatur itaque facultas arbitraria animi in oeconomia animali per ganglia.

p. 132. 16) *Cl.* IOH. WINTHROP *cogitata de cometis; communicata a Cl.* BENIAMIN FRANKLIN.

p. 155. 17) *Tentamen determinandi vltimos fines Indiae Orientalis veteribus cognitae*, Auctore Cl. JOHN CAVERHILL.

p. 179. 18) *Dimenſio diſtantiae ſolis a terra*, Auctore Cl. S. HORSLEY.

p. 186. 19) *Deſcriptio apparatus ad inſtituenda experimenta electrica commodioris, quo vis electrica auctior, experimentator ab omnibus fortuitis ictibus tutior reddatur, et omnia in hoc experimentorum genere felicius ſuccedant, ſuppeditata a Cl.* C. L'EPINASSE.

p. 192. 20) *Epiſtolae duae* Ill. WILLIAM HAMILTON *ad Ill. Comitem* MORTON, *in quibus relatio de eruptione Veſuuii* (d. 28 mart. 1766) continetur.

p. 201. 21) *Excerptum ex litteris Cl.* JOHN HOWARD *ad Cl.* WILLIAM WATSON, *ſiſtens nonnullas obſeruatio-*

ſeruationes de calore thermarum Bathonienſium. Gradus caloris in balneo regio (*Kings-Bath*) et calido (*hot-Bath*) ad 113 gr. thermometri Fahrenheitiani adſcendit.

22) *Obſeruationes de calore thermarum Bathonienſium et Briſtolienſium, a Cl.* JOHN CANTON. Calorem ſummum thermarum Bathonienſium 114½ gr. aequare refert. Briſtolienſium 76 gradus thermometri Fahrenheitiani. p. 203.

23) *Litterae* Cl. DAINES BARRINGTON *ad* Cl. WATSON *de piſcibus ſingularibus in* Wallia *reperiundis.* In lacu quodam, *Llyn Raithlyn* dicto, in comitatu *Merionethienſi* Walliae ſito, *percae* reperiuntur *percae fluuiatili* in omnibus ſimiles, niſi quod corpore gibbo, ſpina incurua et cauda bifurcata quaſi ſint. Similem *perca fluuiatilis* varietatem in ſtagnis Fahlunenſibus reperiri LINNAEUS iam adnotauit. Truttae quoque ſimilis varietas in riuulo aliquo Walliae reperitur. In alio lacu omnes piſces vno oculo carere, Noſtro relatum eſt. p. 204.

24) *Obſeruatio eclipſis ſolaris die quinto auguſti anno 1766 in inſula* New-found-land *inſtituta a Cl.* JAMES COOK, *vna cum determinatione longitudinis loci, in quo inſtituta eſt; communicata a Cl.* I. BEVIS. p. 215.

25) *Litterae ad Cl.* DACOSTA *a Cl.* WILLIAM MARTIN *datae, quae excerpta ex litteris filii ſui* FLEMING MARTIN, *Bengala, de calore eius climatis* d. 1 oct. 1765 *ſcriptis, continent.* Tanto aerem in regionibus Bengalenſibus calore hoc anno excanduiſſe, notat Cl. Auctor, inprimis menſe iunio, vt mercurius in thermometris exquiſitis raro p. 217.

infra

infra 98° depreſſus, et per aliquot diei horas ad 104.° eleuatus obſeruaretur. Quae enim de calore, ad 120° adſcendente, monet, incertis obſeruationibus nituntur. Quare, niſi ſequente menſe iulio vt plurimum paulo remiſſior calor ſuccederet, maxima inde ſtrages hominum eſſet verenda, cum intenſus calor iunii adeo noxius ſanitati ſit, vt multi ex maligna putridaque febre ſubito concidant. Eam praeterea tempeſtatis huius regionis reliquis menſibus rationem eſſe obſeruat, vt hominum, etiam optima ſanitate praeditorum, vires breui proſternantur.

p. 221. 26) *Experimenta cum cortice Peruuiano inſtituta a Cl.* THOMAS PERCIVAL. Vndecim inſtituit Cl. Auctor experimenta, quorum praecipua hic adnotabimus. Vnciam vnam corticis Peruuiani, groſſo modo contuſi, diuiſit in duas partes, ac alteram infudit aqua fontana frigida per 48 horas, alteram coctioni ad lenem ignem per 40 minuta ſubiecit, donec tertia pars euaporata erat, deinde vtrumque linteo percolauit. Quatuor grana ſalis martis in vncia vna aquae fontanae diſſoluit, eiusque drachmam vnam ad vnciam ſemis vtriusque liquoris addidit, vnde vterque accepit colorem fuſco-purpureum, inprimis infuſum, atque corticis Peruuiani odorem et ſaporem retinuit. Aequalem partem reſidui vtriusque coxit in aqua fontana per 20 minuta ad ignem lenem, vtrique deinde admiſcuit ſolutionem martialem, qua vtrumque decoctum accepit colorem fuſcum chocoladae ſimilem. Vtrumque reſiduum per 40 horas liquore, *rum Iamaicenſe* dicto, infuſum eſt et admixta ſolutione martiali colorem nigro-brunum accepit. Porro vnciam dimidiam pulueris corticis Peruuiani cum vncia vna aquae fontanae frigidae bene in mortario triturauit Cl. Auctor, poſtea, decantato liquore puro, denuo

ac

ac ſaepius addidit aquam, atque tam diu triturauit, donec intra 34 horas vnciae ſex aquae pulueri admixtae erant, quam mixturam deinde per 14 horas ſine calore infudit et colauit; hoc infuſum fortius erat infuſo ac decocto ſuperius commemorato et colorem multo nigriorem ab admixta ſolutione martiali accepit. Diſquiſiuit deinde efficaciam comparatiuam extracti corticis Peruuiani, decocti eius, infuſi frigidi, tincturae et infuſi, trituratione parati, atque cuilibet adiecit ſolutionem martialem, qua vltimum colorem nigerrimum accepit. Infudit deinde vnciam dimidiam pulueris corticis Peruuiani in vnciis quinque aquae fontanae et vncia vna aceti vini per 48 horas ad ignem, idque ſaepe conquaſſauit, deinde filtrauit; liquor acetum vix ſapore, attamen odore prodidit et, addita ſolutione martiali, leui colore nigro tinctus eſt. Corticis Peruuiani puluis cum calce viua mixtus, aqua infuſus et filtratus, odorem plane amiſit, nec a ſolutione martiali eius color mutatus eſt. Ex his concludit Cl. Auctor, decoctum corticis Peruuiani ſemper eſſe minus efficax, cum reſina ſeparetur a gummi. Huic praeferendum eſt infuſum, ac magis tinctura, quae tamen ob indolem calidam non ſufficienter adhiberi poteſt; commendat itaque infuſum melius applicandum, quod parat ex corticis Peruuiani pulueris vncia vna, corticis aurantiorum inciſi vncia dimidia, aquae cinnamomi ſimpl. vnciis duodecim, aquae cinnam. ſpir. vnciis duabus, quae in vaſe clauſo per ſeſquidiem ſine calore infundantur et colentur.

27) *Diſquiſitio de probabili parallaxi ac magnitudine ſtellarum fixarum, ex quantitate luminis, quod ad nos transmittunt, ac ſingulari earum ſitu a Cl.* JOHN MICHELL. p. 234.

28) Ob-

Pars II. p. 265. 28) *Obſeruationes thermometricae* Derby *factae, a* Cl. JOHN WHITEHURST, *communicatae a* Cl. CHARLES MORTON.

p. 266. 29) *Tentamen interpretandi inſcriptionem nummi peculiaris Phoenicenſis, nondum hucuſque explicatam; in litteris Cl.* JOHN SWINTON *ad Ill. Comitem* DE MORTON.

p. 280. 30) *Adnotationes de diuerſis relationibus ſuper foecunditate piſcium exhibitis, cum nouis obſeruationibus ſuper hac re inſtitutis.* Auctore Cl. THOMAS HARMES, communicatae a Cl. S. CLARK. Cum Auctores in numero ouorum, quae vna eademque ſpecies piſcis cuiusdam continet, inſigniter differant, minuta calculatione Auctor Cl. in hanc rem inquiſiuit. Nonnullae piſcium ſpecies oua ſua non vno die, ſed diverſo tempore deponunt, quapropter oua diuerſae magnitudinis in iis reperiuntur. Hoc in *gaſteroſteo* inprimis, *tinca, ſcombro* et *cyprino* Cl. Auctor obſeruauit, atque forte cauſſa eſt differentiae in numeris ouorum, quae apud varios Auctores occurrit. Non ſuperuacaneum eſſe putamus, ſi ſequentem tabulam, quae ſummam obſeruationum Auctoris noſtri continet, adiiciamus.

Nomina piſcium.	Pondus ouorum.	Numerus ouorum.	Dies obſeruationis.
Cyprinus carpio	2571 grana.	203109	d. 4 april.
Gadus morrhua	12540 -	3686760	d. 23 dec.
Pleuronectes fleſus	2200 -	1357400	d. 14 mart.
Clupea harrengus	480 -	36960	d. 25 oct.
Scomber ſcomber	$1223\frac{1}{2}$ -	546681	d. 18 iun.
Perca fluuiatilis	$765\frac{1}{2}$ -	28323	d. 5 april.
Eſox lucius	$5100\frac{1}{2}$ -	49304	d. 25 apr.
Cyprinus rutilus	361 -	81586	d. 2 mai.
Salmo eperlanus	$149\frac{1}{2}$ -	38278	d. 21 mart.
Pleuronectes ſolea	$542\frac{1}{2}$ -	100362	d. 13 iun.

Pondus

Pondus *ſcombri*, in quo obſeruatio inſtituta eſt, duodeuiginti vncias aequabat; *pleuronectis fleſi* viginti quatuor vncias et drachmas quatuor; *pleuronectis ſoleae* quatuordecim vncias et octo drachmas; *gadi* autem *morrhuae*, qui omnes piſces, quos Cl. Auctor examinauit, ſuperat foecunditate, pondus non indicatum eſt.

31) *Relatio de hydroenterocele, quae ſimulabat hydroſarcocelen, ac tandem lethalis erat, in qua inteſtinum ex herniae ſacco in ſaccum hydroceles peruenerat, ibique erat incarceratum; communicata a* Cl. LE CAT *in litteris ad* Cl. CHARLES MORTON, *translata a* I. O. JUSTAMOND. Vir ſexaginta quinque annorum hernia laborabat incarcerata et vomitu; cum tumor mollis videretur, ac digitus annulo immitti poſſet, inferiusque hydrocele pellucida eſſet et in baſi ſcirrhus tangeretur: Cl. Auctor minime ſuſpicabatur herniam incarceratam et aeger periit ex debilitate. In eius diſſectione ſaccus herniae incidebatur, ac apparuit larga inteſtini portio flaccida, cuius inſignis pars in ſaccum hydroceles tunicae vaginalis teſticuli detruſa erat, quae quidem res notatu digniſſima hic icone illuſtratur. p. 293.

32) *Nouorum quorundam in re electrica experimentorum ſpecimen, quod regiae Londinenſi ſocietati mittebat die 26 aprilis 1766* Cl. IOAN. BAPTISTA BECCARIA, *communicatum a* Cl. M. MATY. p. 297.

33) *Specimen hiſtoriae naturalis Volgenſis*, Auctore I. R. FORSTER. Fragmenta ſunt hiſtoriae naturalis regionis inter gradum quinquaginta duo et quadraginta octo latitudinis borealis ex vtraque ripa fluminis Volgae ſitae, quae Cl. Auctor, qui certe ſingulari ſtudio et amore hiſtoriae naturalis incenſus p. 312.

eſſe videtur, intra paucos menſes a menſe ſcilicet maio ad initium ſeptembris 1765 collegit, ex quibus
p. 315. ſequentia enarraſſe ſufficiat. Deſcribit primum ea, quae ad minerale regnum pertinent. In medio vaſti deſerti trans Volgam campus, in longum centum et quadraginta, in latum quinquaginta milliaribus Anglicis patens, totus ſabulo, particulis minoribus ſpathi, quarzi et micae compoſito, coopertus eſt. In littore Volgae Orientali ne paruae quidem molis lapis, exceptis tophaceis quibusdam concretionibus, ad plura milliaria reperitur, terrae ſuperficie pratis vndique tecta; cum tamen in Occidentali littore montes ſint, lapidibus diuites. Ingentem ſalis copiam maximae imperii Ruſſici parti ſufficientem, lacus ſalſus, *Yelton* a Ruſſis dictus, praebet, trans Volgam ſitus. Aqua coloris rubicundi eſt, ab argilla e montibus defluente, quatuor tantum pedum profunditatem habet, ſub qua ſtrata ſalis tres circiter pollices craſſa, ad inſignem altitudinem reperiuntur. Hunc ſalem ferreorum inſtrumentorum ope accolae, lintribus in altum Anglicum circiter milliare a littore euecti, ſeparant et ſalem in littus vehunt, ibidemque aquae lacuſtris ope eluunt. Quotannis ad centum et viginti millena millia librarum ſalis eruuntur et in Imperatricis Ruſſicae horrea deuehuntur, ex quibus per omne imperium Ruſſicum diſtribuitur. Inter ſtrata ſalis paſſim ingens copia ſalis mirabilis reperitur et licet id aquae ope a ſale culinari ſeparetur, tamen ſemper aliqua eius portio remanet, quae efficit, vt hoc ſale minus bene in aſpergendis carnibus vti poſ-
p. 321. ſint. In vrbe Saratouia fontes ſunt ſaporis ſtyptici, quos chemice Noſter diſquiſiuit, reperitque ſaporem hunc ex aliqua aluminis portione, quae huic aquae ineſt, pendere. Minera ferri cauernoſa, cuius quadraginta librae ſedecim libras ferri dant optimi, et quae ſcoriae magis, quam ferri ſimilis eſt, facillime lique-

ſcit,

ſcit, in ſuperficie terrae copioſiſſimae plurimis in locis reperitur et cum ignem iam paſſa ſit, forte a monte igniuomo olim eructata eſt. Plantas, quas p. 323. collegit Auctor Cl., fere omnes infortunio aliquo amiſit. *Salicornia caule geniculato* et alia, quae *caule tereti ſine geniculis* eſt, ab Auctore Cl. accuratius in loco natali examinatae, duo ſtamina et vnicum ſtylum habent, ideoque a ſpeciebus, huc vſque deſcriptis, differunt. In *veronica incana* folia ſuperiora ſeſſilia et integerrima inferiora et radicalia crenata et petiolata ſunt. *Onoſma ſimpliciſſima* antheras ſagittatas connatas habet. *Verbaſcum phoeniceum* floribus odoratiſſimis ſuperbit. *Spiraea crenata* ſiue *tatarica* folia ouato oblonga, alia apice crenata, alia integerrima et corymbum terminalem habet. *Sidam* quoque deſcribit Auctor Cl., quae ei noua eſſe videtur. *Morus tatarica* in inſulis Volgae et in omnibus inſulis Tanais ab oſtio eius ad Tzarizinum vſque reperitur, bombycesque eius foliis nutriti, ſericum optimum producunt. Ope pulueris *veratri albi*, quod vulneribus in tergo boum inſpergitur, oeſtrus expellitur. *Marſileam natantem* deſcribit, quam ideo curatius paullo examinauit, quo deſiderio Ill. LINNAEI ſatisfaciat, qui genus *Marſileae* determinare promiſit, ſi haec ſpecies examinata fuerit. Ex regno tandem animali p. 341. adnotamus *canem vertagum*, hic et in omni Ruſſia pedibus durioribus ſubuilloſis inſtructum, hincque adaptatum eſſe regionibus, niuibus hieme obtectis, ideoque et tum ad venationem adhiberi poſſe, quando reliqui vertagi nil proficiunt. *Khalmyccici equi* triduo ad 400 milliaria Anglica curſu perficiunt, *Tſchercaſſici* vero curſu omnium velociſſimi et laboris feraciſſimi triduo, vltra 500 imo 600 milliaria Anglica perficiunt. Omittimus ea, quae in reliquis animalium claſſibus notatu digna ſunt, inter quae inprimis eſt deſcriptio variarum ſpecierum, quae ad *acipenſeris* genus referuntur.

p. 358. 34) *De problemate quodam algebraico, deque euolutione mechanicae cuiuſdam curuae inter infinitas hypermechanicas, quae determinatae aequationi ſatisfaciunt,* Auctore *Cl.* PIO FANTONI, *communicauit Ill.* HORACE MANN.

p. 372. 35) *Diſſertatio de maxime lucroſa rotarum vi aquae motarum fabrica, a Cl.* MALLET, *communicata a Cl.* MATY, *e Gallica lingua translata a Cl.* I. BEVIS.

p. 389. 36) *Noua methodus conſtruendi ſolaria pro quavis data loci latitudine horologia, ſine ſcalis gnomonicis atque calculo trigonometrico, auctore Cl.* JAMES FERGUSON.

p. 394. 37) *De origine inſularum, a Cl.* ALEXANDER DALRYMPLE, *communicauit Cl.* CH. MORTON. Diſquiritur hic inprimis origo inſularum humilium et planarum Oceani, praeſertim maris Mediterranei. Hae inſulae in genere ſunt longae, anguſtae, ac formantur ab Iſthmo anguſto, in cuius media parte mare includitur, cum portu quodam vel introitu. Formantur, ſi vndis tempore tempeſtatum coaceruantur ſtrata corallina cum arena copioſa, quae, ſi tantam attigerint altitudinem, vt ab vndis communibus vix tangi poſſint, tum oritur inſula ac mutatur in domicilium auium, atque humus ſenſim vegetatur a ſeminibus, radicibus et ramis, fortuite allatis.

p. 398. 38) *Tentamen determinandi athmoſphaerae ſolaris altitudinem, ex altitudine macularum ſolarium, in ſolis ſuperficie conſpicuarum, ad Cl.* I. ELLICOT *transſcriptum a Cl.* HORSELEY.

p. 402. 39) *Eclipſis ſolis die 16 auguſti 1765 Cadomi Normandiae a Cl.* NATHANAEL PIGOTT *obſeruata et a Cl.* I. BEVIS *communicata.*

40) *Ex-*

40) *Excerptum epiſtolae* Cl. JOHN ELLIS adp. 404.
Ill. LINNAEUM *de animali natura illius generis zoophytorum, quod* corallinae *nomen gerit. Corallinas* non zoophytis adnumerandas, quod ELLISIUS et LINNAEUS Viri Cl. docuerunt, ſed inter vegetabilia collocandas eſſe, Cl. BASTERUS *) olim et nuper Cl. PALLAS in *elencho zoophytorum* **) probare anniſi ſunt. Contra hos hoc commentario inſurgit ELLISIUS, et neſcimus, quam ob cauſſam forte iuſto acrius contrariae ſententiae defenſores p. 418.
ita refellit, vt doceat, eodem modo, vt *ſertulariae* et *eſcharae* genera, ita etiam *corallinas* animalis proſapiae eſſe. Monet vero primum contra Cl. PALLAS, *corallinam pauoniam* eiuſdem non ad *corallinas* pertinere, ſed *fucis* inſerendam eſſe, vti a LINNAEO Cel. iam factum eſt, arcusque transuerſos in ea deprehendendos, quos Cl. PALLAS ſeminiferos dixit, non calcareae indolis eſſe. Deinde probat et, adiectis iconibus elegantiſſimis, confirmat, corallinas ſtructura ſua ad varia alia zoophytorum genera accedere, quod Cl. PALLAS negauit, atque v. c. *corallinam officinalem* cum *millepora calcarea: corallinam roſariam* et *corallinam incraſſatam* ELLISII cum *millepora truncata* cet. conuenire. Porro experimentis chemicis, a Cl. WOULFE inſtitutis contra MARSIGLIUM ***), et, qui huic fidem habuit, Cl. PALLAS oſtendit, oleum animale et ſal alcalinum volatile omnino, deſtillatione inſtituta, ex corallinis educi poſſe, cum Cl. WOULFE e duodecim vnciis *corallinae officinalis* vnciam fere vnam cum ſemiſſe ſpiritus et ſalis alcalini obtinuerit. Minutiem pororum et defectum obſeruationum, quibus polyporum in corallinis prae-

 ſentia

*) Philoſ. Tranſact. Vol. LII. p. 111. et Comment. noſtr. Vol. XII. p. 709.
**) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 154.
***) Hiſt. mar. p. 78.

ſentia demonſtrata ſit, nil probare, cum polypi accuratioribus examinibus forte detegi poſſint, nec in poris habitent, ſed tota corallina vnum et integrum animal ſeu planta animata ſit. Tandem ad *corallinam terreſtrem* Cl. PALLAS, quam Cl. MEESE, vti alio loco monuimus *), in Friſiae ericetis inuenit, accedit, atque probat, illam non eſſe plantam, ſed e mari, quod Belgiam olim obtegit, aduentitiam eſſe, idque, quod Cl. PALLAS, vt fructificationes, deſcribit, ramos eſſe imperfectos. Neque noduli et tubercula, ſeminulum continentia, quae in *corallinis* reperiuntur, botanicis haec corpora relinquenda eſſe, docent, cum alias *ſertulariae*, *cellulariaeque* variae et *millepora calcarea* atque *agariciformis*, in quibus ſimilia ouaria reperiuntur, etiam e zoophytorum numero excludendae eſſent. In adiecta tabula aenea *millepora truncata*, *corallium lichenoides*, *corallina officinalis*, *millepora calcarea*, *corallina roſarium* (barbata PALL.?) *corallina incraſſata* et *corallina terreſtris* atque ſtructura horum zoophytorum delineatur.

p. 421. In ſupplemento, commentario huic adnexo, Cl. ELLISIUS contra BASTERUM Virum Cl. inprimis diſputat, qui corallinas conferuis adnumerandas eſſe, aſſerit. Dicit vero ELLISIUS *conferuam:* plantam, cui ſunt filamenta articulata, vel ſimplicia vel ramoſa, fructificationes, vario modo diſpoſitas, habentia; *corallinam* vero animal habitu plantae creſcens, cuius ſtirps fixa e tubis capillaribus, per cruſtam calcaream poroſam ſeſe exſerentibus, compoſita eſt: rami vero articulati ſemper ramuloſi vel diuaricati liberi vel conglutinati et connexi ſunt. Si corallina acido liquori immittitur, cruſta calcarea ſecedit, cum conferua ab acido liquore nullam mutationem ſubit. His praemiſſis, ELLISIUS fructificationem *conferuarum* deſcribit, oſtenditque *conferuam polymorpham* et

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 154.

et *plumoſam* ad *dioecia* pertinere, cum in vna plantula flores maſculi, vero in alia capſulae feminiferae repe-riantur. Addit deſcriptionem fructificationis in *conferua floſculoſa*, quae flores pedunculatos habet, *geniculata*, *plumula*, cuius ſemina pulpa includuntur, et *ciliata*, eaque omnia elegantiſſimis figuris illuſtrat.

41) *Deſcriptio actiniae ſociatae ſeu floris animalis racemoſi* (cluſtered animal-flower) *repertae, nuper in oris maritimis inſularum vltima pace ab Anglis in America acquiſitarum* (new ceded Islands) *in litteris Cl.* ELLIS *ad Ill. Comitem* HILSBOROUGH. Haec actiniae ſpecies duo genera ſatis a ſe inuicem remota *actiniae* ſcilicet, quae ad *molluſca* a LINNAEO refertur, et *hydrae*, quae ad *zoophyta* eiusdem Auctoris pertinet, coniungit. *Actiniae* autem LINNAEI ſiue *meduſae* veterum, quae a ſcriptoribus Anglis *flores animales* (animal flowers) dicuntur, cum figura et colorum varietate variis floribus v. c. diantho, anemone cet. ſimiles ſint, dicuntur animalia ex molluſcorum ordine, quae corpore ſunt hemiſphaerico aut cylindrico, aut quod ficus formam habet. Subſtantia eorum differt. Alia enim gelatinoſa magis ſunt, alia carnoſa. Omnia vero facultate loco motiua gaudent et in rupibus, aqua marina fere ſemper tectis, quibus baſi affiguntur, ex vno loco ſe in alium, licet lente, mouere poſſunt. Os terminale habent, illudque vnica eorum apertura eſt, quae dentibus ſiue vngulis carnoſis varii coloris munitur. Per hoc os adſumunt animalia, quibus veſcuntur, cancros ſcilicet et aſtacos minores, atque poſteaquam nutrientes ſuccos exſuxerunt, per hanc ipſam quoque aperturam reliqua reiiciunt, per quam etiam fetus, vngulis iam munitos, pariunt *). His de *actiniis* p. 428.

 eorum-

*) Species nonnullas, in Angliae oris maritimis repe-riundas,

eorumque fabrica in vniuerſum praemiſſis, Cl. ELLIS *hydras* LINNAEI ſiue *polypos aquarum dulcium*, a TREMBLEYO primum accuratius examinatas, breuiter deſcribit, quo nouae *actiniae* ſpeciei conuenientia cum iis magis pateat; quam vero deſcriptionem cum ſingulares animalium horum proprietates ſatis notae ſint, hic praetermittimus. Iam vero quod nouam *actiniae* ſpeciem, hic deſcriptam, attinet, ea ex pluribus animalibus ita compoſita eſt, vt conſtet corporibus pluribus tubuloſis, ſuperius in bulbum intumeſcentibus, in quorum ſummitate os eſt, vna vel duabus ſeriebus tentaculorum vel vngularum circumdatum; inferius autem haec corpora inter ſe conneƈtuntur tubo muſculoſo et rugoſo, radicis repentis aut flabellorum inſtar, qui rupi firmiter adhaeret et plures tubulos laterales ſimiles emittit, ex quibus alia animalia ſimilia, in racemos colleƈta, naſcuntur. Diſſeƈto animale, apparet, ab ore tubum aliquem deſcendere ad ventriculum vſque, ex quo oƈto inteſtinula oriuntur, flaueſcente ſubſtantia repleta, quae arcuum inſtar reflexa, ad inferiorem finem et tandem ad radicem vſque deſcendunt, et per eam ad fetus vſque vicinos protenduntur. Hinc probabile eſt, per hos canales ad naſcitura noua animalia a priore nutrimentum deferri, vſque dum fetus illi perfeƈti ſint et tentacula, quibus ipſi ſibi prouidere poſſint, habeant. Praeterea tendines plures in quouis animali inueniuntur, qui tentaculis mouendis inſeruiunt et etiam ad radicem et per illam ad vicinum fetum porriguntur. Similem fere fabricam compoſitam ex pluribus animalculis, quae radice

riundas, Cl. GAERTNER in Tranſaƈt. Phil. Vol. LII. p. 75. deſcripſit, quarum tamen Ill. LINNAEUS in ſyſtemate nullam mentionem fecit, tertia vero GAERTNERI ſpecies vti Cl. ELLIS monet ad *holothuria* LINN. pertinet.

ce aliqua repente, noua animalcula emittente, inter ſe communicant, in *ſertularia vniflora* et *cellularia anguina* detegere poſſumus, cum contra alia v. c. *ſertularia pumila* et *cellularia burſaria* animalia noua, ramorum inſtar, emittant. Quae ſi attentius conſiderantur, omnino probant, illas zoophytorum deſcriptiones, quibus illa cum vegetabilibus comparantur, minime veritati conſentaneas eſſe, cum in noſtro animale, in floribus ſic dictis, os tentaculis, quae tendinibus reguntur, inſtructum, ventriculus et inteſtina reperiantur, quae, ſi ad alia zoophyta, quibuscum ratione creſcendi maxime conuenit, applicantur, omnia haec corpora animalibus adnumeranda eſſe, oſtendunt. In figuris additis, praeter *actiniam ſociatam* etiam *actiniae* aliae: *actinia aſter* ſcilicet, *actinia anemone* et *actinia helianthus*, omnes ex inſulis Americae ſupra commemoratis, allatae, *actinia* porro *dianthus* ex Anglico littore et *ſertulariae cellulariaeque*, quarum ſuperius mentionem fecimus, eleganter delineatae ſunt.

42) *Litterae* Cl. EDWARD WORTLEY MONTAGUE *ad* Cl. W. WATSON, *in quibus obſeruationes nonnullae circa eam Columnam Aegyptiacam, quae vulgo a* POMPEIO *nominatur, continentur.* p. 438.

43) *Excerptum ex litteris Cl.* W. WATSON *die 14 febr. 1767 ſcriptis ad Cl.* JOHN HUXHAM, *concernens frigus eius hiemis.* Poſt temperatiores aliquot annorum hiemes, notat Cl. Auctor, ingruiſſe viceſimo ianuarii anni 1767 eiusmodi frigoris vim, qualem, exceptis annis 1717 et 1722, aegre aliquis in Anglia vnquam expertus eſt. Londini quale fuerat, ex obſeruationibus, exquiſitis thermometris inſtitutis atque a Cl. Auctore recenſitis, perſpici poteſt; obſeruationes vero thermometricae in aliis p. 443.

 extra

extra hanc metropolin inſtitutae indicant, illud multo in illis acrius ſaeuiiſſe. De quo, vt tanto accuratius iudicium ferri et cum frigore aliorum annorum ac locorum comparari poſſit, adiectus eſt index obſeruationum meteorologicarum, Plymouthi ac in noſocomio, huic loco propinquo, magna cura inſtitutarum.

p. 451. 44) *Deſcriptio electrometri excogitati a Cl.* LANE, *vna cum recenſione quorundam experimentorum, ope eius factorum, in litteris ad Cl.* BENIAMIN FRANKLIN.

p. 461. 45) *Cl.* THOM. HEBERDEN *annotatio de annuis incolarum in inſula Madera incrementis ac per mortem decrementis.* Incrementa annua incolarum huius inſulae ac decrementa, cum nulli fere aut pauciſſimi aduenae extranei in illa ſedem figant, nec eius incolae in alias regiones migrent, omnium aptiſſima ad conſtruendas tabulas natales ac mortuales, ex quarum conſtructione HALLEYUS aliique inclaruerunt, iudicat Cl. Auctor. Conſtituta itaque hypotheſi, per regulas in hoc arithmetices genere vſitatas eiuſmodi tabulae ſpecimen Cl. Auctor exhibet. Numerus incolarum ad 64614 adſcendit, cum anno 1747 circa 53057 tantum adfuerint. Ab anno 1759 ad annum 1766 numerus natorum eſt 17611, mortuorum 10351: hinc incrementum ſingulorum annorum, ſi medius numerus ſumitur, eſt 907$\frac{4}{8}$. Proportio natorum ad ſummam incolarum eſt, vt 1 ad 29,35: denatorum, vti 1 ad 49,89. Proportio puerorum natorum ad puellas, vti 100 ad 96, 39.

p. 464. 46) *Relatio de nonnullis permagnis dentibus foſſilibus, repertis in America ſeptentrionali, ac deſcriptis a Cl.* PETER COLLINSON. Erant adducti ex America

rica prope flumen *Ohio*, vbi copioſe inueniuntur haec oſſa in loco, *linctorio* dicto, quem damae ac bubali frequentant, ad lambendam terram ac ſalem ſalinarum, quibus abundat haec regio. Praeter plura vero elephantum oſſa (numerus enim ſceletorum, quae in profunditate pedum ſex inueniuntur ad triginta adſcendit) inprimis dentes laniarii longitudine ſex pedum, minime vero molares ibi inueniuntur. Cum vero America non elephantes alat, putat Cl. Auctor, tempore diluuii horum ſceleta per vndas ac ventos hic adducta fuiſſe, ibique, regreſſis aquis, permanſiſſe.

47) *Continuatio praecedentis relationis, de dentibus permagnis foſſilibus, a Cl.* P. COLLINSON. Concedit quidem Cl. Auctor, dentes laniarios, ſuperius deſcriptos, eſſe veros dentes elephantum, attamen molares, ſimul miſſos, minime conuenire cum molaribus elephantum aſſerit. Concludit itaque, vel inueniri ſpeciem peculiarem elephantis nondum cognitam, vel ibi adeſſe ſceleta animalis permagni, dentibus laniariis inſtructi, qui elephantum dentibus laniariis ſimiles ſint, ſed dentibus molaribus largioribus, huic ipſi propriis, praediti. Eiuſmodi dentes, quorum pondus quatuor libras aequat, adiecta icone, delineantur. p. 468.

48) *Catalogus quinquaginta plantarum horti Chelſeani ſocietati regiae exhibitarum a ſocietate pharmacopoeorum a Cl.* WILLIAM HUDSON. p. 470.

49) *Relatio de nonnullis ſalibus mediis, cum acido vegetabili atque ſale ſuccini paratis, qua declaratur, acida vegetabilia inter ſe differre; atque ſal ſuccini acidum eſſe ſui generis, nec conuenire cum acido ſalis marini vel vitrioli, vti plures Auctores chemici contendunt.* p. 479.

Auctore Cl. DONALD MONRO. Cum Chemici vulgo doceant, omnia acida vegetabilia vnius fere eiuſdemque eſſe naturae, Cl. vero Auctor experimentis ſuis *) cognouerit, ſalia media, diuerſorum horum acidorum ope parata, inter ſe maxime differre, acida quoque haec, quoad eſſentiam, diuerſa eſſe con-
p. 484. cludit. Experimenta vero, hic relata, ita proponit, vt primo enarret ea, quae cum ſalibus natiuis vegetabilibus acidis, ſucco ſcilicet duarum ſpecierum citri, aurantiorum, perſicorum, groſſulariae, pomorum, ſale acetoſellae, ſucco tamarindorum, prunorum, mororum et vuarum, baſi alcalina ſalis ſodae vnitis, inſtituit. Obtinuit vero in omnibus his experimentis ſalia media, quoad figuram et guſtum, plane a ſe
p. 498. inuicem diuerſa. Secunda ſectione ſalia media ex acidis vegetabilibus fermentatis et alcali minerali paratis, deſcribuntur. Sunt vero illa acida, acetum vini vulgare et deſtillatum, cryſtalli tartari, atque ſuc-
p. 504. ci pomorum et pyrorum fermentati. Tertia ſectione de ſalibus mediis ex acidis vegetabilibus deſtillatis et alcali minerali oriundis agit. Acida, quae ad haec experimenta adhibuit, ſunt ſpiritus acidi ligni
p. 507. guaiaci, ligni abietis et mellis. Quarta ſectione tandem flores gummi benzoës, ſal acidum, cum oleoſa atque pauca ſubſtantia terreſtri mixtum, eſſe, oſtendit, ex eius cum ſolutione alcali foſſilis efferueſcentia. Obtinuit ex hac mixtione ſal medium peculiaris ſpeciei, plane ab alia, quae, floribus benzoës cum ſale ammoniaco volatili coniunctis, oriebatur, diuerſam.

*) Excitatus eſt ad haec tentamina, inprimis experimento aliquo a Cl. VOGEL, Profeſſore Gottingenſi in inſtitutionibus chemiae §. 469 relato. Refert enim ille, quod ſi ſali polychreſto Seignettiano decoctum tamarindorum adiiciatur, tunc ſal illud medium in ſuas partes conſtitutiuas ſeparari, ita vt ſoda ſe tamarindorum adſociet acido, cremor vero tartari ſeparetur et in fundum vaſis deferatur.

ſam. Sal quoque ſuccini acidum ſui generis eſſe, quod Cl. STOCKAR DE NEUFORN *) iam docuit, ex diuerſis ſalibus mediis, quae ex commixtione eius cum alcali minerali et alcali volatili obtinuit, probat. Ex his vero omnibus concludit, quodlibet acidum vegetabile peculiarem habere indolem ipſi propriam. Cum vero tanta ſit ſalium mediorum, ex coniunctione horum acidorum cum baſi alcalina ortorum, varietas, ita illa omnia a ſe inuicem diſtinguit, vt ea, quae ex acido vegetabili et alcali vegetabili compoſita ſint, nominet *ſalia vegetabilia;* quae cum alcali foſſili *ſalia neutra;* quae cum alcali volatili *ſalia ammoniacalia;* vt ita v. c. tres ſalium ſpecies, cum vno eodemque acido paratae, nominibus diuerſis diſtingui poſſint. Cum autem tota haec theoria adhuc a perfectione ſua remota ſit, et ampliſſimus hac in re campus pateat, vlterioribus experimentis plura momenta Auctor Cl. proponit, ad quae illi, qui hac in re vlterius progredi volunt, attendi debeant.

50) *Experimenta circa deſtillationem acidorum, alcalium volatilium* etc. *quibus demonſtratur, qua ratione illa ſine iactura condenſari et ſimul vapores ingrati ac noxii caueri poſſint.* In litteris Cl. PETR. WOULFE ad Cl. IOHN ELLIS. Noua hac deſtillationis methodo vapores per tubum vitreum anguſtum in aquam ducuntur, a qua recipiuntur. Siſtit vero apparatus, hic delineatus, retortam cum vaſe recipiente, cuius fundus tubulo inſtructus eſt, per quem liquor deſtillatus in vitrum adhaerens ducitur. Aliam vero hoc vas habet aperturam lateralem, cui ope ſuberis perforati tubulus curuus inſeritur, cuius extrema pars fundum vaſis aqua repleti tangit, in cuius vaſis p. 517.

*) Vide diſſert. inaug. de ſuccino, Lugd. Bat. 1760. Comment. noſtr. Vol. X. p. 40.

vaſis orificium tranſit per ſuber foramine pertuſum, neque glutine obductum. Vapores itaque aquam tranſeunt, et aër elaſticus per orificium, in ſubere relictum, auolat. Quanta afferat haec methodus, ad varias deſtillationes vario modo applicata, commoda, experimenta, hic deſcripta, probant. Vſus vero ea eſt Cl. Auctor in deſtillatione ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua, ſpiritus ſalis ope acidi vitrioli, ſpiritus nitri, et rectificatione olei vitrioli, phoſphori et liquoris anodyni etc. in quibus experimentis omnibus longe maiorem copiam ſpiritus obtinuit, quam in deſtillationibus, vulgari methodo inſtitutis, obtinere ſolemus. His experimentis variae aliae obſeruationes et nonnulla experimenta adnexa ſunt, quae ſub prioribus experimentis ſimul inſtituta ſunt. Prima ex iis eſt obſeruatio de calore, per vapores ſpiritus ſalis in variis fluidis, per quae tranſierunt, excitato. Circa reabſorptionem aëris in deſtillatione notat, in omnibus deſtillationibus aliquam copiam aëris elaſtici in initio liberam fieri, quae vero ſub progreſſu deſtillationis iterum abſorbetur. Naphtham ſalis marini, ex vaporum acidi huius cum vaporibus ſpiritus vini combinatione, obtinuit, ope apparatus, fuſius hic deſcripti, in quo vapores per ſpiritum vini condenſantur *). Aether, hac methodo paratus, licet non acidus ſit, tamen, ſi cum aqua miſcetur, vehementer efferueſcit. Naphtham quoque nitri per deſtillationem quandam, in qua ignis nullus adhibetur, praeparauit, vaporibus ſcilicet, ex commixtione ſpiritus nitri cum ſpiritu vini adſcendentibus, ſuſceptis et ope ſpiritus vini condenſatis.

*) Similis fere, ſed longe perfectior eſt haec methodus ea, quam Cl. BAUMÉ adhibuit, qui tamen vapores non perfecte condenſare potuit. Vide *Diſſertation ſur l'aether* par Mr. BAUMÉ, Paris 1757. 12. vid. Comm. noſtr. Vol. VIII. p. 116.

X.

X.

Diſſertatio medico-chirurgica de vtero ſecundinas expellente. Auctore IO. CARL GEHLER, M. D. Reſp. *Guil. Io. Frid. Heinigke.* Sectio prior theoretica. Lipſ. 1765. 4. pl. 3½.

Moleſtiae, de quibus feminae poſt partum, ob nimis violenter ab obſtetricibus ſuſceptam extractionem ſecundinarum, ſaepe conqueruntur; variorum Auctorum, in vtramque partem hac de re prolatae, ſententiae; Auctoris Cl. attenta obſeruatio in arte obſtetricia exercenda, ei occaſionem praebuerunt, diſquirendi, vtrum ſecundinae arte ſint extrahendae, an earum expulſio naturae ſit committenda. Quae itaque propoſuit hac de re duabus diſſertationibus, breuiter nunc indicaturi ſumus.

In vteri fabricam inquirens, veterum et inprimis GALENI ſententiam de vteri fibris muſcularibus defendit Cl. Auctor, aſſeritque, vterum omnino eſſe muſcularis ſtructurae, indeque cauum appellat muſculum, BOERHAAVIO praeeunte, licet diſſentiant plerique recentiores, qui ſubſtantiam vteri pulpoſam, vel fungoſam, vel ſpongioſam eſſe contendunt. Per ſecundinas intelligit, membranas, fetum cingentes, placentam vterinam et funiculum vmbilicalem. Connectuntur ſecundinae cum vtero ita, vt ouulum in vteri cauitate per omnem grauiditatem firmetur, in partu vero ſeparetur, quae adhaeſio tam chorii, quam placentae ope, fit, quam forte ſurculi vaſorum, prominentiae, ſinus ſeu cauernulae, rugaeque vteri, a Cl. LEVRET criſtae dictae, iuuant; negat tamen cum Viris Cll. RUISCHIO, SMELLIE, ROEDERERO et LEVRETO horum vaſorum cum ipſis vaſis vteri anaſtomoſes. Progreditur nunc ad partus mechaniſmum

p. 5. p. 9. p. 16.

niſmum declarandum, cauſſamque eius, conſentien-
tibus plurimis phyſiologis, vteri irritabilitati fibrisque
muſcularibus adſcribit. Qualiscunque itaque cauſſa
ſit, quae vterum irritat, vera enim nos latet, ea efficit,
vt vterus irritatus ſe contrahat, fundus vero et cer-
vix, alterno modo agentes, omnia, quae inſunt, ex-
p. 17. pellant. Moleſtam ſenſationem, quam parturiens
ſub doloribus ad partum percipit, non contractioni-
bus fibrarum muſcularium, ſed potius reſiſtentiae,
quae vtero in partu, vel a fetu, vel a placenta fit et
neruorum in ipſa vteri ſubſtantia deliteſcentium
p. 19. compreſſioni tribuit. Cum vero interdum ſecundi-
nae per aliquod tempus in vtero remaneant, firmio-
rem placentae adhaeſionem examinat: quod phae-
nomenon in duplex genus diſtinguit; et primo pla-
centam accretam conſiderat Cl. Auctor, vbi, reiectis
plurimorum ſententiis, SIMSONI cauſſam adhae-
ſionis pro vera habet, qui in ſeparatione placentae
varios proceſſus, ex ſuperficie placentae in vteri
ſinus intrantes, protraxit; additque debilitatem vteri
interdum cauſſam retentionis ſecundinarum eſſe;
deinde ad reſiſtentiam attendit, quae, ex variis cauſ-
ſis orta, impedit, quo minus placenta expelli poſſit,
p. 22. indeque ſaepiſſime artis auxilium poſtulet. His per-
penſis, ad noxas, a placenta remanente metuendas,
progreditur Noſter, quarum aliae a placenta, arctius
adhaerente, aliae a ſoluta quidem, retenta tamen in
vtero, producuntur. Incommoda primi generis ſunt,
haemorrhagiae, impeditus lochiorum fluxus, atque
putredo ipſius placentae; damna ſecundi generis
ſunt, orificii vterini ſubitanea conſtrictio, quae tamen
facile tolli poteſt; debilitas vteri, a contractionibus
nimiis orta, quae orificio denuo dilatando non par eſt
et inde expulſionem placentae impedit, vnde obtura-
tio orificii et haemorrhagiae oriuntur, eo periculoſio-
p. 25. res, quo occultiores in ipſum vteri cauum fiunt. Cum
itaque

itaque placenta, in vtero retenta ac tam varia profert, incommoda, putarunt obſtetricantes, citiſſime ſecundinas poſt partum remouendas eſſe; ex quo quidem varii iterum morbi in parturientibus oriri ſolent; ſi inprimis nimis feſtinanter nimisque violenter extractio inſtituatur. Tunc enim facillime vel funiculum attrahendo, vel manu in vterum immiſſa, haud raro vterum inuertunt, qui, niſi ſtatim reponitur, cito inflammatur et in gangraenam abit; vel prolapſum vteri efficiunt; vel ſi loco placentae vterum arripiunt, facile ille laeditur et inflammatur, ſcirrhoſusque, vel carcinomaticus fit; feminae de inſigni dolore conqueruntur, atque ſaepe febres miliares, letales haemorrhagiae et mors ipſa oriuntur. Ex his concludit Cl. Auctor, hanc expulſionem potius naturae officio, niſi ſumma vrgeat neceſſitas, committendam eſſe.

XI.

Diſſertatio medico-chirurgica de vtero ſecundinas expellente. Auctore IO. CARL GEHLER, M. D. Reſp. *Carol. Aug. Seiler.* Sectio poſterior practica. Lipſ. 1767. 4. pl. 3½.

Poſtquam in priori huius diſſertationis ſectione Cl. Auctor nexum ſecundinarum cum vtero ita comparatum eſſe oſtenderit, vt vterus vi propria ſecundinas ob muſculoſam eius fabricam expellere non ſolum poſſit, ſed et, vt experientia teſtatur, quaeuis corpora peregrina expellere, ſumma vi nitatur, noxasque varias conſiderauit, quas placenta, in vtero relicta aut vi extracta, puerperis excitare poſſet, in altera ſectione nunc diſquirit ſententias variorum Auctorum, in vtramque partem prolatas, quid in quouis

caſu

caſu ſuſcipiendum, quaenam methodus placentam extrahendi optima, et quid de medicamentis hic adhibendis ſentiendum ſit, exponens. Quod, quomodo tractauerit, breuiter indicabimus.

p. 5. Inter Auctores medii aeui, qui, arte placentam eſſe extrahendam, ſtatuerunt, praecipue nominat Cl. MAURICEAU et MOWBRAY, qui, antequam ligetur et abſcindatur funiculus vmbilicalis, ſecundinas eſſe extrahendas autumant, et Cl. DEVENTER, qui poſt abſciſſum funiculum ſtatim extrahere eas praecipit. Quibus ex noſtris varii, inprimis THEBESIUS, GÜNTZIUS et HARTRAMFTIUS aſſentiunt, excepto Auctore Cl., qui, non rudi et praematura encheireſi obſtetricum turbandum eſſe opus naturae putat, ſuffultus veterum et variorum recentiorum ſcriptorum ſententiis: confirmatusque multiplici hac in re experientia.

p. 8. Quamuis vero horum clariſſimorum virorum opiniones ſibi contrariari videantur, tamen eas inter
p. 12. ſe poſſe conciliari, oſtendit Noſter, dum probat, dari omnino ſigna, quae interdum absque mora ſecundinas eſſe remouendas indicent, in aliis vero partus ſpeciebus ſpontaneam earum expulſionem ſine vllo periculo eſſe expectandam. Vbi nempe vires vitae adhuc videmus ſuperſtites, quod ex contractionibus vteri poſt partum apparet; ibi certe expulſio ſecundinarum vtero relinquenda eſt, qua in re potiſſimum ab. HARTRAMFTIO differt Cl. Auctor, qui tunc arte expellendas eſſe eas, docet.

p. 15. Duo vero inprimis momenta conſiderat Noſter, quae extractionem earum, ab obſtetrice praeſtandam, requirunt: quorum primum eſt, quaeuis inſignior haemorrhagia, quae vel fetus excluſionem antecedit, vel comitatur, vel ſequitur: Alterum conſtituunt conuulſiui in partu motus, vel a plethora, vel a neruorum debilitate et irritatione pendentes,

tes. His addit quasdam encheireſes, quibus opus p. 19.
eſt, ne feminae ſub ipſa extractione laedantur.
Conſiderat primo eam ſpeciem extractionis, quae
fit funiculum trahendo, vbi, reiecta opinione vario-
rum de duplici ligatura funiculi, vna tantum opus
eſſe, ac eam methodum obſtetricibus etiam peritiſſimis
interdicendam eſſe, cum maxima inde oriantur in-
commoda, demonſtrat. Commendat potius vbique, p. 20.
ſi ſpontanea expulſio expectari nequit, ſequentem
methodum, a multis laudatam, qua manus in vte-
rum, hiantem adhuc poſt partum, immittitur, digitis-
que inter placentam et vterum poſitis, huius cum
iſta nexus leni encheireſi ſoluitur et tunc protrahi-
tur; obſtetrices vero monet, ne vim in ipſa opera-
tione adhibeant, cum exinde vterus laedi et femi-
nae multa experiri incommoda poſſint. Addit va- p. 24.
rias cautiones, in operatione obſeruandas; nec a
re alienum eſſe putauit, quaedam de abortiui fetus
placenta, certe difficilius ſoluenda, diſputare: cuius
difficultatis duas principes cauſſas conſiderat, angu-
ſtiam ſcilicet vteri, inprimis ceruicis et teneritatem p. 26.
inſignem funiculi: rationem auxilii ferendi diuidit
ſecundum duplicem modum, quo euenire ſolet ab-
ortus; alius cum haemorrhagia, alius ſine ea fit; in
hac ſpecie naturae committenda eſt expulſio; in illa,
methodo Cl. LEVRET, absque mora orificium vte-
ri vno aut pluribus digitis aperiendum et placenta
deglubenda eſt; ſi hoc ob ſtricturam difficile fit,
LEVRETUS iniectiones emollientes ex aqua al-
theae, in qua pauxillum ardentis camphorae extin-
ctum fuerit, RECOLINUS vero aquam ſimplicem,
ſuadent. Forcipulae paruae LEVRETI pro arri-
pienda placenta ex noſtri Auctoris ſententia digiti
praeferendi ſunt. Quod medicamenta attinet, quae
ad expellendam placentam a multis commendantur, p. 30.
plane reiicienda ſunt ea, quae a feminis ſuperſtitio-

ſis adhibentur, vt lapis aetites, talus leporinus cet. ac melius eſt, quaedam exhibere, quae ſpeciem potius medicamentorum habent; v. c. aquas deſtillatas pulegii, verbenae, cet. Specificis, ſecundinas pellentibus, cuius generis eſt borax, fidendum non eſt. Aromatica et ſpirituoſa, prudenter adhibenda ſunt, cum maxima ſanguinis profluuia excitant. Enemata, ex aqua tepida ſeu calida, nullis aliis additis pharmacis, ſuperant ea ex aceto, ſpiritu vini cet. parata. Summam vero antiſpaſmodicorum, vt caſtorei vel ipſius opii cum nitro vtilitatem laudat, ſi a medicis rationalibus pro cauſſae diuerſitate adhibeantur; id quod experientia Noſtrum docuit.

XII.

Alchymiſtiſche Briefe, von dem Verfaſſer der chymiſchen Verſuche zur nähern Erkänntniß des ungelöſchten Kalks etc. an den Herausgeber gegenwärtiger Briefe. Hannover, gedruckt bey H. E. C. Schlüter. 1767. 4. 8 *Bogen.*

h. e.

Litterae alchemicae, ab Auctore experimentorum chemicorum accuratiori calcis viuae cet. cognitioni inſeruientium, ad editorem harum litterarum.

Editor huius libelli, vt ex praefatione patet, eſt Cl. ANDREAE, pharmacopoeus Hanoueranus, qui, vt certo ſcimus, non ſolum in arte pharmaceutica, ſed et in re chemica exercitatiſſimus eſt et cum b. MEYERO eruditas de rebus chemicis communicavit litteras. Sex tantum hic legimus epiſtolas, ita tamen conſcriptas, vt nullo modo cum nugis plerorumque ſcriptorum alchemicorum comparandae, ſed potius magni omnino aeſtimandae ſint.

In

In epiſtola prima Cl. MEYER, Cl. CONSTANTINI, M. D. meminit, qui in oppidulo, *Melle* dicto, non procul ab Oſnabrugo, artem medicam dextre exercuit, inque arte chemica, teſte MEYERO, verſatiſſimus fuit. Laudatus iſte vir Cl. MEYERO proceſſum communicauit, in quo aurum per artem produci poſſe, oſtendit. Commiſcuit nimirum vnciam vnam boracis cum vnciis duabus et dimidia cremoris tartari, nec non cum decem vnciis aquae communis, factaeque ſolutioni vnciam vnam mercurii ſublimati corroſiui addidit. Tempore aliquod praeterlapſo, ſedimentum album, ex flocculis argentei nitoris conſtans, obtinuit, quod, per filtrum a ſuperſtite liquore ſeparatum, edulcoratum et ſiccatum, drachmas duas cum dimidia pulueris albi tenerrimi, argenteo nitore ſplendentis, dedit. Huius pulueris pauxillum, in cochleare argenteum proiectum, prunis impoſuit; quo facto, ſtatim fumus aſcendit, qui, afflante vento, ſuper totum cochleare ſe expandit, hocque colore aureo obduxit, qui tamen ope ſalis communis detergi ſe paſſus eſt. Poſthac plumbum in crucibulo fudit, fuſoque pauxillum dicti pulveris adiecit, ſicque copioſum ſtatim fumum, e crucibulo egredientem, animaduertit, pauloque poſt metallum adhuc fumans in laminam ferream calefactam effudit, ita tamen, vt in lamellam tenuiſſimam abiret plumbum. Metallo frigefacto, ſuperficiem eius, auro obductam, deprehendit et, poſtquam vltra triginta libras plumbi, ſecundum methodum deſcriptam auro obducendas, curauerat, omnes lamellas, auro obductas, abraſit, ſicque drachmam vnam cum dimidia auri optimi, per omnia examina probatiſſimi, obtinuit. Proceſſu hoc deſcripto, concludit demum Cl. CONSTANTINUS, 1) rem aliquam, quae ipſa tincta non ſit, tingere tamen poſſe; 2) rem maxime volatilem metallum fixum, vt aurum ſit, pro-

 ducere

ducere poſſe; 3) acidum ſalis communis, mercurio ſublimato inhaerens, plurimum ad rem contuliſſe.

p. 13. In epiſtola ſecunda primo Cl. MEYER compoſitionem cremoris tartari cum borace conſiderat. Notat nimirum, duo haec ſalia, coniuncta ſi ſint, a parua portione aquae ſolui, cum tamen alteruter eorum multam aquam ad ſui ſolutionem requireret: cuius rei cauſſam ſali ſedatiuo boracis adſcribit Noſter. Oſtendit deinde, ſolutionem dictorum ſalium, qui alias, ſi ſolitarie exiſtant, pari modo, vt alcali minerale et ſal ſedatiuum, cryſtalliſationem amant, omnem hic cryſtalliſationem reſpuere, potiusque per euaporationem ſyrupi, immo terebinthinae vetuſtioris, conſiſtentiam acquirere. Notat porro, ſalem ſedatiuum, qui alias ope acidi cuiusuis facile ex borace ſeparetur, nullum hic apparere, ſed dictis ſalibus immixtum manere. Tandem miratur, cur dictus liquor ſaporis tam acidi ſit. Licet enim acidus eiuſdem ſapor a ſuperpondio additi cremoris tartari prouenire videatur, hoc tamen Noſtro notatu dignum videtur, cremorem tartari, copioſe additum, ſolutum manere, nec, vt alias fieri ſolet, a frigefacta ſolutione ſeparari. His praemiſſis, ad praeparationem dicti pulueris CONSTANTINI accedit Cl. Auctor. Cum autem perpenderet, 1) vix metallum calefactum per adiectum puluerem, dum euaporet, ſed potius mercurium, pulueri illi immixtum, in aurum mutari, aque dicto metallo ſuſcipi; 2) hancque transmutationem puris iſtis, in cremore tartari deprehendendis, particulis lucis ſeu ignis adſcribendam eſſe; 3) et boracem forſan cum ſale ſuo ſedatiuo neceſſarium non eſſe, quadruplici modo praeparationem dicti pulueris inſtituit. Primam nimirum praeparationem eodem modo, vt Cl. CONSTANTINI; alteram cum ſale SEIGNETTE et mercurio ſublimato corroſiuo abſque borace; tertiam cum tartaro tartariſato

riſato et mercurio corroſiuo et quartam cum terra quadam foliata tartari cryſtalliſata, ex cryſtallis ſodae et aceto deſtillato parata, inſtituit. De prima praeparatione notat Cl. Auctor, per euaporationem ſubinde factam ſeſe demum liquorem ſpiſſum, ſubque eo ſedimentum illud puluerulentum nitens, ſupra memoratum, obtinuiſſe.

In epiſtola tertia compoſitio mercurii ſublimati corroſiui cum ſale SEIGNETTE, nec non ea, quam cum mercurio ſublimato corroſiuo et tartaro tartariſato Noſter inſtituit, deſcribitur. Quod ad priorem attinet, vncias quatuor ſalis SEIGNETTE cum decem vnciis aquae calidae commiſcuit Cl. Auctor, poſthaec autem liquori frigefacto vnciam vnam mercurii corroſiui pulueriſati addidit. Solutione facta, liquor colatus, ſtatim poſt percolationem flocculos aliquos nitentes, diebus autem aliquot praeterlapſis, multo plures vna cum ſale cryſtalliſato praebuit, a quo per affuſam aquam flocculos adhaerentes ſeparauit. Tandem per repetitam euaporationem, diluitionem et colationem, puluerem, margaritarum nitore praeditum, pondere ſex drachmarum obtinuit, poſtquam vnciis quatuor tartari tartariſati, cum decem vnciis aquae calidae commixtis, vnciam vnam mercurii ſublimati corroſiui addiderat, ſimilemque laborem, vt cum praecedente, ſuſceperat. Proceſſu hoc deſcripto, demum notat, primum flocculos illos nitentes, ſecundum primum proceſſum obtentos, omnium minimos, per ſalem SEIGNETTE productos maiores et per tartarum tartariſatum generatos maximos fuiſſe; deinde ſeparationem pulueris in primo proceſſu tardiſſimam, in ſecundo citiorem, in tertio citiſſimam, immo in hoc accuratiſſimam et perfectiſſimam, plurimumque puluerem obtentum fuiſſe. Ex his colligit, memoratum puluerem nihil aliud eſſe, quam mercurium p. 20.

cum tartaro coniunctum, ita, vt praecipitato huic mercurii tartariſati nomen imponi poſſet. Colligit quoque, neque boracem, neque alcali minerale ad obtinendum illud praecipitatum neceſſarium eſſe.

p. 27. In epiſtola quarta compoſitionem mercurii ſublimati corroſiui cum arcano tartari cryſtalliſato communicat Cl. Auctor. Arcani huius tartari, ex ſale ſodae depurato et aceto deſtillato praeparati, vnciam vnam cum vncia dimidia mercurii ſublimati corroſiui et vnciis quinque aquae calidae commiſcuit. Solutione facta, faeces ex flauo cinereae ſubque his paucae quaedam particulae ponderoſae et nigrae fundum petierunt, quae, a puluere flaueſcente ſeparatae, grana tria ponderarunt. Liquorem ſuperſtitem poſthac colauit, colatumque deſtillationi ſubiecit, ſicque in excipulo aquam, acetum valde penetrans et ſpiritum acido-oleoſum valde penetrantem, in collo vaſis flores albos et mercurium viuum inque fundo vaſis reſiduum nigrum obtinuit, quae cuncta, aqua edulcorata et per colum traiecta, puluerem reliquerunt, qui exſiccatus, pondere grana duodecim aequauit. Lixiuium inde obtentum et lente euaporatum, poſt aliquot dies cryſtallos ſalinas quinquangulares dedit, reſiduus autem liquor, rite diſquiſitus, non niſi liquorem terrae foliatae tartari, praebuit. Miratur itaque Noſter, cur hoc arcanum tartari, quod tamen ignis torturam paſſum eſt, non mutatum fuerit; quare colligit, dictum arcanum tartari purius multo, ſubtilius et fixius eſſe vulgari arcano tartari, nec quidquam, niſi partes ſubtiliores et fixiores relictas, continere. Productis his examinatis, ſupra memoratas particulas illas nigras, ſtatim poſt ſolutionem praecipitatas calcinationi ſubiecit, ſicque duo tantum grana, vno amiſſo, obtinuit, quorum alterum cum borace, ſuper pruna ardente, fuſum vitrum coloris ſmaragdini cum ſubtus adhaerente

rente globulo metallico dedit, alterum autem, abſque additamento fuſum, aliquos globulos metallicos exhibuit, qui in lapide lydio diſquiſiti, ſtrias cupri, cum argento mixti, colori ſimiles oſtenderunt.

In epiſtola quinta Cl. Auctor experimenta recenſet, quae cum memoratis pulueribus ad producendum aurum inſtituit. Pulueres nimirum tingentes in cochlearibus argenteis ſuper prunis euaporationi expoſuit, ſicque cochlearia deaurata obtinuit. Deinde drachmam dimidiam pulueris tingentis in crucibulum indidit, eique fila argentea ſubtiliſſima impoſuit; alio crucibulo inuerſo, poſthac bene agglutinato et paruo foramine in eo relicto, crucibulum igni tradidit. Operatione finita, argentum non mutatum ſubque eo puluerem nigrum inertem, in ſuperiori vero crucibulo rorem mercurialem reperit, qui collectus inque cochleari argenteo euaporatus, hoc interne et externe deaurauit. Porro drachmas duas pulueris iſtius tingentis, in retortam inditi, deſtillationi ſubiecit, ſicque drachmam vnam mercurii viui obtinuit, qui cochleare argenteum ſuper prunis deaurauit, ſimulque maculas aliquas eleuatas reliquit. Affuſa tunc aqua regis, has non ſolum ſoluit, ſed etiam colorem illum aureum, quo cochleare obductum fuit, deleuit. Tandem mercurium illum, per deſtillationem obtentum, cum argento foliato commiſcuit et amalgama, linimenti conſiſtentia, colore cinereo praeditum obtinuit. Amalgama hoc, in cochleare ferreo ſuper prunis euaporatum, maſſam albam nitentem reliquit, quae, a ſpiritu nitri affuſo ſoluta, faeces nigras in fundo vaſis exhibuit. p. 38.

In epiſtola ſexta theoriam proceſſus, a Cl. CONSTANTINO communicati, tradit Cl. Auctor. Metalla nimirum tanquam corpora conſiderat, quae ex multis particulis lucis, maiori minoriue copia aquae, p. 46.

maiori minoriue copia terrae et ea acidi pinguis copia, quae ad coniungenda reliqua elementa neceſſaria eſt, conſtant. Materiam lucis, metallis inhaerentem, 1) ex eo, quod aquae coniunctionem reſpuant; 2) ex coloribus, quos vario modo oſtendunt; 3) ex ſplendore, quem vel minima luce praeſente reflectunt; 4) ex maiori minoriue fixitate; 5) ex incaleſcentia, quam per triturationem vel percuſſionem acquirunt; 6) ex reductione calcium metallorum imperfectorum vel ſemimetallorum; 7) ex denſitate et pondere probare annititur. Inter omnes has proprietates denſitatem hic et pondus inprimis conſiderat Cl. Auctor. Denſitas corporum a paruitate particularum conſtituentium et inde pendente contiguitate proficiſci dicitur. Corpora igitur, quorum particulae minimae maximam copiam elementi ignis continent, cuius particulae reſpectu particularum reliquorum elementorum ſubtiliſſimae ſunt, pro denſiſſimis habentur. Cum vero materia lucis elementum ſubtiliſſimum ſit, atque particulae metallorum prae reliquis maximam copiam lucis contineant, partes eorum, quam proxime ſibi inuicem adiacere, indeque denſitatem metallorum in aggregato pendere, patet. Cum etiam denſiſſima corpora inter omnia poros minimos habeant, eadem idcirco omnium ponderoſiſſima ſunt. Itaque metalla omnium ponderoſiſſima ſunt, quod maximam partem ex elemento ſubtiliſſimo, luce nimirum, conſtant et eandem ob cauſſam poros minimos habent. Denſitas tamen et pondus metallorum variat, cuius rei cauſam Noſter in ſola lucis quantitate quaerit. Sic ex Eius ſententia aurum omnium corporum denſiſſimum et ponderoſiſſimum eſt, quod inter omnia corpora plurimam lucem continet. Mercurius, vt putat Noſter, minorem lucis copiam habet, hinc quartam quoque partem auro leuior eſt; plumbum

bum vero tertiam partem et argentum, partem dimidiam auro leuius, dicitur. Itaque metalla, auro minus denſa minusque ponderoſa, pauciores particulas lucis purioris continere, Noſter colligit. Metalla enim, auro leuiora, in mixtione ſua vel tantum purae lucis copiam, vt aurum, non continere, vel praeter lucem aliud adhuc varie compoſitum phlogiſton, pura auri luce minus ſubtile, fouere, putat. Aurum enim puram lucis materiam, nec antea generatum phlogiſton et reliquorum elementorum, acidi pinguis nimirum et aquae, eam copiam, quae ad coniunctionem particularum lucis neceſſaria fuerit, continere, Cl. Auctori videtur.

Mercurius, vt putat Cl. Auctor, quoad indolem et naturam atque inde pendentes qualitates magnam alit cum auro ſimilitudinem, quocum maiorem affinitatem, quam argentum habet. Pari enim modo, vt aurum, prae reliquis metallis plurimum lucis continet. Hinc aurum reſpectu denſitatis et ponderis proxime ſequitur; inde etiam aeque ac aurum tam difficulter deſtrui poteſt. Differt tamen ab auro 1) quod maiorem copiam aquae, quam aurum in mixtione foueat; quam ob rem volatilis et fluidus eſt; 2) quod maiorem copiam acidi pinguis ad firmandam partium ſuarum cohaeſionem habeat, quam aurum; 3) quod praeter puram lucis materiam ſubtile phlogiſton, ante generationem ſuam productum, habeat; 4) quod ex particulis lucis minus ſubtilibus, iisdemque pluribus indolis diuerſae, quam aurum conſtet, ſiquidem Noſter cum Cl. NEWTON ſtatuit, lucis particulas non ſolum ratione colorum diuerſorum, ſed etiam ratione minoris maiorisue ſubtilitatis homogeneas non eſſe. p. 56.

His expoſitis, quaeſtionem mouet Cl. Auctor, quid faciendum ſit, ſi quando mercurius in metallum nobilius, aurum nimirum, transmutari debeat? p. 59.

Suadet itaque, ſuperfluas eiuſdem partes aquoſas ſubducere, quo lucis particulae, in eodem connexae, non ſolum propius denſiusque ad ſe inuicem accedant, ſed etiam eaedem per ſubtiliſſimas particulas introductas augeantur. Id, quod neque per deſtillationem repetitam, neque etiam per ſolutionem in ſalibus acidis vel alcalinis, ſed per ſubtile quoddam igneum, luce plenum mixtum, quod parum aquae contineat, mercurium reſpectu particularum lucis aggrediatur, cumque iiſdem ita coniungi poſſit, vt particulae eius aqueae et nonnullae phlogiſticae ex eo ſeparentur, locumque earum ſubtiliſſimae lucis particulae impleant, praeſtandum eſſe, aſſerit. Tale quid forſan in proceſſu, cum Cl. CONSTANTINO communicato, per compoſitionem aliquam luce plenam, in tartaro vel iam praeſentem, vel per coniunctionem eiuſdem cum mercurio ſublimato corroſiuo et ſale alcalino producendam fieri, eandemque tantae ſubtilitatis eſſe, vt cum particulis lucis mercurii coniungi ſe patiatur, autumat.

XIII.

D. IOH. GOTTLIEB GLEDITSCH *vermiſchte Bemerkungen aus der Arzneywiſſenſchaft, Kräuterlehre und Oeconomie. Erſter Theil. Leipzig* 1768. *bey Ioh. Friedr. Hartknoch, Buchhändler in Riga und Mietau.* 8. 16½ *Bogen mit einer Kupfert.*

i. e.

Obſeruationes variae ex medicina, botanica et oeconomia, auctore Cl. GLEDITSCHIO. Tomus primus.

Prima tractatio, quae iam actis Academiae regiae ſcientiarum Berolinenſis inſerta eſt *), *noua experi-*

*) Hiſt. de l'Acad. royale des ſciences et belles lettres, à Berlin, année 1765. p. 12 ſqq.

perimenta phyſica ſiſtit *de motu vegetabilium externo, eorumque a directione perpendiculari verſus horizontem declinatione.* Vulgarem iſtam experientiam curatius examinauit Cl. Auctor et inſtrumento quodam, ad hos vſus adaptato, mutationes, quas in heliantho annuo vidit, determinauit, quas prolixiſſime recenſet. Eſt autem inſtrumentum hoc, quod phytoclinometrum dicit, nihil niſi illud, quo angulos metiri ſolemus, gallico idiomate *Tranſporteur* vocatum, quod pedi inſiſtit, in tria crura deſinenti, inter quae vas, plantam continens, collocatur. Ipſum inſtrumentum ſurſum deorſumque moueri et, adhibita trochlea, firmari poteſt, et in medio indicem habet circa axin, ex chalybe polito confectam, mobilem, qui vero ſuperficiem ipſius inſtrumenti non attingit: index hic, in ſitu perpendiculari conſtitutus, in extremo ſuo bacillum rotundum ac firmum horizontaliter affixum habet, qui, dum ad plantam, diuerſimode motam, alliditur, indicem ipſum mouet, qui hac ratione gradus in inſtrumento indicat. Ex icone addita deſcriptio magis explicatur. p. 42.

Secunda tractatio, *noua ſupplementa ad hiſtoriam morbi maligni epidemici boum in Marchia Brandenburgica* exhibet. Cl. Auctor eum, iam ab anno huius ſeculi vndecimo ſparſim huc illucue graſſatum, a viginti iam annis ex mandato regio diſquiſiuit, ideoque enarratis iis ſcriptis, quae cum fructu quodam de eo legi poſſunt, primo, quid ſectiones cadauerum monſtrauerint, edocet, ex quibus ſigna corruptionis putridae tam ſolidarum, quam fluidarum partium in genere patebant, praeſertim in canali alimentorum. Magis autem inſtruebant ſectiones eorum animalium, quae morti iam proxima erant. His praemiſſis, ad ipſam morbi deſcriptionem progreditur Cl. Auctor. Cauſſa eſt in contagio halituoſo, quocumque p. 64. p. 45.

modo

modo ſeu ab animalibus, morbo laborantibus, ſeu eorum exhalationibus, ſeu ab eorum partibus, ſeu ab hominibus, qui horum curam habuerunt, com-
p. 67. municato. Contagium ſuſceptum inſolita triſtitia et languor, accedente paullo poſt febrili impetu, produnt, quem in grauiore caſu effluxus materiae mucoſae et ichoroſae, ex ore naribusque, frequenter ſanguine remiſtae, ſequitur, quae maxime corroſiuae indolis eſt. Febre creſcente, accedunt tormina ventris et obſtructio, quam diarrhoea, vere dyſenteria vocanda, varii generis excipit. Haec ſigna quidem
p. 73. coniuncta morbum noſtrum ſiſtunt: communiſſimum autem et veluti pathognomonicum eſt inflammatio et exulceratio linguae. Morbus grauiſſimus ad tertium quartumue diem extenditur: ſeptimum nullum animal aegrotum viuendo ſuperauit. Abortus vel ante vel paullo poſt eruptionem morbi multa ſeruauit, quod tamen non abſque cautione aſſumendum eſſe monetur. Symptomata minus frequentia fuerunt efflorescentiae cutaneae, tumores in colli pectorisque regione et vlcuſcula maligna circa anum.
p. 74. Morbus iunioribus et robuſtioribus maxime infeſtus eſt, non aeque macilentis et aetate prouectioribus. Examen phaenomenorum morbi potiſſimum eius malignitatem declarat, dum contagium virulentum fluida, bilem potiſſimum, celerrime inficit et in putredinem conuertit, vires deiicit et ſolida ipſa deſtruit. Bilis, putrida reddita, canalem inteſtinorum
p. 78. ſollicitat, eidemque gangraenam inducit. His ergo patefit, morbum hunc peculiarem eſſe ſpeciem febris inflammatoriae malignae contagioſae, neque immerito peſtem bouillam dici, quod prolixe poſtea euincitur et multa vbique monita, oeconomis vtiliſſima, inſperguntur, quae paſturam boum, eorum ab exteris coëmendi rationem cet. concernunt. Diligentiſſime enim cauendum eſt, ne hoc modo contagium

gium deliteſcens in noſtras regiones inferatur. Peculiaris in eo eſt contagii ratio, quod neque cum vllo alio animantium genere, neque cum hominibus communicetur, quod multi crediderunt. Quod ad curationem ſpectat, ea difficillima eſt vel plane nulla, niſi morbus ipſe in principio ſupprimi queat. Simulac enim febris ingreſſa fuerit, inflammatio inteſtina occludit et gangraenam efficit. Quamprimum igitur morbi initia ſe produnt, diaphoreticis lenioribus et acidis vtendum eſt, hisque externe maſticatoria, ſetacea, cauteria, iungenda ſunt, quamquam poſteriora, prophylactice magis, quam curatorie adhibita, vſum praeſtant. Venaeſectio, niſi larga fuerit et in animalibus iunioribus et robuſtioribus ſub ipſum morbi principium adminiſtrata, vſu caret. Purgantia fortiora, tantis ab aliis laudibus euecta, nocent: pinguia, oleoſa, mucilaginoſa, ſi ante obſtructionem adhibeantur, eamdem praecauent; ceteroquin inutilia ſunt, eo tantum excepto, quod in forma clyſterum applicata, ſaltim dolores mitigent. Adſtringentia omnia aliena ſunt. Ad ſuſtentandam diaphoreſin praecipue ſtabulorum et ſtraminis animalibus ſubſternendi curioſior ratio habenda eſt. Medicamenta calidiora aromatica et alexipharmaca, ne ipſa quidem camphora excepta, nihil praeſtant; ſed ſi quis locus medicamentis detur, ea acida ſint vel acidula, copioſe adhibenda, vt vitriolum martis aut eius ſpiritus, aut oxymel quoddam ſimplex, cum rob ſambuci miſtum, addito nonnunquam oleo lini vel oliuarum. Acetum reliquis acidis vegetabilibus palmam praeripit. Vlcera maligna linguae decocto plantarum aromaticarum acrium et aromaticarum, cum aceto parato adiunctoque ſale communi, crebro fricanda ſunt, quod etiam in ſuſpectis animalibus praecautionis cauſſa fieri oportet: poſtmodum autem decoctis mucilaginoſis fauces et lingua elui debent. Setacea

p. 106. p. 114. p. 131.

p. 132. et cauteria, antequam infectio et ſtagnatio humorum praeualuerint, egregii vſus ſunt et omnino veſicatoriis praeferenda. His expoſitis, cenſura alio-
p. 133. rum remediorum ſubiungitur, potiſſimum inoculationis, quae autem dubio fundamento innititur, dum morbus ipſe pecoribus aeque commnuis iudicatur, ac variolae hominibus. Reliqua auxiliorum genera vel ſuperſtitioſa ſunt, vel ob agendi modum huic morbo minus conueniunt, aut eidem tollendo imparia deprehenduntur: ad curam prophylacticam autem omnino commendari et poſſunt et debent, vbi Cl. Auctor prolixus eſt in dandis cautelis, quae eorum
p. 142. vſum ſpectant. Vltimo loco monita vtiliſſima, de cura in remouendis animalibus demortuis et de obſeruandis iis, quae, durante epidemia, a magiſtratibus peragenda ſunt et quomodo animalia conualeſcentia tractari debeant, adduntur.

p. 155. Tertia tractatio *cogitata de nonnullis veſtigiis ſimilitudinis inter animalia et vegetabilia*, complectitur quae ſimili vt praecedentes modo actis dictae ſocietatis inſerta eſt *) et cuius recenſionem alio in loco Lectoribus noſtris exhibuimus **).

p. 180. Quarta *relationem de ſolita cultura draconis arboris in hortis Germaniae ſeptentrionalis* exhibet. Arbor haec, a botanicis olim *aſparago* annumerata, nuper autem accuratius obſeruatis a VANDELLIO floribus, ad recens ſtabilitum *dracaenae* genus a LINNAEO amandata, ratione habitus et modi creſcendi ad palmas proxime accedit. Iunior quam maxime ſucculenta eſt et textura molliori ſpongioſa gaudet, hinc facile perit, ſi baculo fortius percutiatur: frequentior autem interitus eius nimiae humiditati, circa

*) Année 1757. p. 89 ſqq.
**) Vid. Commentar. horum Vol. VIII. p. 635.

circa radices collectae, adſcribi debet, autumnali praeſertim tempore. Apex trunci itidem facile cor- p. 187.
rumpitur, tumque prope vel infra illum rami nonnulli trunco ipſi ſimiles oriuntur, qui ſucceſſu temporis rurſus in ſimiles minores diuiduntur; quod tamen, antequam fiat, multum temporis requirit. Cum ſemina huius plantae apud nos non exſtent, opus eſt, vt iuniores arbores ex exteris regionibus aduehantur, quod quidem peculiaribus in ciſtulis p. 191.
fieri debet, arbuſculis ipſis ſtupa et pannis rudioribus (*Werg und Flanell*) probe munitis, vt ſitum commodum ſeruent. Forte tamen in earum cura caute nimis agitur, cum conſtet, plura arborum genera, abſque detrimento diutius aëri liberiori expoſita, relinqui, quin ramificationum radicis iacturam ferre poſſe, dummodo ipſa ſubſtantia eius illaeſa perſiſtat. Arbuſcula ipſa poſtea in ciſtam, paullum tantummodo radice ampliorem, immittenda eſt, cuius fundum arena groſſior fluuiatilis obtegat, cui humus bonae indolis ſuperimponenda eſt, irrigationis etiam iuſta ratio habenda, eaque, inclinante aeſtate, ſenſim imminuenda, vt verſus hyemem tandem penitus ceſſet. Inſigne vitium in neglecta arboris p. 194.
tranſpoſitione poſitum eſt, vnde fit, vt radices tandem, ſitu tactae, corrumpantur: harum autem teneris fibris putredine affectis, corruptio ſuccorum celerrime ope ſpongioſi corticis cum tota arbore communicatur, quae tamen interdum ex hoc periculo euadit, atque, vti iam dictum eſt, deſtructo trunci apice in protruſis ramis lateralibus reuiuiſcit. Hoc tamen ancipiti in caſu cultro vtendum et vſque in partem ſanam incidendum eſt, quo corrupta ſeparentur et a diſciſſis canaliculorum orificiis medullaque, denſus callus formetur. Vbi ſucci nimia copia p. 197.
poſt inciſionem effluit, inciſura ad pollicis altitudinem creta, in ſubtiliſſimum puluerem redacta, operienda,

rienda, haecque cineribus calidis in vaſe conueniente obtegenda eſt: quod vbi non ſuffecerit et ſuccus ſub indurata nonnihil ſuperficie nimia quantitate collectus fuerit, inciſione iterata, ferrum candens applicari oportet, continuato ſimul cretae cinerumque
p. 198. vſu. Tum truncus, panno aſperiori obuolutus, e terra eximitur et, depuratis radicibus, in hibernaculo ope duorum lororum latorum, ex corio confectorum, ſuſpenſus, relinquitur, donec ſatis exſiccatus recenti ciſtae, vt prius dictum fuit, immittatur, vbi tamen iterum gradus caloris, ſitus verſus ſolem, irrigationis et ſimilium curioſe rationem haberi oportet.

p. 201. Tractatio quinta *praemonita de emendanda cura generatim in colligendis plantis officinalibus, in commodum publicum dirigenda*, ſiſtit. Verum omnino eſt, licet medicus indolem morbi optime cognitam perſpectamque habeat; licet, quibus vtendum ſit remediis, optime norit: illum tamen nihil profecturum eſſe, ſi ea ipſa remedia peruerſae indolis et conditionis
p. 204. fuerint. Quare primo loco ſuadet Auctor, eo reſpiciendum eſſe, vt quaeuis regio ſuorum ipſius productorum primariam curam habeat et extera potius maximam partem negligat. Quaeritur autem, cuinam illorum collectio committenda ſit? omnibus quidem medicis officium hoc incumbit, at iis prae reliquis, qui publicam ſanitatis ciuium curam gerunt et pharmacopoeorum hac in re labores dirigere debent. Hi vero aliis, herbariis, rhizotomis et ſimili-
p. 210. bus vtuntur: quantus autem in his omnibus vbique fere abuſus irrepſerit, dilucide monſtratur. Officium nimirum herbarii adeo leue vel vile habendum non eſt, quam vulgo putatur, dum faex hominum illud ſubit, cuius vel ignorantiae vel auaritiae poenas mi-
p. 216. ſeri poſtmodum aegroti luunt: ſed requiritur homo ingenuus, diligens, docilis, ordini deditus, corpore

laboribus

laboribus et viciſſitudinibus tempeſtatum tolerandis apto, a pueritia inſtruendus et ad obſeruandas quasvis plantarum a diverſis, quae in eas agunt, cauſſis, mutationes aſſuefaciendus. Haec imago perſonam herbarii tamquam maxime vtilem et neceſſariam ad ſanitatem ciuium curandam ſiſtit, nobisque eam erga illum venerationem imperat, qua CRATEVAM proſequutus eſt HIPPOCRATES. Suadetur etiam, vt eiuſmodi homines ſacramento publice praeſtando ad alacritatem, diligentiam et ſinceritatem in hoc officiorum genere ſeruandam adſtringantur. Prout autem hoc illoue tempore plantae integrae vel diverſae earum partes ſub hac vel illa conditione in vſus medicos colliguntur, horum omnium, quantum p. 223. ad propoſitum finem ſpectat, et quae vnicuique bonitatis aut vitii notae inſint, notitia ab herbario requiritur. Opus eſt praeterea, vt mutationes, quas aut ſoli diuerſitas, aut varia anni tempora ſtatusque ipſius plantae vel iunioris vel adultae demum producat, probe intelligat, quod Cl. Auctor variis exemplis in genere declarat, et denique culturam plan- p. 229. tarum officinalium exoticarum quidem, aſt in aliis germanicae noſtrae patriae prouinciis ſponte naſcentium, commendat, ſicque proluſioni huic finem imponit, qua ad ampliorem et ſpecialiorem ſuper hoc argumento tractationem ſibi viam parare allaborauit.

XIV.

Tal, om Svenſka Ång-ſkötſeln, och deſs främjande genom lönande Gräs-ſlag; hållet för köngl. Vetenſkaps Academien, vid Præſidii ned läggande, den 26 april 1769, af BENGT BERGIUS, Banco-Commiſſarius, Ledamot af kongl. Norſka Vetenſkaps Societeten i Trundhem och kongl. Oeconomiſka Societeten i Zelle. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius, 1769. 8 mai. pgg. 98.

h. e.

Sermo de cultura pratorum in Suecia, eiusque per plantas pabulares incrementis habitus coram Academia regia ſcientiarum, quum Praeſidis munere decederet, a BENGTIO BERGIO.

Initio commentationis in vſu, qui ex pratis redundat, deſcribendo Cl. Auctor occupatus, ciuesque ſuos nominatim multis argumentis excitat, vt eorumdem culturam magis ſibi commendatam habeant. p. 9. Singularem vero induſtriam et multarum aliarum rerum cognitionem requirere oſtendit. Noſſe ſcilicet oportet varia terrarum genera earumdemque miſcelam, nomina ſtirpium pratis idonearum, naturam, efficaciam, porro, quae cuilibet pecorum generi maxime conueniant, et quas quodlibet clima optime ferat.

De neglectu in his ſubſidiis hinc inde in patria ſua percepto queritur Noſter, culpatque inter alia, pecora ſaepe intempeſtiue vel mox poſt foeniſecium vel humore nimis emollita terra pratis admitti, vnde radices calcando deſtruuntur; foenum nimis

nimis mature ſecari, antequam ſemina maturauerint; vel radicibus iuſto propius abſcindi, vel has ab abſciſſo gramine nimis cito nudari, vnde ſolis vi comburuntur cet. Interim nouit quosdam Sueciae tractus, vbi, vitatis his vitiis, prata optime vigent.

His praemiſſis, iudicat, quomodo variis defe- p. 16.
ctibus pratorum naturalium ſuccurri poſſit; quibus vero, quando ſolum iſtis non fauet, artificialia, quae ex vnico ſtirpium genere conſtant, ſubſtituuntur. In perennium numero praeter *medicaginem ſatiuam*, *hedyſarum onobrychidem* et *trifolium pratenſe*, vix aliae in hunc finem tentatae, excepta *geniſta ſpartio* maiori breuioribus et longioribus aculeis TOURN. et *poterio ſanguiſorba*. Annuarum et biennium vero p. 22.
longe maior numerus eſt, quarum quaedam ob herbam, alia radicum cauſſa coluntur. Herbae cauſſae varietates *braſſicae oleraceae*, *piſum aruenſe fructu albo* C. B. *vicia ſatiua*, *braſſica napus*, *ſpergula aruenſis*, *zea mays*, *ſecale cereale rel.* ſeruntur. In *ſolano tuberoſo*, *raphano ſatiuo*, *dauco carota*, *paſtinaca ſatiua* etc. radix inprimis pabulum pecori ſubminiſtrat.

Dictis autem exiſtimat Noſter multas alias in- p. 28.
digenas ſuppares eſſe, *medicaginis falcatae*, *trifolii hybridi*, *montani et meliloti*, *lathyrorum* omnium, praecipue *pratenſis*, *viciarum variarum*, *anthyllis vulnerariae*, *melampyrorum* rel. exemplis.

Haec omnia tamen ſalubritate et lucri vber- p. 34.
tate ſuperant gramina. Vnde his inprimis Cl. Auctor inhaeret et inter praecipua recenſet *phleum pratenſe*, *timothy-graſs*, *auenam elatiorem*, *fromental*, *dactylidem glomeratam*, *orchard-graſs*, *poam aquaticam*, *alopecurum pratenſem*, *bromum giganteum*, *airam ceſpitoſam*, *lolium perenne*, *ray-graſs*, *feſtucam elatiorem*, *holcum lanatum*, *agroſtidem arundinaceam*, *triticum repens*, quorum omnium inſtitutis experimentis

virtus conſtitit et ab his coniecturis ad alia commendanda procedit. Ita vero de iis in vniuerſum agit, vt naturam ſingularem, colendi optimum modum et Auctorum teſtimonia, citatis vbiuis iconibus, exponat.

p. 72. Minus fauet Cl. Auctor paſcuis, nec eadem concedit, niſi locis, pratis agrisque ineptis. Et antequam artificialia prata fuerint parata, ſuadet, vt pecora in ſtabulis nutriantur, et per binas modo horas quotidie emittantur; quod ipſum et ſtercori ſeruando inſeruit.

Plura de eximio hoc libello in medium proferre, vtpote oeconomici praecipue argumenti, non licet, quem vero omittere ob eximiam rei herbariae notitiam in oeconomo alias rariorem, et experientiam longo vſu acquiſitam, nefas duximus.

XV.

IOANNIS VIVENTII, Nolani Phil. et Med. D. de cicuta commentarius. Neapoli 1767. 8. excud. Donatus Campo. pgg. 76. cum dedicatione.

p. 8. Ex iis, quae Cl. Auctor multo cum ſtudio huic tractationi praemiſit, et ad vim vocis cicutae eiusque hiſtoriam, ab antiquiſſimis temporibus inceptam, et virtutem medicam in multis morbis pertinent, fuiſſe vſque ad annum Chriſti quinquageſimum ſextum medicos aliosque, qui non ſolum cicutam pro veneno non habuerunt, ſed etiam eam interne adhibuerunt, nec non ab eodem Chriſti anno inualuiſſe inter Auctores opinionem de venenata cicutae vi, credulae inde poſteritati relictam, nec minus eos, cicutam, qui eam inter venena retulerunt, interne exhibuiſſe, poſtmodum medicos fuiſſe, qui, ſpreta veterum

veterum auctoritate, in morbis deſperatiſſimis illius vſum proſperrimo cum ſucceſſu laudarunt, ac omnino veteres interdum cicutae vſum perquam commendaſſe, luculenter patet.

Quibus ex antiquiſſimis temporibus aſſidue demonſtratis et vera cicutae ſpecie deſcripta, ante, quam ad morborum enarrationem progreditur, nonnulla Noſter, quanam ratione cicuta in morbos agat, proponit. Fuerunt, qui eius vim vel per ammoniacalem ſalem, vel per oleum, ex libris quinque foliorum et caulium tenerorum elicitum, explicarint, contra aliis, vt MAXIMIL. LOCHERO, eius vires a ſalis, qui partim in ſal alcali volatile, partim in fixum potentia ignis mutari poteſt, pendere videbantur quantitate. Sed licet Cl. Auctor ſummam reſoluentem, anodynam et antiputredinoſam vim cicutae tribuit, nullo tamen modo eos effectus explicari poſſe per experimenta chemica credit, et in ſpecifica cicutae virtute pariter, ac in vi corticis Peruuiani ſpecifica, febres debellante, acquieſcit. Fruſtra enim vera corporum principia per analyſin quaeri cum aliis affirmat atque exemplis illuſtrat. p. 45.

Quo facto, ad alteram huius commentarii partem venit, quae morbos, ope cicutae curatos, complectitur. Initium faciamus cum Noſtro a morbis pectoris, ac primum quidem a phthiſi pulmonali. Aegrota viginti quinque annorum per quinquennium rheumaticis laborabat doloribus, vocem raucam cum laeſa deglutitione, tuſſim ſiccam, noctis inquietudines, dolorem et pondus in dextro latere ſentiebat. Paullo poſt tuſſis humida reddebatur et noctu aliquando cum tuſſi vncias circiter decem ſeri albi, fluidi, ſpumoſi, oui conquaſſati albuminis inſtar, euomuit ſine ponderis et doloris imminutione, cuius dein copia ad libram vnam et dimidiam creuit. Tum, p. 49.

exhibitis pilulis pectoralibus MORTONI cum aethiope minerali, ex larga plaga, vbi ponderis erat ſenſus, orta et per menſem aperta, multum ichoris effluebat, expectoratione tamen vſque ad tres libras aucta. Huic aegrae in hac pulmonali phthiſi cicutae extractum tam felici ſucceſſu dedit Cl. VIVENTIUS, vt, finito propemodum ſecundo menſe, totus morbus cum omnibus ſymptomatibus euaneſceret, nec rheumatici dolores redirent. Alia aegrota aſthmate, hepatis et lienis obſtructionibus, tactu prehenſis, a quinque annorum tempore, quo menſtrua ceſſarunt, afflicta, multis remediis fruſtra adhibitis, ab his non ſolum, ſed ab aliis quoque extracti cicutae vſu liberabatur moleſtiis. Similem felicem euentum cicutae quoque habuit Noſter in viro bibaci phthiſico, et puero, tuſſi ſummaque pectoris anguſtia, poſt variolas remanentibus, laborante.

p. 56. Miſſis ſalutiferis cicutae effectibus in rheumaticis tuſſibus pertinacioribus, ad morbos abdominis ſeſe conuertit Cl. Auctor. Virgo ſtomachi languore, inappetentia et ſemper acerrimo dolore, mox poſt ciborum aſſumtionem, oboriente, nec ſine eſculentorum vomitu ceſſante, vexata fruſtra, ſumſit multa medicamenta. Propinauit ergo Noſter decem extracti cicutae grana mane et veſperi, quibus aegrae vnciae tres vaccini lactis cum libra dimidia frigidae aquae, infuſione corticis Peruuiani paratae, quam aquam ſingulis bihoriis continuauit, ſuperbidendae erant, nec quidquam eſculentorum aſſumendae, et quarta die deſiit vomere, et, continuatis remediis, ſanitati penitus aegra eſt reſtituta.

p. 60. Porro puerpera, fetu faciliter excluſo, febre corripiebatur ſat vehementi, violentiſſimis vteri doloribus et lochiorum ſuppreſſione ſtipata. Habebat enim poſt partum, etiamſi erat facilis, non pacatum pulſum, et, ſi vna alteraque poſt partum

hora

hora pulſus celeritas non ſedaretur, ſemper ſequi acutam febrem cum vteri inflammatione, Noſter eſt expertus. Haec, febre per corticem Peruuianum curata, a reliquis moleſtiis, vſu extracti cicutae, feliciter eſt liberata. In viro, hepatitide laborante, remanebat tumefactus lien et induratum hepar cum oedemate pedum, qui, per quadraginta dies, adhibito cicutae extracto, penitus conualuit. Aeque felicem cicutae effectum Noſter in hepatis obſtructionibus, nec non in irregularibus menſtruis, cum multo dolore coniunctis, vidit.

Viro iam diu herpetis ſpecie in facie primum, (ſalſedinem dicit Auctor,) dein in pectore moleſte affecto, et ſenſim diſparente, ex eius retropulſione ardor ſummus in vrethra cum doloribus maximis oriebatur, quem nihil, nec opiata, quae in vrethram iniiciebantur, ſedare poterant. Huic viro externe ſuaſit de cicuta iniectionem et interne ſingulis diebus mane viginti grana extracti cicutae dedit. Quibus per quadraginta dies vſurpatis, integram nactus eſt aeger ſanitatem. p. 65.

In morbis externis ſimilem monſtrauit cicuta efficaciam. In tumoribus enim ſtrumoſis colli non fruſtra vſus eſt Noſter emplaſtro de cicuta externe, et interne dedit extractum eius, ita, vt a quinque granis inceptam doſin in diem vſque ad vnam drachmam augeret. Ac omnino in morbis glandularibus illisque, a liquidorum alborum indole vitiata proficiſcentibus, validum atque efficax remedium praedicat cicutam Noſter, et obſeruatione puellae nouem annorum, cruſtam lacteam et tabem glandularum vniverſalem habentem, quae ope extracti cicutae trium granorum, bis de die datorum, et decocti ſaſſaparillae et ligni guaiaci cum vaccino lacte ſanitati reſtituta eſt, illuſtrat. p. 67.

p. 70. Tandem foetidi atque annoſi vlceris, per cicutam curati, exemplo narrato, eius effectum in lue venerea laudat et exoſtoſi, maculis atque doloribus rheumaticis venereis diu vexatum aegrum, exhibito cicutae extracto, feliciter ſanauit.

XVI.

Noui Commentarii Academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae Tom. X. pro anno 1764. Petropoli, typis Academiae ſcientiarum 1766. 4. alph. 3. pl. 10. tab. aen. 20.

In hoc tomo, quae nobis praecipue indicanda ſunt, ex claſſe phyſico-mathematica ſequentia inuenimus.

p. 282. 1. *Obſeruationes quaedam ad opticam pertinentes.* Auctore Cl. AEPINO. Diſſertatio de coloribus accidentalibus, commentariis Academiae Pariſienſis anni 1740 inſerta, in qua etiam macularum nigrarum, oculis obuolitantium, natura declaratur, nouaque de coloribus, quibus vmbrae, a ſole oriente ac occidente proiectae, tinguntur, obſeruatio profertur, occaſionem Auctori Cl. praebuerunt: 1) de coloribus accidentalibus proferre ſingulares circumſtantias, quas ipſe obſeruauit, ac quisque poſt eum ſolem horizonti propinquum vel raris nubibus obtectum, ne oculi laedantur, per aliquot decem circiter ſecunda minuta intuens et poſtea a ſole oculos auertens obſeruare poteſt. Imago ſolis hac ſenſatione acquiſita, auerſi oculi ſiue claudantur, ſiue aperti ſeruentur, non illico euaneſcit, ſed per tria aut quatuor minuta prima perſiſtit ac durat. Imago vero ea, clauſis oculis, inſtar maculae irregulariter circularis apparet, cuius area interior videtur flaua ac quodammodo

dammodo ad viridem colorem vergens, annulo rubro cincta. Apertis vero oculis ac coniectis, in album parietem, videbitur in ea haerere macula, qua figuram et magnitudinem ei, quae, clauſis oculis, obuerſabatur, ſimilis, ſed longe alia ratione colorata; area enim, quae clauſis oculis flaua apparuit, nunc rubere videtur, margo vero in fundo albo apertis oculis coeruleum refert colorem. Si iterum claudantur oculi, alternisque vicibus aperiantur, redibunt priores ſenſationes per quatuor aut quinque minuta ea lege, vt maculae interior area gradatim in viridem, ac tandem in coeruleum colorem, clauſis oculis, in rubrum vero apertis vergat, margo vero clauſis oculis ſemper ruber, apertis vero vivide coeruleus videbitur, haeque ſenſationes huius coloris ſenſim ſenſimque imminuentur, donec ipſa ſenſatio debilitata diſparet. Varias Auctor Cl. ex his obſeruationibus vberius deſcriptis deducit concluſiones, quarum potiſſimae eo redeunt: 1) radios ſolis directos, ab oculis exceptos, agere in neruos, certamque, cuius anima ſibi conſcia eſt, mutationem ipſis imprimere, eamque, ſenſatione ceſſante, non in inſtanti euaneſcere, ſed per longum ſatis tempus adhuc perdurare; 2) impreſſionem, a radiis lucis vehementioribus excitatam, actione ipſa ceſſante, transire in actionem radiorum flauorum, hanc in actionem viridium, hancque tandem in eam, quae ex radiorum coeruleorum actione oritur; 3) impreſſionem, a colore albo tabulae excitatam, cum impreſſione, quae prouenit ex flauo viridi ac coeruleo compoſitam, producere eandem impreſſionem, quam in rubrum vergens color producere ſolet.

De maculis vero, viſui obuolitantibus, ita agit p. 288.
Auct. Cl., vt poſt recitatas variorum, qui huius morbi explicare naturam voluerunt, ſententias doceat, praeualuiſſe tandem, ac cum principiis dioptricis

V 5 melius

melius conſentire, quam alias omnes, eam opinionem, quam etiam Cl. BVFFONVS tuetur, quae ex partibus quibuſdam retinae, ſenſatione orbatis, ſeu paralyſi affectis, eum deducit morbum. Cum Cl. Auctor ipſe a pluribus annis eo morbo affectus, occaſionem nactus eſt, obſeruationes in has maculas inſtituendi accuratiores, omnes reducendas eſſe ad duo genera, ex iis edoctus eſt. Vtrumque earum genus graphice deſcriptum eſt. Ex omnibus tandem phaenomenis macularum et ſtructura ſingularum partium oculi conſiderata, validis argumentis conficitur, dari caſus, vbi hic morbus in tunica retina non haeret, ſed ſedes potius eius in humore vitreo eſt quaerenda, cuius ſubtiliſſima vaſa, lympham vehentia, dilatantur et introitum partibus craſſioribus et opacis praebent.

p. 292. In obſeruatione tertia primum Auctor Cl. deſcribit obſeruationem Buffonianae ſimilem, ſed nouam. Concernit ea vmbras, à candela accenſa proiectas, tempore crepuſculi matutini ac veſpertini, quae non nigrae, ſed ſemper coeruleae, ſi plano albo excipiantur, virides vero, ſi in planum flaueſcens proiiciantur, apparent. BVFFONVS coeruleas interdum virides vmbras, a ſole proiectas, apparere docuerat, cum primum hic color in iis ab Auctore Cl. non fuerit conſpectus, ſed ſolum coeruleus. Dubius aliquamdiu circa obſeruationes Buffonianas haerebat, donec ſuae eum obſeruationes docuerunt, apparere poſſe vmbras, ſole proiectas, plano etiam albo exceptas, virides, dum aër ſparſis nubibus rubicundis aut aureo colore tinctis, repletus eſt. De cauſſis huius phaenomeni, quas profert, cum ipſe Cl. Auctor ambigat, non attinet plura dicere.

p. 296. 2. *Similitudinis effectuum vis magneticae et electricae nouum ſpecimen*, Auctore Cl. AEPINO.

Quamuis

Quamuis Auctor Cl. in tentamine electricitatis ac magnetiſmi, cuius ſummam *) exhibuimus, luculenter probatum dederit, ex phaenomenis electricis ea, quae ab actione fluidi electrici, in corpore quodam haerentis, vnice pendent, magneticis eſſe ſimillima, nouum tamen ſe ei obtulit experimentum, idem mirifice confirmans, illudque ſimpliciſſimum, ad quod non niſi primum acu tenui ferrea, molli, vnius digiti longa, ad extremitates rotundata ex filo ſerico tenui ſicco ac quinque pollicum longo ſuſpenſa, ac deinde filo ferreo molli craſſitiei calami anſerini quinque vel ſex pollicum, cuius extrema parumper rotundata, ac tandem virga chalybea fortiter magnetica et tubo vitreo aut cylindro ex ſulphure vel cera Hiſpanica opus eſt. Quod ſi apparatus iſte ex praeceptis Cl. Auctoris combinetur in vtroque caſu et admoti horizontaliter magnetis et admoti cylindri, panno laneo rite fricati, ad acum ex filo verticaliter ſuſpenſum ſimillimae repulſiones et attractiones obſeruabantur, vt perſpicaciſſimus ſpectator, niſi ipſi aliunde cognitum fuerit, plane diuinare nequeat, vtrum, quae videt phaenomena repulſionum et attractionum a vi magnetica, an vero electrica producantur. Tanta eſt ex hoc nobili experimento mirifica effectuum vtriusque vis identitas ac ſimilitudo.

Ex claſſe phyſica porro traduntur:

1. *Caloris diminuti et aucti phaenomena noua paradoxa et conſiderationes*, Auctore Cl. BRAUNIO. p. 309.
Auctor Cl. in diſſertatione de congelatione hydrargyri **) a ſe detecta, monuit, experimenta ſibi non ſucceſſiſſe, quae frigus quoddam producere a viris in arte experimentandi exercitatiſſimis perhibebantur,

*) Vide Comment. noſtr. Supplem. prim. decad. p. 681.
**) Vid. Comment. noſtr. Vol. X. p. 212.

tur, ſi oleis eſſentialibus ſpiritus vini praecipue rectificatiſſimus affundatur. Quare cum variis oleis eſſentialibus puris, deſtillatione paratis omni cura et diligentia repetenda cenſuit, vt ſi quod vitium ſubreptionis, vel a ſe, vel ab aliis commiſſum eſſet, detegeret. Primum itaque monet, experimenta in conclaui eſſe inſtituenda, quod vel eiusdem temperiei eſt, cum fluidis, vel his eſt calidius et thermometrum mercuriale Delilianum, quo ipſe vſus eſt, eandem cum ſpiritu vini et oleis debere habere temperiem, quod non adeo facile obtinetur et loca conclauis non eſſe permutanda, cum eius ſuperiores partes calidiores ſint inferioribus, omiſſaque vna ex his cautionibus, facillime vitium in experimenta irrepere poteſt. Explorato proinde calore vini rectificatiſſimi, olei et loci conclauis immergendum iam eſt thermometrum oleo affuſoque vino rectificatiſſimo, attendendum non ſolum primis minutis, ſed ad dimidiam horam, integram horam et vlterius, vtrum nullam frigoris vel caloris productionem obſeruare liceat, quod ex aſcenſu vel deſcenſu mercurii in thermometro, ſeruato eodem hypocauſti calore, euidens erit. Ingenioſe ita inſtitutis experimentis, inuenit Auctor Cl. fluida, quae frigoris nihil ſub dictis circumſtantiis producere ſolent, eoque pertinent olea expreſſa ac deſtillata. Spiritus nitri parum aut nihil mutationis oſtenderat, excepto oleo vitrioli, quod loco frigoris aliquot ſex vel plures gradus caloris praeter expectationem produxerat. Spiritus ſulphuris, aceti, acidum citri, acetum vini, ſpiritus ſalis ammoniaci frigoris aliquot gradus produxerunt. In omnibus aliis fluidis productio frigoris ſine omni exceptione obſeruabatur, vt in ſpiritu vini rectificatiſſimi, ſpiritu vini Francici, in omnibus vinis tentatis, in cereuiſiis, in ſolutionibus ſalium, quemadmodum ex tabula, huic diſſertationi inſerta, luculentius

cogno-

cognoſci poterit. His per experimenta extra dubium conſtitutis, porro Auctor Cl. docet, frigus vel calorem ſub his circumſtantiis productum non eſſe eiuſmodi, quod ſolum apparet et a contractione ac dilatatione vitri potius, quam a contractione ac dilatatione ipſius mercurii pendet, ac proinde frigus eſſe reale caloremque realem, reuera enim in productione frigoris mercurius in thermometro contrahitur, et in caloris productione dilatatur. Tandem demonſtrat Auctor Cl. cauſam paradoxae huius frigoris ac caloris productionis quaerendam eſſe non in materia quadam frigefaciente, qua aër ambiens repletur, ſed potius in ſolutione frigida, dum fluidum, bulbo thermometri adhaerens, in vapores reſoluitur, quemadmodum alias frigus augeri animadvertitur, dum madida corpora lintea et alia exſiccari ſolent. Ex qua ſententia caſus ac phaenomena ſpecialia declarantur vberius, eiusque veritas ingenuoſis argumentis extra dubium ponitur, ac errores ſimul quorundam phyſicorum indicantur.

2. *Piſcium rariorum e muſeo Petropolitano excerptorum, deſcriptiones continuatae.* Auctore Cl. I. T. KOELREUTER. De nouem prioribus deſcriptionibus horum piſcium, quae aliis voluminibus iam inſertae ſunt, alibi ad Lectores retulimus *). Superſunt quatuor piſces, quorum deſcriptiones in praeſenti volumine reperiuntur. Primus ex iis eſt *lophius, oſſiculo frontis tentaculis carnoſis, centralibus, terminato.* Corpus habet maxima ex parte ventricoſum, craſſum, dorſum et circa caudam verſus cathetoplateum. Color abdominis albicans, reliqui corporis ex luteo albicans, lituris maculisque e bruno ferrugineis variegatus. Cutis verrucis ſcabris et papillis denticulatis minoribus obſita eſt. Vtraque p. 329.

maxilla

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XI. p. 590. et Vol. XIV. p. 131.

maxilla vt in *gadis* et *vranoſcopis* lamina oſſea inſtructa eſt, denticulis pluribus tenuibus obſita. Branchiae ab arcubus oſſeis tribus ſuſtinentur. Foramen vtrinque ſub pinnae pectoralis baſi ad branchias patens, vnicum. Pinna dorſi vnica radiorum duodecim ſimplicium, excepto penultimo, qui bipartitus eſt. Pinnae ventrales duae radiorum quinque carnoſorum, infimo bipartito. Pectorales ſeu potius laterales duae radiorum vndecim. Pinna ani vnica radiorum ſeptem. Pinna caudae, vt videtur indiuiſa, radiis nouem bipartitis. In capite oſſiculum, quod tentaculis carnoſis centralibus inſtruitur, gerit, aliudque corniculum in capite et dorſo habet. Longitudo tota 5′ 5″ eſt.

p. 337. Alter piſcium deſcriptorum eſt *mola aculeata, limbo abdominis producto, attenuato, carnoſo.* Corpus cathetoplateum ac circumſcriptione ouatum eſt. Cutis papillata et aculeata eſt. Aculei in toto corpore circiter viginti ſex numerantur, non in abdomine tantum, ſed etiam in fronte, ad orbitae marginem, in dorſo cet. reperiundi, baſi fixa inſtructi ſunt; os perparum prominet et roſtratum eſt; maxilla vtraque non indiuiſa, ſolida et nuda tantum lamina eſt, atque ſuperior, clauſo ore, ſuper inferiorem deflectitur. Pinnae pectorales duae radiorum tredecim: dorſalis vnica radiorum ad minimum quindecim: analis vnica radiorum ſedecim: caudales et ventrales nullae*). Longitudo tota 7¼″ eſt.

p. 340. Tertius piſcis eſt *percis, pinnae dorſualis radiis vndecim ſpinoſis, quatuordecim mollibus; faſciis duabus latis albicantibus.* An? *Sciaena lineis obliquis lacteis in*

*) Num hic piſcis ad *tetrodontis* vel *diodontis* genus pertineat, dubitatio nobis orta eſt. *Tetrodon* maxillas apice bipartitas et corpus tantum ſubtus muricatum habet, cum in hoc piſce maxillae non diuiſae et corpus omne ſpinis inſtructum ſit. Sed *diodon* ſpinis mobilibus inſtruitur, quae in hoc piſce fixae ſunt.

in vtroque latere. GRONOV. muſ. ichth. I. num. 91. Dorſum monopterygium et cauda indiuiſa eſt. Operculum branchiarum laminaque vtriusque lateris intermedia ſquamis inſtructa eſt, margo illius poſterior duabus diſtinctis ſpinarum, prominentium ac inter ſe diuergentium, ſeriebus armatur. Membrana branchioſtega, tribus tantum oſſiculis ſuffulcitur. Pinna dorſi radios vndecim ſpinoſos et quatuordecim molliores habet. Pinnae pectorales radiis decem inſtruuntur, qui omnes, exceptis duobus exterioribus, tam ſuperioribus, quam inferioribus, ſimplices ſunt. Pinnae ventrales radios ſex habent, quorum primus rigidus et ſpinoſus eſt. Pinna ani radios quatuordecim, caudae vero octodecim habet. Longitudo tota eſt 3′ 4″.

Vltimus eſt *percis faſciis tribus albicantibus; oſſe malae vtrinque in duas ſpinas, vnam longam, alteram breuem, producto.* Etiam dorſum monopterygium et caudam indiuiſam habet. Pinna dorſalis radios nouem ſpinoſos et octodecim inermes: pectorales radios $\frac{17}{32}$ ventrales $\frac{6}{11}$ analis 16 habet, quorum duo priores rigidi, reliqui molles et ſubramoſi ſunt. Longitudo tota 4′ 6″ eſt.

3. *Dentalii Americani, ingentis magnitudinis deſcriptio.* Auctore EODEM. Domicilium hoc vermis cuiusdam marini, a nauta quodam ex America Archangelopolin aduectum, nunc in muſeo Petropolitano reperiundum, magnitudine ſua ſingulari alia ſui generis ſuperat. Vocat vero Cl. Auctor illud *dentalium arcuatum, ſpongioſum, fuſcum; ſuperficie tuberculis contiguis exaſperata.* Longitudo eius ſecundum curuaturae arcum menſurata 4° 5′: ſecundum lineam rectam 4° 2′: altitudo ad extremitatem ſuperiorem 3′ 5″, diameter luminis 2′ 6″ eſt. Aliud quoque adeſt dentalium ſimile, ſed magis inconditum et irregulare, quod 3° 8′ longitudinem habet. p. 352.

4. *Obſer*

p. 357. 4. *Obſeruationes meteorologicae anni* 1759 *Petroburgi factae, et in eas conſiderationes*, Auctore Cl. BRAUNIO. Ex his obſeruationibus omnium maxime notandae ſunt: 1) obſeruationes barometricae, in quibus altitudo barometri ſumma Petroburgi hoc anno erat 28. 82. 9 nou. ſtil. vet. obſeruata infima vero 27.00. et quidem die 24 et 26 ianuarii. Quodſi ſumma haec altitudo comparatur cum altitudine ſumma aliorum annorum, minor ea eſt maxima aliis annis, et inprimis anno 1757 obſeruata 3½ lin. poll. Pariſ. minima vero, comparata cum illis aliorum annorum, maior eſt 7″ poll. Pariſ. 2) Ex tabula maximi et minimi caloris ſingulorum menſium frigus omnium maximum ac ſaeuiſſimum 26 decembris obſeruatum = 212, quale nunquam hoc loco obſeruatum, cum vltra gradum 202 et 203 aliis annis non proceſſiſſe, obſeruationes exactae docent. Occaſione huius frigoris vſus eſt Auctor Cl. ad nobile inuentum congelationis hydragyri extra dubium ponendum, frigus hoc ſaeuum penetrauit in terram vſque 30 pollices ped. Lond. Glacies Neuae cum craſſiſſima erat, aequabat 29 poll. ped. Lond. Calor maximus contigit d. 26 maii. 3) Notantur dies, quibus vehementiores venti, primum tonitru vna cum ſubſequentibus diuerſis menſibus 12 tempeſtatibus fulmineis, in quarum vna fulmen obſeruatum, quod in linea ſpirali mouebatur, aliaque phaenomena, vt halones circa ſolem et lunam, boreales luces obſeruata, inprimis vero notatu dignae ſunt vibrationes acus magneticae, mobiliſſimae obſeruatae fulmineis tempeſtatibus imminentibus, vel coelo tantum nubibus obducto, qui effectus electrici aëris eſſe videtur.

5) *Obſeruationes meteorologicae anni* 1760, *factae Petroburgi*, Auctore EODEM. Cum, quibus

libet

libet annis, eadem ſeries in obſeruandis meteoris ab Auctore Cl. obſeruata, hinc et hoc anno ſub hoc titulo occurrunt. 1) Tabula altitudinum barometricarum ſummarum ac minimarum vna cum differentiis earum per ſingulos menſes, ex quibus ſumma hoc anno 23. 58. infima 26. 74. Vtraque ſummo ſtudio cum ſummis ac infimis annorum tum antecedentis et aliorum comparatur. 2) Ex tabula maximi ac minimi caloris, per ſingulos menſes notati, elicitur, frigus maximum d. 13 ianuarii fuiſſe = 206 ac proinde 6 gradibus minus eo anni praecedentis, calor maximus vero obſeruatus menſe maio = 109. 3) aurorae boreales ſeptendecim, quarum tres erant perfectae, hoc anno conſpectae. Halo d. 12 ianuarii viſa eſt, circa ſolem cum tribus pareliis et d. 4 auguſti iterum halo circa ſolem apparuit ellyptica. Vtraque ob ſingularitatem ſingulari figura expreſſa. Primum tonitru d. 16 maii auditum, ſubſequentibus aliis diebus aliisque menſibus 9, in quorum nonnullis inſignes acus magneticae vibrationes ſe conſpiciendae praebebant, quae etiam nonnunquam coelo ſereno obſeruatae ſunt.

6) *Hiſtoria et examen chymicum lapidis nephritici.* Auctore D. I. G. LEHMANNO. Cl. Auctor hoc commentario apyrum lapidem in noſtris montibus non admodum rarum, *nephriticum* ſcilicet deſcribere aggreditur. Nephritici vero nomen ideo a veteribus obtinuit, quoniam in morbis renum magnam eius vim eſſe putabant. Antiquiſſimis ſcriptoribus plane incognitus eſſe videtur, licet *Comenſis lapis* PLINII (Hiſt. nat. Lib. 36. cap. 22.) cum eo quodammodo conueniat. Quem enim ſub nephritici lapidis nomine varii Auctores deſcripſerunt, is vel malachites fuit, vel lapis ſic dictus amazonum, vel alius lapis opacus virideſcens. Merito a Cl. IUSTI lapis, de quo hic ſermo eſt, ſerpentinis annu- p. 381.

meratur, cum orientales vulgo dicti ad iaſpides, malachitis aut lapidis amazonum genera pertineant. A WALLERIO inter gypſeos, a POTTIO inter calcareos falſo refertur, vt itaque Cl. CRONSTEDT primus ſit, qui veram eius naturam accuratius cognouerit, illum argillaceis lapidibus et ſpeciatim ſerpentino adnumerans. Eſt vero ex Cl. Auctoris
p. 390. definitione *nephriticus lapis*, qui hic deſcribitur, lapis lamelloſo-fibroſus, laeuis, compactus, mediocriter durus, in igne indureſcens, menſtruis acidis et alcalinis ſumme reſiſtens, ceterum vero polituram admittens, coloris plus, vel minus viridis et plerumque ex parte diaphanus. Locus eius natalis eſt Saxonia, Bohemia, Italia, Hungaria, Sileſia et forte etiam Hiſpania. Occurrit etiam in Sibiria. Inprimis vero in Saxonia Zoeblicii cum lapide ſerpentino effoditur, cuius venae cortex haud raro eſſe ſolet. Nonnunquam ex eo ſi purus eſt, vaſa vt ex ſerpentino parantur. Ad ſerpentinos vero lapides eum pertinere, Cl. Auctor ex eo demonſtrat, quod plerumque in fodinis lapidis huius inueniatur, eadem duritie eodemque fere colore gaudeat, eaſdem fere partes conſtitutiuas habeat et per experimenta chemica eadem fere producta, quae a lapide ſerpentino prouenire ſolent, oriantur. Menſtrua acida mineralia eum non ſoluunt, ſed aliquid tantum extrahunt, quod martialis indolis eſſe, praecipitationis ope Cl. Auctor cognouit. Eaſdem quoque martiales partes per ſublimationem cum ſale ammoniaco, mercurio ſublimato cet. detexit. Menſtrua alcalina nullam in eum vim exercent. Cum ſale tartari et borace fuſus, in vitrum ſubluteum, cum tartaro vitriolato et arſenico fixo, in vitrum viride mutatur. Cum argilla ſola vel cum argilla et ſmectite fundendo Cl. Auctor vitrum durum, cum chalybe ſcintillas ſpargens, obtinuit. Ex his itaque experimentis omnibus

con-

concludit: 1) lapidem hunc ſummopere cum amian- p. 411.
tho conuenire, 2) exigua quantitate partium martialium, qualis in hoc lapide reperitur, non tantum in vitrificatione, verum etiam in generatione lapidum, mirum in modum corpora terrea tingi poſſe. 3) Mineras auri, argenti, cupri cet. cum lapide nephritico, amiantho, asbeſto, tanquam lapidibus refractariis permixtas, facillime argillae ope fundi poſſe.

7) *De entrochis et aſteriis columnaribus trochlea-* p. 413.
tis, vulgo von Schraubenſteinen. *Accedit problema de petrefacto incognito, nouiter inuento.* Auctore D. I. G. LEHMANNO. Lapides cochleati ſunt lapides columnares cylindrici, vel pentagoni, nunc ſiliceae, nunc calcareae, vt plurimum tamen martialis indolis, ex lamellis, per certas diſtantias a ſe inuicem plus minusue ſeiunctis, et axi, per medium earum transeunti, cohaerentibus, conſtantes et cochleae figuram referentes. Eorum primum Angli ſcriptores, PLOTIUS et LUIDIUS mentionem fecerunt. Poſt eos BRÜCKMANNUS, RITTERUS etc. aliquas circa illos obſeruationes publicarunt. WALLERIUS vero et LINNAEUS *) eos omiſerunt. Lis tandem de iis orta eſt inter Cl. LIEBEROTH et CHRISTIANUM MYLIUM, quorum prior eos conchyliis, poſterior fragmentis capitis meduſae adnumerauit, quam vltimam ſententiam etiam Cl. SCHULZIUS aliique ſequuti ſunt. Antequam vero Cl. Auctor ipſos hos lapides accuratius conſiderat, de trochis et aſteriis atque, qui ex his componuntur, entrochis et aſteriis columnaribus pauca monet, oſtenditque haec petrefacta omnia partes encrinorum

*) Inſeruit tamen illud petrefactum Ill. LINNAEUS editione Syſt. Nat. XII. Vol. III. p. 170. ſub nomine helmintholithi (epitomii) diſſepimentis orbiculatis diſtantibus filo centrali connexis. Protypum tamen adhuc ignotum eſſe putat.

crinorum eſſe. Iam ad lapides cochleatos accedens, monet, eos in Anglia inprimis reperiri et Germania, inter quos ii maxime vulgares ſunt, qui in principatu Blankenburgenſi ex fodinis Huttenrodanis, atque inter Goslariam et Clausthalum eruuntur. Hos vero omnes entrochis columnaribus adnumerandos eſſe, pluribus ſpeciminibus, hic delineatis, probat, inprimis exemplari quodam, quod diffractum, eandem ſtellam pentagonam monſtrat, quae in compluribus trochis et entrochis columnaribus vulgo conſpicitur. Cauſſa vero differentiae, quae inter entrochos et lapides trochleatos eſt, poſita eſt in eroſione qua-
p. 429. dam, quam trochleati hi lapides paſſi ſunt. In fine huius commentarii Cl. Auctor deſcribit petrefactum quoddam, quod a nemine Auctorum deſcriptum eſſe putat. Eſt vero illud *entomolithus paradoxus* LINN.*) vti Auctor Cl. etiam in additamentis ad hunc commentarium monet. Credit, illud eſſe petrefactum oniſci cuiuſdam, aſſeritque, inſectum hoc haud raro in confiniis Petropolis viuum diuerſaeque magnitudinis a Secretario Academiae Cl. DE STAEHELIN repertum eſſe. Optandum tamen eſſet, vt Cl. Auctor inſectum hoc delineari curaſſet, cum tota haec lis adhuc ſub iudice ſit, atque Ill. LINNAEUS contra aſſerat, ad monoculornm genus illud pertinere. *Concham* ſic dictam *anomiam valuulis trilobis*, de qua alio loco Cl. LEHMANNUS egit **), eamque ſub nomine *Cacadumuſchel* delineari curauit, fragmentum tantum huius petrefacti eſſe, ipſe nunc fatetur.

*) Vide Syſt. Nat. edit. XII. p. 160. et ſcriptores ibi citatos. Iis vero addi debent plura loca ex transactionibus philoſophicis, vbi huius petrefacti, ſub nomine vulgari Anglico *Dudleyfoſſil*, mentio fit.

**) Vid. EIUSD. *Verſuch einer Geſchichte von Flötzgebürgen* p. 72.

XVII.

XVII.

NICOLAI LAURENTII BURMANNI Flora Indica, cui accedit ſeries zoophytorum Indicorum, nec non prodromus Florae Capenſis. Lugd. Bat. ap. Corn. Haek et Amſtelod. ap. Io. Schreuderum. 1768. 4mai. alph. 1. pl. 14. tab. aen. 67.

Qui ſingulari contentione feliciſſimoque niſu paterna veſtigia premit et elegantiſſima de geraniis diſſertatione *) primum, non vulgaris plantarum cognitionis, ſpecimen dedit, ab Eodem plurima facile, at non niſi egregia, omnique parte perfecta, pro rei herbariae incremento, expectare potuimus ſcripta. Praeſens, quam indicamus, Flora nullo certiſſime indiget praecone, hinc nec eandem et Cl. Auctoris in ea conſcribenda, adhibitam operam, nec inde expectandam vtilitatem multis laudari verbis debemus, inſtituti modo rationem breuiter exponamus.

Non quidem Indiam peragrauit Ipſe Cl. Auctor, ſed ab aliis in Indiis lectas, partim exſiccatas et in paterno muſeo hactenus conſeruatas, partim recentes, immo ex ipſis ſeminibus, Amſtelodamenſi in horto ſatis, enatas et vegetantes ſollicite inſpexit, ſummaque cura diſquiſiuit, ac cum illis, quae in euulgatis Indicarum rerum voluminibus exhibentur, plantis comparauit, obſcuras denique et incognitas vel deſcriptione, vel icone illuſtrauit et hac ratione plus ſane praeſtitit, quam multi alii, qui ipſimet has terras viſitarunt. Ne vero aliis ſua derogemus merita, ea clariſſimorum virorum commemoremus nomina, qui quaſi partem huius operis ſibi vindicant et ad quos pertinent plantae, in eodem recenſitae, prout

 Ipſe

*) vid. Commentar. noſtr. Vol. VIII. P. III. p. 529.

Ipſe Cl. Auctor eorum memoriam celebrauit. Per dimidium fere ſeculi Excellentiſſimus Parens ſingulari induſtria, imo fortuna, in colligendis his plantis occupatus, ex collectionibus praeſtantiſſimorum botanicorum, PISONIS, HERRMANNI, GARCINI, BREYNII, OLDENLANDII, HARTHOGII, KLEINHOVII, OUTGAERDENII et PRYONIS exſiccata obtinuit ſpecimina, imo ab vltimis quoque, nec non a D. DE SANTEN ſemina accepit; quibus omnibus itaque magnam ſui operis partem tribuit Cl. Auctor, inprimis autem KLEINHOVIUM, qui indefeſſo labore illo, quo in Iaua degit, tempore, botanices ſtudium coluit, hortum prope Batauiam exſtruxit, ſtirpes plurimas, ex China aliisque Indiae plagis allatas, ibidem coluit et vna cum ſeminibus amicis diſtribuit, encomio ornauit, praeterea LINNAEO, quem eo, quo Vpſaliae verſatus fuit, tempore, praeceptorem habuit, obſeruationes circa nonnullas plantas debere, monuit. Has omnes Indicas diuitias ſecundum ſexuale ſyſtema diſpoſuit, eximiorum Auctorum, ſi quae ſunt, ſynonyma adpoſuit, plurimas Phytographiae Plukenetianae, Horti Malabarici et Herbarii Amboinenſis dubias plantas ad ſua genera reduxit, rariſſimarum deſcriptiones addidit et in LINNAEI ſpeciebus et ſyſtemate naturae nondum memoratas, ſpecificis et veris, et triuialibus nominibus inſigniuit, cumque ſolae deſcriptiones haud claram ſemper exprimant ſtirpis formam, eas, quae vel nouae ſunt, vel antea obſcure delineatae, nouis iconibus illuſtrauit; de quibus vero illud addidit monitum: *quum plures ex ſpeciminibus, quorum quaedam ante ſeculi dimidium ſub torrida zona exſiccata fuere, deſumſerim, factum eſt, vt in nonnullis, quae nimis arida, nec extricanda oculorum aciem aufugiebant, fructificationum partes non tam rite, quam quidem exoptaveram, lectoribus conſpiciendas praebere potuerim.*

Omnes

Omnes ſunt nitide ſculptae, plantaeque formam egregie exprimunt.

Atque in hac generali recenſione facile ſubſiſtere poſſemus; verum in eorum gratiam, qui nouis rei herbariae inuentis delectantur, opus autem Burmannianum ſibi comparare haud poſſunt, primo hic delineatas plantas, ſecundum tabularum ſeriem indicare, deinde noua, ab Auctore conſtituta genera repetere et denique de ſpeciebus, et curatius definitis, et nunc primum memoratis, quaedam monere voluimus. Delineatur itaque:

Tab. I. Boerhaauia *diandra* et *erecta* LINN.
II. Nyctanthes *triflora*.
III. Nyctanthes *multiflora*.
Nalla-mulla H. Mal.
Iaſminum *oblongum*.
Azalea *roſmarinifolia*.
IV. Iuſticia *Chinenſis* LINN.
– – *gangetica* LINN.
– – *Madurenſis*.
V. – *nutans*.
Dianthera *hyſſopifolia*.
VI. Verbena *nodiflora* LINN.
– – *Iauanica*.
Valeriana *Chinenſis* LINN.
VII. Commelina *papilionacea*.
– – *diffuſa*.
– – *neruoſa*.
– – *criſtata* LINN.
VIII. – *nudicalis*.
Cyperus *odoratus* LINN.
Panicum *dimidiatum* LINN.

Tab. IX. Cyperus *vmbellatus*.
Scirpus *miliaceus* LINN.
Saccharum *ſpicatum* LINN.
Eriocaulon *ſexangulare* LINN.
X. Panicum *ſanguinale* LINN.
– – *lineare* LINN.
– – *patens* LINN.
XI. Panicum *repens* LINN.
Poa *Malabarica* LINN.
– *Chinenſis* LINN.
XII. Panicum *hirtellum* LINN.
Dactylus *lagopoides*.
Gramen geniculatum PLUKN. T. 189.
– *geniculatus*.
XIII. Spermacoce *ocymoides*.
Knoxia *Zeylanica* LINN.
Pauetta *Indica* LINN.

X 4 Tab.

Tab. XIV. Oldenlandia *tenuifolia*, Parpadagam, H. Malab.
Borago *Zeylanica*.
Capraria *uniflora*.
XV. Oldenlandia *paniculata* LINN.
— — *repens*, Neladsjira H. Malab.
Ammannia *baccifera* LINN.
Cometes *Surattenſis*, forte Clinopodium PLUKN. t. 380.
XVI. Heliotropium *Malabaricum*.
— — *Zeylanicum*.
Euoluulus *tridentatus* LINN.
XVII. Conuoluulus *mollis*.
XVIII. — — *vitifolius*. Conuoluulo ſimilis PLUKN. T. 25.
Ipomaea *ſagittaefolia*.
XIX. Heliotropium *Perſicum*.
Conuoluulus *angularis*.
— — *ſericeus*.
— — *ſpinoſus*.
XX. Conuoluulus *neruoſus*, a SLOANE Tab. 98. delineatus.
Ipomaea *hepaticaefolia* LINN.
XXI. Conuoluulus *gemellus*.
Conuoluulus *uniflorus*.
Ipomaea *paniculata*.
Tab. XXI.*Porana *volubilis*.
Apluda *ariſtata*.
Iſchaemum *ariſtatum*.
XXII. Solanum *Guineenſe* LINN.
— — *trilobatum* LINN.
— — *trifoliatum*.
XXIII. Embelia *ribes*.
XXIV. Vitis *trifolia* LINN.
Staphylea *Indica*
XXV. Celoſia *pyramidalis*.
Saraca *arboreſcens*.
Proſopis *ſpicata*.
XXVI. Echites *caudata*.
XXVII. — — *adglutinata*. Varietas a JACQUINO delineata. T. 23.
Aſclepias *cordata*.
XXVIII. Echites *nummularia*. Apocynum Indicum BREYN.
Quiſqualis *glabra*.
XXIX. Sium *Ninſi* LINN.
Claucena *excauata*.
XXX. Euoluulus *emarginatus*.
— — *hederaceus*.
Polygonum *Chinenſe* LINN.
XXXI. Galenia *Aſiatica*.
Polygonum *perfoliatum* LINN.
Zaleia *decandra*.

Tab.

Tab. XXXII. Vſubis *triphylla.*
Dais *octandra.*
XXXIII. Caſſytha *corniculata.* Caſſutha cornea RUMPH.
Caſſia *ſenna* LINN.
XXXIV. Fagonia *Indica.*
Iuſſiaea *tenella*, Camarambaya MARCGRAF.
XXXV. Limonia *trifolia.*
Quiſqualis *pubeſcens* LINN.
XXXVI. Glinus *lotoides* LINN.
– – *ononides.*
Corchorus *Iauanicus.*
XXXVII. Delima *ſarmentoſa.*
Corchorus *trilocularis.*
XXXVIII. Lauandula *multifida* LINN.
Moluccella *Perſica.*
Origanum *Benghalenſe.*
XXXIX. Rhinanthus *Indica* LINN.
Antirrhinum *papilionaceum.*
Steris *aquatica.*
Baſella *Iaponica.*
Gmelina *Indica.*
XL. Ruellia *tentaculata.*
– – *repanda* LINN.
XLI. Cornutia *corymboſa.* cornutioides LINN. Fl. Zeyl. 195.
Ruellia *repens.*
– – *erecta.*

Tab. XLII. Ruellia *Perſica.*
Acanthus *ciliaris.* vid. PLUKN. T. 993.
XLIII. Ouieda *mitis* LINN.
Vitex *pinnata* LINN.
XLIV. Volkameria *alternifolia.*
XLV. – – *multiflora.*
Pedalium *murex* LINN.
XLVI. Peltaria *Garcini.*
Heliophila *incana.*
Cleome *fruticoſa* LINN.
XLVII. Sida *Perſica.*
Hibiſcus *panduraeformis.*
XLVIII. Crotalaria *ſericea.*
– – *rara.*
Hibiſcus *Zeylanicus* LINN.
XLIX. Ononis *Perſica.*
Pſoralea *corylifolia* LINN.
Lotus *Perſicus.*
L. Dolichos *trilobus* LINN.
Glycine *monophyllos.*
LI. Cytiſus *Perſicus.*
Senecio *biflorus.*
Hedyſarum *ſpartium.*
LII. Hedyſarum *reniforme* LINN.
– – *triquetrum* LINN.
– – *moniliforme.*
LIII. – *lineatum* LINN.
– – *lagopoides* LINN.
LIV. – *capitatum.* Onobrychis PLUKN. T. 433.

Hedyſarum *ſtipulaceum.*
Tab. LV. — *proſtratum.*
— — *ſiliquoſum.*
LVI. — *crinitum.*
LVII. Hieracium *Iauanicum.*
Lapſana *Iaponica.*
Sicyos *Garcini.*
LVIII. Ethulia *diuaricata.*
Eupatorium *cordatum.*
Artemiſia *minima* LINN.
Conyza *iuaefolia.*
LIX. Conyza *lacera.*
Erigeron *piſonis.*
LX. Anthemis *Garcini.*
Sphaeranthus *Africanus.* LINN.
Lobelia *pumila.*
Senecio *tenuifolius.*
— — *coronopifolius.*
LXI. Acalypha *hiſpida*, quae cauda felis RUMPH.
Acalypha *ſpiciflora* eſt tithymalus PLUKN. t. 449.
Tab. LXII. Croton *tinctorium* LINN.
— — *racemoſum.* Benel hort. Malab.
Marſilea *Cormandelica.*
LXIII. Croton *haſtatum.*
Ricinus *ſpecioſus.*
LXIV. Croton *caſtaneifolium.*
— — *oblongum.*
Thuia *Iauanica.*
LXV. Ireſine *Perſica.*
— — *Iauanica.* Amaranthus PLUKN. T. 10.
LXVI. Ophioglosſum *pedatum.*
Polypodium *trapezioides.*
— — *radicans.*
Adianthum *truncatum.*
LXVII. Polypodium *ſpinuloſum.*
— — *lineare.*

Ex data hac delineatarum plantarum recenſione ſatis et abunde patet, quam multas, vel primum hic enarratas, vel perfectius ſculptas ſtirpes Cl. Auctor propoſuerit; verum plura inſunt Florae, quae ad genera aeque ac ſpecies pertinent. Ex nouis illis, quae Ill. A LINNE´ nuper in duodecima Syſtematis Naturae editione exhibuit, generibus, nonnulla ampliori charactere, ab Auctore forte primum *) definita,

*) Multa in hac Flora deprehendimus, quae quidem noua videntur, dum vero LINNAEI Syſt. Nat. edit. duodecimam et annexam mantiſſam perluſtramus, plurima

finita et accuratius determinata, deprehendimus. Ita in *ſtilaginis* deſcriptione antherarum nullam mentionem fecit, genus autem ad gynandrias diandrias retulit LINNAEUS, ex hac vero claſſe ad triandrias amandauit Cl. Auctor et duas modo ſubglobosas antheras et tria filamenta deſcripſit. In *comete* cuiuis floſculo petala quatuor oblonga aequalia tribuit, quae pro calice aſſumſit LINNAEUS. In *ſaraca* filamenta ſex, vtroque latere tria, etiam deſcripſit BURMANNUS, an autem eadem baſi inter ſe connata ſint, non annotauit; imo eandem a diadelphiis, quorſum LINNAEUS retulit, ad hexandrias, amandauit, in eodem quoque genere calcaneo inſtructas antheras eſſe retulit; addidit vero, an polliniferae? In *proſopi* calicem quadridentatum LINNAEUS, quinquedentatum Cl. Auctor deſcripſit.

Genera autem, quae a LINNAEO forte nondum commemorata et primum a Cl. Auctore nominata et definita ſunt, ſequentia inuenimus. *Vallaris*, flos pergulanus RUMPH. *) Floreſcentia vmbellaris, calix quinquepartitus paruus, corolla monopetala

rima ex his iam annotata inuenimus. Imo quod ſerius prodiit BURMANNI opus et inprimis eidem additae icones ſaepe citantur in mantiſſa. Cum vero in Indica Flora mantiſſae nulla plane facta ſit mentio, eandem forte BURMANNUM conferre non potuiſſe, LINNAEUM autem Huius opus, antequam in publicum prodiret, vidiſſe, probabiliter coniicimus. Inde autem lectoribus difficultatem aliquando oriri, facile patet, inprimis cum plantae, in vtroque opere memoratae, non iisdem ſemper nominibus inſignitae, inueniantur. e.g. *Parietariae Indicae* nomine BURMANNUS exhibet *herbam memoriae* RUMPH. *parietaria Indica* LINNAEI eſt *crataeogonum* RUMPH.

*) Idem nomen Pergulariae glabrae ſuppoſuit LINNAEUS mant. p. 53. hinc forte Huius et Cl. Auctoris genus vnum idemque erit. Aſt pergularia inter pentandrias digynias occurrit.

nopetala hypocrateriformis, limbo quinquelobato, filamenta quinque, tubum terminantia, antherae ſagittatae cum veſicula a tergo, germen ouatum, ſtylus longitudine ſtaminum, ſtigma obtuſum. *Porana*, calix pentaphyllus, foliolis corolla dimidio breuioribus, corolla monopetala, campanulata, ſemiquinquefida, laciniis aequalibus, ſtamina quinque, germen ſubrotundum, ſtylus ſemibifidus, ſtigmata capitata.
p. 87. *Claucena*, calix monophyllus, quadridentatus, breuis, petala quatuor ſubrotunda, filamenta octo, inferiori parte incraſſata, intus excauata, nectarium conſtituentia, antherae verſatiles, germen ſubrotundum,
p. 88. ſtylus et ſtigma ſimplex. *Protium*, quorſum ſpectat tingulong RUMPH. Calix monophyllus, ſubquadridentatus, perſiſtens, petala quatuor aequalia, ouato-acuminata, nectarium cingens germen ouatum inter ſtamina, vrceoli inſtar, filamenta octo, antherae oblongae totidem, quaſi ex quatuor connatae, ſtylus et ſtigma ſimplex. Drupa vnilocularis, ſemen ſub-
p. 89. rotundum. *Vſubis*, folia ternata, flores racemoſi, calix diphyllus, petala quatuor, ſubrotunda, calice minora, ſtamina octo, germina duo, pedicellata, flore
p. 110. longiora, ſtyli duo, ſtigmata ſimplicia. *Zaleya*, calix pentaphyllus intus coloratus, corolla nulla, ſtamina duodecim, licet ſpeciem decandram dixerit, ſtyli duo, capſula circumſciſſa, bilocularis, ſemina duo, ſupra et infra quadrangularia. Denique dubium genus, ribeſioidis nomine in flora Zeylanica modo propoſitum, in reliquis autem ſcriptis a LINNAEO non porro commemoratum, reuocauit, eoque loco datam deſcriptionem confirmauit, aſt nouo nomine *embeliam* dixit.

Inter ſpecies, praeter illas, in tabulis exhibitas, multae aliae occurrunt, deſcriptionibus illuſtratae nominibusque accuratius determinatae; quarum quidem nonnullae in aliorum ſcriptis inueniuntur, plurimae

plurimae autem hoc loco primum commemorantur. Has, quae plane nouae ſunt, nunc repetere nimis longum foret, earum etiam variae in LINNAEI Syſt. Nat. edit. duodecima et mantiſſa inueniuntur, hinc modo illas, ex aliis notatas et ad ſua genera relatas, triuiali tantum addito nomine, recenſeamus.

Maranta *Malaccenſis*,	quae	Galanga *Malaccenſis* RUMPH.
Nyctanthes *acuminata*,	–	Flos *Manilhanus* RUMPH.
Iuſticia *paniculata*,	–	Cara-Caniram H. Malab.
– – *moretiana*,	–	Moretiana RUMPH.
– – *gendaruſſa*,	–	Gendaruſſa ſoſa RUMPH.
Schoenus *tuberoſus*,	–	Mottenga H. Malab.
– – *paniculatus*,	–	Carex Amboinica RUMPH.
Scirpus *capitatus*,	–	Gramen PLUKN. T. 190. f. 7.
Panicum *punctatum*,	–	Gramen PLUKN. T. 191. f. 1.
Alopecurus *typhoides*,	–	Gramen PLUKN. T. 32. f. 4.
Cynoſurus *lagopoides*,	–	Amaranthoides PLUKN. T. 357. f. 4.
Stipa *littorea*,	–	Cyperus littoreus RUMPH.
Mollugo *triphylla*,	–	Anthyllis Indica PLUKN. T. 357. f. 1.
– – *paniculata*,	–	Alſine lutea BURM. Zeyl. T. 6.
Solanum *Surattenſe*,	–	Solanum Americ. H. Elth. f. 346.
Rhamnus *nummularia*,	–	Iuiuba Zeyl. PLUKN. T. 197. f. 2.
– – *vitis Idaea*,	–	Rhamnus Zeyl. BURM. Zeyl. T. 88.
– – *heterogeneus*,	–	Iuiubae ſimilis PLUKN. T. 312. f. 4.
Echites *ſpinoſa*,	–	Carandas RUMPH.
Periploca *dubia*,	–	Katu-pal-valli H. Malab.
Apocynum *vincaefolium*,	–	Apocynum PLUKN. T. 260. f. 14.
– – *foetidum*,	–	Conuoluulus foetidus RUMPH.

Craſſula

Craſſula *ſcutellaria*, quae Scutellaria prima RUMPH.
Pontederia *vaginalis*, – Plantaginis aquaticae folio PLUKN. T. 215.
Memecylon *umbellatum*, – Cornus altera BURM. Zeyl. T. 31.
Laurus *Malabathrum*, – Sindoc RUMPH.
Melia Koetjape. – Arbuſcula PLUKN. T. 145. f. 4.
Rhizophora *caryophylloides*, – Mangium caryoph. RUMPH.
Glinus *dictamnoides*, – Alſine lotoides PLUKN. T. 356. f. 6.
Pſidium *cuiauillus*, – Cuiauillus RUMPH.
Eugenia *aquea*, – Iamboſa aquea RUMPH.
Myrtus *ſaligna*, – Arbor alba minor RUMPH.
Capparis *carandas*, – Carandas RUMPH.
Calophyllum *Nagaſſarium*, – Nagaſſarium RUMPH.
– – *akara*, – Akara patsjoti H. Malab.
Marrubium *Indicum*, – Marrubium odoratiſſ. BURMAN. Zeyl. T. 71 *).
Gmelina *Coromandelica*, – Rhamnus SLOANE T. 207. f. 1.
Seſamum *Iauanicum*, – Bahel-Tsjulli H. Malab.
Ruellia *anagallis*, – Cruſta ollae RUMPH.
– – *alternata*, – Prunella Malacca RUMPH.
Siſymbrium *ſinapis*, – Draba anguſtifolia BARREL. ic. 270.
Sida *acuta*, – Silagurium anguſtifolium RUMPH.
Polygala *thea*, – Polygala fruteſcens BURM. Zeyl. f. 85.
Dolichos Catjang, – Phaſeolus minor RUMPH.

Dolichos

*) Idem ſynonymon addidit Cl. Auctor monardae Zeylanicae, vt hinc eadem planta bis et ſub diuerſo genere memorata videatur.

Dolichos *vncinatus*, – quae Phaſeolus ſubhirſutus PLUKN. T. 219. f. 2.
Glycine *triloba*, – Trifol. maderaſpat. PLUKN. T. 170. f. 7.
Galega *barba Iouis*, – Ornithopodium PLUKN. T. 52. f. 1.
– – *colutea*, – Colutea PLUKN. T. 166. f. 3.
Arnica *tuſſilaginea*, – Doronicum PLUKN. T. 390. f. 6.
Sphaeranthus *amaranthoides*, – Amaranthoides PLUKN. T. 357. f. 6.
Epidendrum *articulatum*, – Herba ſupplex V. RUMPH.
– – *caninum*, – Angraecum caninum RUMPH.
Croton *polot*. – Folium vrens RUMPH.
Myrica *aſplenifolia*, – Myrtus Brabanticae ſimilis PLUKN. T. 100. f. 6.
Smilax *Indica*, – Kar-vilandi H. Malab.
Dioſcorea *cylindrica*, – Kappa-kelengu H. Malab.
Meniſpermum *glabrum*, – Cit-Amerdu H. Malab.
Andropogon *dulce*, – Cyperus dulcis RUMPH.
Parietaria *Indica*, – Herba memoriae RUMPH.
Ficus *ſeptica*, – Idem nomen RUMPH.
– – *ampelos*, – Folium politorium RUMPH.
– – *Tſiakela*, – Triuiale nomen in H. Malab.
– – *groſſularioides*, – Valli-teregam H. Malab.
Ophiogloſſum *circinnatum*, – Adianthum volubile RUMPH.
Aſplenium *arifolium*, – Patitsjivi-maravara H. Malab.
Polypodium *laciniatum*, – Elettadi-maravara H. Malab.

Plura alia, ex cryptogamiis determinata curatius, ſtudio omittamus et nonnullas adhuc ex obſervationibus repetamus. *Oleam Indicam* foliis lanceo- p. 6.
latis

latis ſubtus tomentoſis quidem diſtinguit, aſt ab Eu-
p. 40. ropaea vix differre monuit. *Heliotropii* tres exhibuit icones, quarum prima *Malabaricam* plantam ſiſtit, albo tomento et lanugine obductam, *Europaeo* autem ſimillimam; altera *Zeylanicam* repraeſentat, quae varietas eſt *Curaſſauici*, et tertia *Perſica* ad *fru-*
p. 50. *ticoſum* amandatur. *Ipomaeae*, *pes tigridis* dictae exemplar Iauanicum ſetis albicantibus, rugoſum, Perſicum vero glaberrimum vidit. *Myrtum Leucadendram* LINN. et *ſalignam* pretioſum illud oleum
p. 131. Caiu-poeti praebere docuit. *Antirrhinum papilionaceum* ſingularem gerit calicem, eiusque folium ſupremum cordatum tegit corollae latus ſuperius, inſtar vexilli, reliquis quatuor breuioribus lateribus corollae
p. 132. incumbentibus. *Cornutiae corymboſae* radix, eiusque cortex oleum praebet aromaticum, odoratu ſuauiſſimum, et in ventriculi debilitate ac vomitu effi-
p. 219. caciſſimum. *Andropogon ſhoenanthus* deſtillatione praebet oleum, ſeree dictum, quod ad confortandum ſtomachum, cibisque et condimentis gratum conciliandum odorem et ſaporem per totam Indiam adhibetur, vinumque ex *Palma Saguero* praeparatum, ita conſeruat, vt in alias transmitti poſſit re-
p. 203. giones. *Acalyphae hiſpidae* flores, referente PRYONE, ſpecificum praebet remedium in diarrhoea et omni morbo, ex laxitate vaſorum orto.

Zoophyta, quia creſcendi modo vegetabilium naturam aemulantur et pro plantis marinis habita fuerunt, florae addidit Cl. Auctor, eademque, quatenus in India Orientali inueniuntur, duabus paginis, nomine generico et triuiali plerumque tantum notatis, recenſuit.

De Florae Capenſis prodromo, qui paginas 33 implet, plura dicendi aliam expectamus occaſionem, modo nunc moneamus, ſexuali methodo diſpoſuiſſe plantas eas, quae in LINNAEI vel aliorum ſcriptis deter-

determinatae occurrunt, generico et triuiali tantum nomine excitaſſe, reliquis et primum hic memoratis vt plures ſunt antholyzae, ixiae, leucadendri, craſſulae et aliae ſpecies, noua ſpecifica nomina, ſaepius etiam deſcriptiones addidiſſe, imo et genera nonnulla noua condidiſſe. *Nigrina*, *plectronia* et *monſonia*, accuratius a Cl. Auctore forte primum conſtituta, in mantiſſa Linnaeana iam occurrunt, reliqua, quae in prodromo ſolum inueniuntur, ſunt: *callicornia*, calix communis ouatus imbricatus coloratus, corolla compoſita radiata, floſculi hermaphroditi tubuloſi, lingulati foeminei trifidi, anthera cylindrica, vtrisque germen paruum, ſtylus ſimplex, ſtigma bifidum; calix immutatus continet ſemina, pappo plumoſo quinqueſeto ornata, et thalamo paliaceo affixa. *Pardiſium*, planta acaulos, ſcapi aphylli vniflori, calix communis imbricatus, corolla hermaphrodita, diſci, tubuloſo qninqeufido, radii, lingulata, tridentata, antherae cylindraceae, ſtylus ſemibifidus, calix immutatus, ſemina ouata, pappo plumoſo, thalamus paleaceus. *Brabeiaria* folia verticillata, amenta axillaria, ſquamis imbricatis multifloris, floſculorum calix nullus, corolla infundibuliformis quinquefida, ſtamina quinque, ſtylus vnus; collocauit genus Cl. Auctor inter gynandrias polyandrias et monoecios, an ad priorem claſſem pertineat, ex data definitione cognoſcere haud licet. *Perpenſum*, ad monoecias triandrias relatum, caulem habet nullum, folia radicalia reniformia, ſcapi amenta ex ſquamis vnifloris compoſita, calix nullus, corolla nulla; ſtaminum filamenta nulla, antherae duae, oppoſitae, geminae; ouarium apice bifido, ſtyli duo reflexi, ſemen induratum cortice tectum. Genus, nouo nomine *Ireon* dictum et hic deſcriptum, *roridalam* LINNAEI eſſe, Ipſe Cl. Auctor in emendandis monuit, et *vieuſſeuxiam* ex RO-

CHII Diſſert. citauit. Inter ſpecies nouas ſingulari ſtructura attentionem meretur *amaryllis bulbiſperma;* haec loco fructus profert capſulam, ſaccum membranaceum continentem, cui includitur bulbus orbiculato planus, qui poſt menſis fere ſpatium progerminauit. Capenſes diuitias, hic modo indicatas, a Cl. Auctore copioſiores explicandas, nobiſcum certe exoptabunt omnes.

XVIII.

CAROLI A LINNE, Equitis aurati de ſtella polari, Acad. Pariſ. membr. cet. Syſtema naturae per regna tria naturae, ſecundum claſſes, ordines, genera, ſpecies, cum characteribus et differentiis. Tomus III. Holmiae, impenſis Direct. Laurentii Saluii, 1768. 8 mai. pl. 16. tab. aen. 3.

Cum in vltimis editionibus ſyſtematis naturae Linnaeani, quae duodecimam, de qua hic agimus, antecedunt, duo tantum regna contineantur, *animale* ſcilicet et *vegetabile*, *lapideum* vero deficiat; omnes, qui corporum naturalium ſyſtematicam cognitionem acquirere cupiunt, nobiſcum gratias acturos eſſe arbitramur Ill. Auctori, quod in hac noua editione non ſolum foſſilium methodicam diſpoſitionem addere, ſed et methodum, olim propoſitam, foſſilibus nouiter inuentis augere, atque cuiuis corpori huius regni nomen quoque triuiale addere, ei placuerit. Quamquam enim ea eſt Ill. Auctoris modeſtia, vt ipſe de ſuis in lithologiam meritis profiteatur, ea non tanta eſſe, vt ex iis multum ſuperbiae et ſpiritus ſibi accedere poſſit; tamen vel ii, quibus methodus, qua Ill. Auctor foſſilia ad externos potiſſimum characteres diſpoſuit, quam in hac quoque editione

non

non mutauit, minus placet, et qui chemicos chara-
cteres praeferunt, concedere debent, elucere vbique
ſummam Auctoris ingenii vim et acre iudicium, li-
brumque hunc tam perfectum eius opera nunc fa-
ctum eſt, quantum leges methodi, quam ſequitur,
id fieri permittant.

Praemiſſa eſt in hac editione diſputatio breuis
de regno lapideo in vniuerſum, enumeratio porro p. 9.
praecipuorum ſyſtematum lapidum, inter quae Bro- p. 13.
melianum primum eſt, tandemque explicatio prae-
cipuorum terminorum, quibus Ill. Auctor vtitur, p. 19.
quae omnia, cum in epitome redacta vix tradi poſſint,
hic omittimus.

Omne vero minerale regnum ab Auctore No-
ſtro in tres claſſes, *petras* ſcilicet, *mineras* et *foſſilia*
diuiditur. *Petrarum* claſſis, quae olim e tribus tan- p. 35.
tum ordinibus, *vitreſcentibus*, *calcariis* et *apyris* lapi-
dibus conſtabat, nunc quinque ordinibus componi-
tur. Primus eorum eſt ordo *humoſarum*, quae e ve-
getabili terra depoſita ſunt: alter *calcariarum*, ex ani-
malium terra oriundarum: tertius *argillacearum*, e
maris ſedimento viſcido natarum: quartus *arenata-*
rum, quae ex aetheris aqua pluuiali praecipitante
originem ducunt: tandemque quintus *aggregata-*
rum, quae e quatuor praecedentibus compoſitae
ſunt. Ad *humoſas* petras vnicum tantum *ſchiſti* ge-
nus pertinet, ad *calcariarum* vero ordinem: *marmor*,
gypſum, quod nouum genus eſt, cum in prioribus
editionibus lapides gypſeos Auctor Cl. marmoribus
adnumerauerit; *ſtirium* nouum quoque genus, quod
lapides gypſeos e filis parallelis, approximatis com-
poſitos, ſiue *gypſum fibroſum* CRONSTAEDTII
comprehendit; tandemque *ſpatum*. *Argillacearum*
ordo continet genera *talci*, cuius ſpecies nunc etiam
lithomarga et *rubrica* ſunt, quae olim ad *margas* Ill.
LINNAEVS retulerat; *amianti*, ſub quo nomine

generico duo genera priorum editionum *aſbeſti* ſcilicet et *amianti* coniunguntur; et *micae*, cui etiam *talcum officinarum* nunc adnumeratur. *Arenatarum* ordo tria habet genera, *cos*, *quarzum* et *ſilex*, cuius ortum Ill. Auctor, vti notum eſt, e calce et praecipue ex creta deriuat. *Aggregatarum* tandem ordinem vnicum *ſaxi* genus conſtituit, quod olim ad *foſſilium* claſſem pertinebat.

p. 81. Secunda claſſis, quae *mineras* continet, in tres ordines diuiſa eſt, ſcilicet in *ſalia*, *ſulphura* et *metalla*, quae in prioribus editionibus *mercurialium* nomine inſigniebantur. *Salium* ordo ſex generibus componitur. Eorum primum eſt *nitrum*, ad quod *lapidem* quoque *ſuillum priſmaticum* WALLERII, Ill. Auctor refert. Alterum eſt *natrum*, vbi monet, veram notitiam *natri antiquorum* adhuc deficere, cum id, quod HASSELQUISTIUS e Palaeſtina ſub hoc nomine miſerat, argilla tantum muriatica fuerit. *Natrum fontanum* ſiue *ſal purgans* ex ſale muriatico et ferro ex Auctoris Ill. mente natum eſt, illudque probare annititur ex geneſi huius ſalis ad parietes aheneorum ferreorum, in quibus ſal culinare coquitur. Quae res omnino vlteriori examine digna eſt, cum ſalis amari in plurimis fontibus, e quibus ſal culinare paratur, praeſentia, experimentum fallax reddere poſſit, ipſique experti ſimus, ſal, quod variis in locis tubis ferreis, per quos aqua ſalſa ducitur, adhaeret, album et ſtypticum, eſſe vitriolum aliquod, ex acido ſalis et ferro ortum, nullamque fere baſin alcalinam continens. Huic quoque generi *ſelenitae* ſpecies priorum editionum inſertae ſunt. Tertium *ſalium* genus, *boracis* ſcilicet, plane nouum eſt. Habet vero illud cryſtallos priſmaticas, octaëdras, apice vtroque pyramide truncata vel alia, et ſaporem obtuſum. In igne intumeſcit et vitreſcit. Ad illud pertinent *borax nudus* ſeu *tincal*; *borax gemma nobilis*, lapidoſus

priſma-

priſmaticus pellucidus, pyramidibus truncatis, ſeu *nitrum quarzoſum coloratum* muſei Teſſiniani, quod *topazium*, *cryſolithum*, *beryllum* et *ſmaragdum* comprehendit; *borax baſaltes; borax electricus* ſiue *tourmalinus; borax granatus* et *borax margodes*. Quarto ſalium generi *muriae*, etiam nunc *lapis Bononienſis* ſub nomine *muriae phoſphoreae* inſertus eſt. Quintum genus *aluminis*, et ſextum *vitrioli* eſt, cum *ſelenitae* genus, vt monuimus, ad *natri* genus nunc relatum ſit. Sequuntur *ſulphura*, nouo *ambrae* genere, quod p. 107. olim ad *electri* genus pertinebat, aucta. Reliqua huius ordinis genera ſunt *ſuccinum*, *bitumen*, *pyrites* et *arſenicum*. Tertium huius claſſis ordinem, *metallorum* ſcilicet, componunt ſequentia genera. *Hydrargyrum; molybdaenum*, nouum genus, cuius metallum p. 119. non fuſile eſt, (quod tamen mineram eſſe, omnia attributa euincunt, licet chemica ars metallum nullum produxerit,) cinereum, inquinans et vitro ſubferrugineum colorem praebens. Ad hoc refert *plumbaginem* ſeu *molybdaenam vulgarem*, *magneſiam* et *ſpumam lupi*, quam Germani *Wolfram* dicunt; *ſtibium* porro; *zincum; biſmuthum; cobaltum*, quod etiam nouum genus eſt. Metallum eius fragile eſt, albido-caneſcens, in igne non fuſile, ſolutione in acido nitri et aqua regis rubrum colorem obtinens, et vitro coeruleum colorem largiens; *ſtannum*, inter cuius ſpe- p. 236. cies etiam natiuum, in actis Anglicis *) deſcriptum, numerat; *plumbum*, vbi noua huius mineralis ſpecies cryſtallina rubra, a Cel. LEHMANNO **) deſcripta, quae Catharinenburgi in Sibiria ante aliquot annos detecta eſt, minime deſideratur, quam *plumbum* (*rhombeum*) hexaëdrum, fuluum vocat; alia quoque

 ſpecies

*) Vid. Tranſact. Philoſ. Vol. LVI. p. 35. et p. 305. et Comm. noſtr. Vol. XV. p. 495 et 512.

**) Vid. I. G. LEHMANN noua minera plumbi, Petropol. 1766. 4.

ſpecies hic occurrit, quae nondum ſatis deſcripta eſſe videtur, quam Noſter *plumbum* (*pellucidum*) hyalinum, raſile, efferueſcens vocat, et quarzo ſimilem eſſe atque in Auſtria reperiri aſſerit, quae forte ad *ſpata plumbifera* pertinet; *ferrum; cuprum*, cuius mineris etiam *lapidem lazuli*, cum Cel. MARCGRAFFII experimenta *) Noſtro forte nondum innotuerint, *lapidem armenum* et *cuprum nicolai*, quod Germani *Kupfernickel* dicunt, et quod CRONSTAEDTIUS tanquam peculiare ſemimetallum deſcripſit, adnumerat. Duo vltima metallorum *argentum* et *aurum* ſunt, cum *platina* ab eo nondum inter metalla relata ſit.

p. 153. Tertia tandem *foſſilium* claſſis, vti iam in prioribus editionibus factum eſt, ex *petrificatis*, *concretis* et *terris* componitur. *Petrificatorum* genera cum generibus eorum, quae in prioribus editionibus conſtituta ſunt, conueniunt. *Entomolithus paradoxus* ſiſtit *oniſcum petrificatum* LEHMANNI **) *conchitem anomium valuulis trilobis* et *lapidem fiſſilem aluminarem, inſectorum veſtigia exhibentem*, BROMELII. *Helmintholithus androdamas* eſt *mytili margaritiferi* tendo cardinis induratus, e viridi et coeruleo varians, quem *pennam pauonis* vulgo dicunt, et qui in actis Stockholmenſibus deſcriptus eſt ***). Nondum credit Cel. Auctor, *lapidem Iudaicum* ex ſpinis *echini* eſſe. Nulla enim ei cognita eſt echinorum ſpecies cum eiuſmodi ſpinis, totusque lapillus conſtat ſpato duriſſimo, qui ſolet indicare cauitatem, in qua naſcitur. Vt vero aliorum teſtimonia taceamus, ex ſpecimine lapidis Iudaici, echino adhuc adhaerentis, quod Cl. DE

LUC

*) Vid. Memoir. de Berlin 1758. p. 10. Comm. noſtr. Vol. XIV. p. 629.

**) Vid. Act. Petropol. 1766. p. 429. et ſupra p. 324.

***) Vid. Act. Stockholm. 1759. p. 24. Comment. noſtr. Vol. X. p. 197.

LUC, ciuis Geneuenſis delineari curauit *), origo lapidum Iudaicorum extra omnem dubitationem poſita eſt. *Lapis trochleatus*, quem Germani *Schraubenſtein* vocant, de quo ſuperius dictum eſt **), in hac editione ſub nomine *helmintholithi epitomii* occurrit. In p. 175.
ordine *concretarum ſaxi* genus, ad petras relatum, vti monuimus, deficit. *Helmintholithus echinitis aetitae embryonibus cryſtallinis fixis* muſei Teſſiniani, *aetites cretaceus* hic vocatur. *Zeolites* CRONSTAEDTII aliorumque Auctorum ab Ill. LINNAEO *ſtalactitibus* adnumeratur atque *ſtalactites* (*zeolithus*) *ſpatoſus*, *rufeſcens*, vocatur. *Arſenicum ſchiſti lenticularis atri* priorum editionum, ſiue *fiſſilis rudis reniformis* WALLERII (*Schieſernieren*) iam *tophus* (*lenticularis*) *ſchiſtoſus ſolidus ater* audit. In *terrarum* ordine p. 192.
ſequentia praecipue mutata in hac editione deprehendimus. *Antimonium fibris capillaribus ſparſis* prioris editionis, *ochrae* generi nunc ſub nomine *ochrae* (*ſtibiginis*) *germinantis rubrae* inſertum eſt. *Margae* genus, quod duas ſpecies habebat, *lithomargam* et *rubricam*, ad *talci* genus nunc relatum eſſe, ſuperius adnotauimus. *Cretae* genus vna cum *morochto* et *agarico minerali* CRONSTAEDTII nouum genus, quod *calcis* nomine inſignitur, conſtituit. *Calx lenticularis* huius editionis eſt *tophus calcarius lenticularis*, qui vulgo *lentium bethlehemitarum* nomen gerit.

Addita eſt huic volumini deſcriptio figurarum p. 213.
diuerſarum cryſtallorum et explicatio earum affinitatum tribus tabulis aeneis illuſtrata. Hanc excipit p. 223.
appendix ad vniuerſum ſyſtema naturae, varia noua animalia variasque nouas plantas atque emendationes continens, ex qua ſequentia notamus. Noua

 canis

*) Vid. Memoir. préſent à l'Acad. roy. des Scienc. Tom. P. IV. p. 467. Comm. noſtr. Vol. XII. p. 203.
**) Vid. ſupra p. 323.

canis ſpecies deſcribitur, quam *canis* (*corſac*) *cauda fulua baſi apiceque nigra* vocat, quae in campis deſertis ad flumen *Irtim* habitat. Ex *cauiae* deſcriptione, quam Cl. PALLAS dedit *) nouum *cauiae* genus conſtituitur, quod *dentes ſuperiores duos diſtantes*, *inferiores quatuor approximatos* habet. *Aper aethiopicus* EIUSDEM **) vocatur *ſus* (*Aethiopicus*) *ſacculo molli ſub oculis*. *Simiae oedipi* deſcriptio ad viuum animal emendatur. *Rhinoceros*, cum ex Cel. KAESTNERI obſeruatione in eo dentes primores remoti ſolitarii, occurſantes, ideoque non laniarii ſint, iam inter bruta ante *bradypum* locatur. *Sus hydrochaeris* pedes vngulatos nec vnguiculatos habet, ideoque *bellua*, nec *glis*, eſt. Reliqua, quae ad auium et inſectorum praecipue claſſes ſpectant, omittimus. Dolemus vero, Ill. LINNAEUM nec in his additamentis ad quadrupedum hiſtoriam egregio BUFFONI opere vſum eſſe, ex quo multa emendari
p. 229. addique potuiſſent. Plantae vero, quae in his additamentis vel accuratius vel primum deſcribuntur, ſunt: *ſtipa ariſtella*, *rubia cordifolia*, *conuoluulus pentapetaloides*, *rhamnus Siculus*, *craſſula verticillaris*, *aliſma parnaſſifolia*, *ſilene porrigens*, *arenaria Balearica*, *anemone Canadenſis*, *ſinapis braſſicata*, *bunias Aegyptiaca*, *cleome gigantea* et *aculeata*, *polygala trichoſperma*, *indigofera diſperma*, *trifolium ochroleucum*, *theobroma anguſta*, cuius plantae genericus character fuſius quoque deſcribitur, *calea ſcoparia*, *gnaphalium ſupinum*, *conyza balſamifera*, *lichen vernalis*, *lycoperdon varioloſum*, *byſſus ſepticus*, *hyoſcyamus ſcopolia*, *cynanchum aphyllum* et *ſpilanthus atriciplifolius*.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 240 et 493.
**) Ibid. p. 241.

XIX.

XIX.

BARTHOLOMAEI PATUNA, Phil. et Med. D. epiſtola phyſico-medica, continens hiſtoriam fetus, ſine inuolucris extra vterum iuuenti, placenta intra vterum haerente, ad Cel. Vir. IOAN. BAPTIST. MORGAGNIUM, in Patauio Lyceo P. P. Anat. Profeſſ. cet. Viennae e typographeo Kaliwodiano, 1765. 8. pl. 2½.

Epiſtola hac, diſſertationis inauguralis loco conſcripta, Cl. Auctor rariſſimam profecto obſeruationem communicat, factam in ſectione mulieris, ſub ipſo partu ex vteri haemorrhagia mortuae. Femi- p. 12.
na erat triginta quinque annorum, octo infantum et inter hos gemellorum mater, quos partus omnes laborioſos habuerat. Haec ſub octaua grauiditate quinto grauiditatis menſe magnam vteri haemorrhagiam ex lapſu experiebatur, quae licet ſenſim imminueretur, tamen duos menſes durabat. Accedente tandem partus tempore, grauidaque vehementi ira commota, noua acceſſit haemorrhagia vna cum veris ad partum doloribus, qui tamen in toto abdomine, neque per interualla, ſed perpetuo ſentiebantur. Os vteri paullulum tantum aperiebatur, vt vix digitum admitteret, neque veſica aquarum turgida tangebatur, aut aquae profluebant vllae, ſed ſincerus ſanguis, ex cuius iactura poſt paucas horas aegra obiit. Fetus motus fere vſque ad mortem matris ſentiebatnr. Inciſo paullo poſt abdomine, fetus p. 24.
in dextro eius latere inueniebatur grandioris molis, quam alii fetus eſſe ſolent, ita ſitus, vt caput eius diaphragma, dorſum vero abdomen matris reſpiceret, nullis inuolucris obuolutus, neque amnii liquoris veſtigia reperiebantur. Funiculus vero vmbilicalis collo primum fetus circumflectebatur, tan-

demque tubam Fallopianam vnius digiti tranſuerſi ab vtero diſtantia intrabat, atque per reliquum tubae canalem ad vterum extendebatur. Tuba in loco, vbi funiculus ingrediebatur, olim rupta eſſe videbatur, atque cum funiculo ibidem concreta erat. Ipſe vterus figuram naturalem pyriformem habebat, ſed magnitudine pugnum maiorem aequabat. In eo placenta, quatuor pollicum diametrum tantum habens, duos vero tranſuerſos digitos craſſa, ita ſita erat, vt in latere dextro vtero adhuc adhaereret, in ſiniſtro vero ab vtero penitus ſoluta eſſet. Vterus dimidium pollicem craſſus, ſubſtantiaque eius omni ſanguine vacua erat. Placentae concaua ſuperficies, ex qua funiculus progrediebatur, duabus membranis obducta erat, quae ad marginem vſque extendebantur, ibique in ſolidiorem maſſam concretae erant. Modum, quo fetus ita in abdomen peruenerit, Cl. Auctor explicare non audet, cum in vtero nullam cicatricem aut rupturae veſtigium reperire potuerit.

XX.

Diſſertatio inauguralis de mira naturae ſolertia in reparandis damnis corpori animato illatis. Praeſ. DAN. WILH. TRILLER, Conſil. aulico cet. Reſp. *Chriſt. Dauid Zopf*, Wittebergae. 1766. 4. pl. $3\frac{1}{2}$.

Praeter alia notaque ſatis documenta, ex quibus naturae ſoſpitatricis reſtauratricisque miranda elucefcit efficacia, duo inprimis digniſſimo hoc, qui commemoretur, libello academico continentur, inſignia exempla aegrorum, quibus beneficae naturae liberalitas in reſtituenda partium corporis integritate, quam luculentiſſime comprobatur. Militis exemplum primum eſt, annos quinque et quinquaginta iam

ta iam nati, cuius os frontis, praeter naſi palatique oſſa, venerea carie adeo arroſum erat, vt per hiatum, oui magnitudine, tectum ſuis membranis cerebrum conſpiceretur. Turpiſſimo vero morbo conuenienti medela profligato, hiatus ille callo, duplicatae membranae pergamenae ſimili, obductus eſt, reſtitutusque aeger aliquot adhuc annos optime valuit, donec ſenio lentaque febre confectus periret. Alterum exemplum centurionis eſt, in cuius crure dextro, ex eryſipelate male et imperite tractato, gangraena tanta ſuborta erat, vt iam de amputatione, tanquam vnico auxilii genere, ageretur. Hanc tamen diſſuadens veteranus chirurgus auertit et, rectam medendi viam ingreſſus, ſeparationem carnium, putredine corruptarum, obtinuit. Tunc vero denudatum os tibiae, ad quatuor fere pollices transuerſos carie deſtructum, apparuit et chirurgo haud exiguum iniecit metum. Attamen naturae beneficio carioſa pars oſſis ſua ſponte ſeceſſit, natusque eſt duriſſimus denſiſſimusque callus, cuius ope pes, praeterquam quod aliquo modo exilior altero et anterius planior eſſet, ad munera ſua omnia, aeque bene atque olim ſubeunda, aptiſſimus reddebatur. Quibus quidem obſeruationibus ſimiles ab aliis viſas in fine libelli Cl. Auctor adiecit.

XXI.
Noua phyſico-medica.

Auguſtiſſimae Hungariae Reginae cum *vniuerſitatem Tyrnauiae* in Hungaria condere placuerit, ea, quae ad facultatem medicam ſpectant, tradimus. Conſcendent videlicet prima nouembris die 1770 cathedram medicam hi doctiſſimi viri:

1) IACOBUS IOSEPHUS WINTERL, profeſſor botanices et chemiae.

2) WEN-

2) WENCESLAUS TUCKA, profeſſor anatomes.

3) IOSEPHUS BRANDT, profeſſor phyſiologiae et materiae medicae.

4) MICHAEL SCHORETICS, profeſſor praxeos.

5) IOSEPHUS PLENCK, profeſſor chirurgiae.

Poſtquam iam in ſuperioribus *) quaedam, inoculationis hiſtoriam variolarum concernentia, colligere incepimus, in ea continuanda nunc verſabimur.

Iuſſu Potentiſſimi Regis Angliae Eius medicos DUNCAN, WINTRINGHAM, WARREN, atque Eius chirurgos, RANBY, HAWKINS et MIDDLETON in Suttonianam variolarum implantandarum methodum inquirere, et, quid de ea ſentiant, indicare oportuit. Ac omnino quidem hi Cll. Viri, aegris ad varioloſum miaſma ſuſcipiendum aſſidue adaptatis, et iuſta, inter erumpendas variolas, caloris externi, diaetae, refrigerantium et aperientium medicaminum habita ratione, Suttonianam huc vſque methodum variolas tractandi feliciſſimo cum euentu in Anglia fuiſſe adhibitam, experientia duce, contendebant. Curabat enim SUTTONIUS, ac omnes, qui eum ſequuntur, has cautiones aeque diligenter, ac alii medici, inoculationi inſeruientes. Id autem, quod SUTTONIUM a reliquis, inoculationem adminiſtrantibus, ſeparat, et multis ſpecificum videtur, in eo cernitur, vt aegri, debiliſſimi quoque et valde aegrotantes, omni tempore, ſiue ſpectes morbi rationem, ſiue reſpicias ad tempeſtatis viciſſitudines, frigido aëri exponantur. Atque hoc hi Cll. Viri minus laudarunt. Quamquam enim euentus feliciſſimus ſatis reſpondet SUTTONII votis; nec quid-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 178.

quidquam huic methodo contrariari videtur, tamen haec frigidiſſimi aëris, et hiemali tempore, admiſſio nimiam prodere videtur audaciam his Cll. Viris, qui magnopere optant, vt diuerſae corporum conſtitutioni ita, vt decet, conſulatur.

Hafniae inoculationis cura commiſſa eſt nonnullis, qui ante portam, quae dicitur *Norderthore*, aedificium adaptari curauerunt, vbi quadraginta octo vna vice poſſunt implantari, a quorum ſedecim ſumtus ſunt expendendi, ſed triginta duo gratis inoculandi. Cuius laudabilis inſtituti commodis non ſolum huius vrbis, ſed totius Daniae frui licet incolis.

Holmiae medici, qui Regiae domui inſeruerunt variolas, ſummam Regis experti ſunt clementiam. Cl. ROSEN VON ROSENSTEIN, Eques et archiater, 100000 thaleros, DAVIDES SCHULTZ, profeſſor medicinae et archiater, nec non NICOL. F. DAHLBERG, archiater, quilibet nempe 12000 in cupreis numis, et Cl. DAHLBERGIUS ſimul cum nobilitatis diplomate, acceperunt. Ac DAHLBERGIUS, in poſterum tuebitur valetudines filii Regis natu maximi, et quotannis 1000 thaleros in numis argenteis, totidemque ad itinera ſuſcipienda accipiet.

Warſauiae iuſſu Regis variolarum inſitio in noſocomio generali, infantis Ieſus nomen habente, a GUILIELMO RIETSCH, medicinae et chirurgiae Doctore et a conſiliis Regis, in poſterum inſtituetur, ac initium iam feliciter eſt factum.

Tiguri ab anno 1760 ad 1768 ſeptuaginta tribus variolae ſunt implantatae optimo cum ſucceſſu. Quorum quatuor ſine variolis, in externa corporis ſuperficie conſpicuis, ſanitati ſunt reſtituti.

Lipſiae a Viris experientiſſimis CHRISTIANO GOTTLIEB LUDWIGIO, IOANNE GEORGIO ROTHERO, et CHRISTIANO FRIDERICO

BOER-

BOERNERO proſperrimo cum euentu in variolis inſerendis continuatur.

Pariſiis Regia Scientiarum Academia Cl. CADET, pharmaceutam militarem, qui chemicae claſſis adiunctus erat, *in eadem claſſe ſocium* elegit.

In Academia, quae *Ienae* floret, IOANNES ERNESTUS NEUBAUER, medicinae Doctor, anatomiae et chirurgiae Profeſſor, Academiae Caeſareae naturae curioſorum, vt et Societatis Principalis Haſſiacae ſodalis, ad munus *anatomiam et chirurgiam docendi* adeundum, initio octobris 1770 programma *de epiploo oſcheocele, cuius receptaculum peritonaei mentiebatur proceſſum, teſtem et epididymidem ſimul continentem*, concinnauit.

Lugduni Batauorum die 9 ſeptembris 1770 doctiſſimus et experientiſſimus BERNARDUS SIGFRIED ALBINUS, Profeſſor medicinae ordinarius, ſeptuageſimo et quarto aetatis anno vitam cum morte commutauit, cuius vitae rationem in poſterum trademus.

Berolini die 24 iulii 1770 SIMON PALLAS, Profeſſor chirurgiae ordinarius, Regii Boruſſici collegii medico-chirurgici Berolinenſis ſodalis, et chirurgus primarius noſocomii, quod dicitur *Charité*, ſeptuageſimo ſexto anno aetatis eſt mortuus.

Obiit die 1 ſeptembris 1770 Experientiſſimus IULIANUS ADOLPHUS BOSIUS, medicinae Doctor, et in Academia *Vitebergenſi* Profeſſor Extraordinarius, ea aetate, qua vix coeperat in publicum prodire. Quem tanto magis dolemus in medio vitae curſu abreptum eſſe, quanto ſeuerius in literis profecerat,

fecerat, quanto ſtudioſius veram doctrinam amplexus erat, quantoque plus vtilitatis certe ab ingenio et ſcientia Eius exſpectari poterat. Vt ergo Eius familiaritate ſemper multum laetati ſumus, ita faciendum putauimus, vt hic memoriam Eius poſteritati commendaremus.

Memoria PETRI COLLINSONI, Societatis regiae Londinenſis Sodalis.

Paucos haec aetas noſtra tulit COLLINSONO ſimiles: adeo ille, quamuis propter vitae genus, mercaturae deſtinatum, a literarum ſtudiis alienus videretur, cupidus tamen doctrinae eius fuit, quae rerum naturam, et praeſertim naturalem hiſtoriam indagat, in qua ornanda et adiuuanda vitam, otium et pecunias conſumſit. Fuiſſemus igitur his meritis iniqui, ſi talis Viri memoriam apud medicos et phyſicos recolere neglexiſſemus: imo pleroſque (plerisque enim COLLINSONUS innotuit, nec quisquam naturae ſtudioſus e Britannia, non ſalutato COLLINSONO, diſceſſit) exſpectare hoc officium, quod ei nunc ſoluimus, arbitramur. Miſſis ergo omnibus, quae de COLLINSONO ciue atque mercatore dici poterant, videamus eum inter doctos viros et amicos. Nimirum cum in villa quadam paterna Weſtmorelandiae, vbi e patre cognomine natus eſt, pueritiam omnem conquirendis exſiccandisque plantis et animalibus transmiſiſſet, ſtudium hoc poſtea ſic infixum haeſit animo, vt, cum maturior aetas eum ad ſeueriora et neceſſaria mercaturae negotia duxiſſet, tamen non abiiceret priſcum amorem, fratrique potiorem mercandi curam relinqueret, non quo rem, a patre bene partam, negligeret penitus, ſed vt paullo plus otii ab eius adminiſtratione naturae cognoſcendae ſtudio concederet.

Aluit

Aluit hoc et conſeruauit familiaritas COLLINSONI cum omnibus iis, qui tempore eo in Anglia naturae ſcientia nobilitati fuerunt, vt cum DERHAMO et SLOANIO, apud quos vndique collectos naturae theſauros ſcrutari et examinare licuit, hoc eſt, bene conformare animum ad imitationem, et cognoſcere ab optimis magiſtris, quid et quo modo in rerum natura attendere ac quaerere operae pretium videretur. Ita ergo, cum ſui iuris eſſet, praeter quaeſtum, hunc etiam mercaturae fructum quaeſiuit, vt naturalis hiſtoriae ſtudio prodeſſet. Ac hoc quidem fructu nulla alia ratione facilius potiri licuit, cum Americana et remotiſſima quaeque commercia, quibus domus Collinſoniana florebat, vel nolenti centies offerrent, quae Europaeis et noua et cara eſſent. Ex eius ergo manibus Anglia fere accepit, quidquid florum rariorum vbique habet: per eum etiam exteri, quotquot eum rogarunt, beneficio hoc ornati ſunt; fuit enim omnibus longe facillimus, vt adeo laetaretur, ſi hoc etiam in genere alicui ſeruire ſibi datum eſſet; et ſunt etiamnum inter noſtros, qui humanitati Collinſonianae multa debeant, quibus horti eorum decori ſunt. Tum, quidquid ſperaret in vllo naturae regno indagatoribus eius acceptum fore, commercii opportunitate vſus, et ſibi et aliis arceſſi curauit, fuitque commune perfugium omnium per omnem Europam: certe, niſi tanto labore et aſſiduitate fuiſſet, multa aut tardius, aut plane non ad noſtros veniſſent. Sponte ergo intelligitur, et domi eius inſignem huiusmodi rerum multitudinem collectam, et, ſi qui vllo loco viri docti eſſent, ab eo conſultos, inque ſocietatem ſtudii vocatos fuiſſe, e quibus nominare liceat FRANKLINUM, qui e Philadelphia per literas cum COLLINSONO egit, et cum eo primo communicauit, quae in electricis experiundo detexerat. Neque vero intra colli-

gendi

gendi ſedulitatem ſubſtitit, quae ſine ipſarum rerum ſcientia manuariae operae ſimilis videtur, ad ſummum humanitatis laudem promeretur; ſed adiunxit naturae cognitionem, adparatu illo, itineribus longinquis, familiaritate tot virorum doctorum, fama denique nominis tanti dignam. Huius autem doctrinae luculenta documenta continent Tranſactiones Anglicanae, quibus Collinſonianae diſputationes, magno numero inſertae, haud exiguo ornamento ſunt. Etiam rem ruſticam tractauit, et, quidquid ad oeconomiam pertinet, cogitatione curaque amplexus eſt, ac ſuaſu prudenti aliis commendauit, inprimis modum pecoris habendi, in Hiſpania vſitatum, ſcripto explicauit, in Angliam tranſtulit, atque ſpem adeo eius in Americae prouincias propagandi concepit, quarum colonos omnino ad agricolationis omne genus adſidue cohortatus eſt. Multi ergo COLLINSONUM, Londino in villas euocatum, diu ſecum conſiliarii loco habuerunt, eoque auctore rem ruſticam in melius mutarunt. Sed haec etiam praemia iure tulit, vt a. 1728 in Societatem regiam Londinenſem adſciſceretur, et in Linnaeano ſyſtemate, cuius auctorem amiciſſimum ſibi habuit, planta quaedam eius nomen gereret. Optabile eſt, vt, qui diuitiis florent, et opportunitate iuuandarum literarum beati ſunt, tam praeclarum exemplum imitatione exprimant. Ceterum ſanitate ſatis proſpera fuit, praeterquam quod acceſſionibus podagrae interdum vexatus eſt, quae tamen mortis cauſa non fuit; ſed improuiſo vrinam retineri ſenſit, expertusque omnia remedia huic malo ſuccubuit, aetatis quinto et ſeptuageſimo anno, qui in annum ſeculi huius duodeſeptuageſimum incidit.

XXII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1766 prodierunt.

IOH. ANDR. CRAMERS *Anfangsgründe der Probierkunſt. Aus dem Lateiniſchen überſetzt von* C. C. GELLERT, *2te Auflage. Leipz. 8. mit Kupf.*

Eiuſd. Anleitung zum Forſtweſen, nebſt einer ausführlichen Beſchreibung von der Verkohlung des Holzes, Nutzung der Torfbrüche etc. *Braunſchweig. fol. mit K.*

HENR. IO. NEPOM. CRANZII inſtitutiones rei herbariae iuxta nutum naturae digeſtae ex habitu. Tom. I. II. Vien. 8 mai.

Eſſai ſur la perſpective lineaire et ſur les ombres par Mr. LE CHEVALIER DE CUREL, à Strasbourg 8.

Diſſertation ſur le mechaniſme et les uſages de la reſpiration; ouvrage couronné par l'Academie des ſciences, de belles lettres et arts de Rouen le 7 août 1766. par Mr. DAVID, à Paris 12.

HENR. FRID. DELIUS diſp. inaug. de aëre, aquis, locis atque ſalubritate Erlangae. Reſp. *Io. George Fleiſchmann*, Erlang. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. ſiſtens pericula nonnulla microſcopico-chemica circa ſal ſeri. Reſp. *Io. Frid. Rud. Clemens*, ib. 4. c. tab. aen. I.

Eiuſd. diſp. inaug. de ſcrobiculo cordis ſigno. Reſp. *Chr. Aug. Wendrich*, ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de methodo medendi rationali eadem in morbis, ſchemate et nomine diuerſis, legitima et proficua. Reſp. *Chriſt. Wilh. Haag.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de tabe feſtinata. Reſp. *Io. Marc. Frid. Iergius*, ib. 4.

Eiuſd. Abhandlung von Blähungen und Dünſten, als

einer

einer verborgenen Urſache vieler ſchweren Zufälle, 2te Auflage. Nürnb. 8.

Inſtituts de Chymie, ou principes élementaires de cette ſcience, preſentés ſous un nouveau jour. Par Mr. DE MACHY, Apoticaire, demonſtrateur de chymie etc. Tom. I. II. à Paris. 8.

GEORG. CHPH. DETHARDING diſſ. inaug. de cura infantum recens natorum penes Ebraeos diu vſitata. occaſione dicti Ezechielis cap. 16. verſ. 4. Reſp. *Marcus Moſes*, Bützow. 4.

Introduction à la matiere médicale par Mr. DIENERT, à Paris 12.

Eiuſd. Abregé de l'embryologie ſacrée, ou traité des devoirs des prêtres, des médecins, des chirurgiens et des ſages femmes envers les enfans, qui ſont dans le ſein de leurs meres, ſec. edit. augmentée, à Paris. 12. av. fig.

Anweiſung, wie die Würkung des Feuers in den Stubenöfen und Küchen zu verſtärken, von FRIEDR. WILH. DIETRICHS. *Berlin. 8.*

Zufällige Gedanken von der Möglichkeit und Nothwendigkeit der Wohlfeilheit, von H. A. E. *Chemnitz. 8.* (plurima continet oeconomica.)

Eſſai ſur cette queſtion; quand et comment l'Amerique a t'elle été peuplée d'hommes, d'animaux, avec des remarques intereſſantes de theologie, de phyſique, d'hiſtoire, de chronologie et geographie par Mr. S. E. B. d'E, en 5 Vol. Amſterd. 12 maj.

IOH. PETER EBERHARDT *vermiſchte Abhandlungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit und Moral, 2ter Th. Halle. 8. m. K.*

Eiuſd. diſſ. inaug. de cauſſa caloris in corpore animali. Reſp. *Henr. Hanſen.* ib. 4.

GEORG. EGGER diſſ. inaug. de conſenſu neruorum, Viennn. 8.

IO. THEOD. ELLERI obſeruationes de cognoſcen-

dis et curandis morbis praeſertim acutis. Edit. nou. Amſtelod. 8.

WILH. IOSEPH DE L'ESPINE quaeſt. med. an in vulneribus thoracis laeſi pulmonis conditioni conducet aër per ipſum vulnus in thoracem admiſſus? *aff.* Reſp. *Ioan. Stanislaus Mittie,* Pariſiis. 4.

CHRIST. EHRENFR. ESCHENBACH progr. de apparenter mortuis, Roſtoch. 4.

Eiuſd. progr. de ſudore Chriſti ſanguineo pauca e principiis medicis. ibid. 4.

Vernunft - und erfahrungsmäßiger Entwurf der vollkommenſten Bienenpflege für alle Landesgegenden, herausgegeben von IOH. LEONH. EYRICH. *Uffenheim. 8. m. K.*

Précis de la chirurgie pratique, ou l'on donne d'après les plus grands maitres, la plus ſure methode d'operer; avec des obſervations et reflexions ſur la conduite, que les pratiques doivent ſuivre dans les maladies le plus importantes par F. etc. à Avignon et Paris. 12. Vol. 2.

ZACH. FALK diſſ. inaug. de nephrotomia. Gryphiswald. 4.

PIO FANTONI della inalvrazione de fiumi del Bologneſe e della Romagna, Roma. 4 mai. c. tab. aen.

IO. FRID. FASELIUS diſſ. inaug. de hydrope vteri. Reſp. *Io. Frid. Winkler,* Ien. 4.

Eiuſd. progr. inaug. de hydrope omenti. ib. 4.

Maniere de préſerver et guérir les maladies des gencives et des dents par Mr. LEROY DE LA FAUDIGUERE, à Paris. 12.

Obſervations ſur le commerce et les arts d'une partie de l'Europe, de l'Aſie, de l'Afrique et meme des Indes Orientales par JEAN CLAUD. FLACHAT, Tomes II. à Lyon. 12. av. fig.

Kurzer

Kurzer und deutlicher Unterricht, wie man bey einer graſſirenden Ruhr ſeine Geſundheit erhalten und verwahren, die Ruhr erkennen und geſchickt heben könne, in 3 beſondere Capitel eingetheilt. Nebſt einem Anhange von einer in der Erfahrung gegründeten Relation und Sentiment, *der von an. 1757 bis 1759 in den meiſten Orten Deutſchlandes graſſirenden epidemiſchen Seuche und 6 beſondern* caſibus chirurgico-medicis, *entworfen von* IOH. GEORGE FISCHERN, *Frankf. und Leipzig. 8.*

IOANN. FORDYCE hiſtoria febris miliaris et de hemicrania. Louaniae 8.

Principes et obſeruations oeconomiques par Mr. DE FOUBONNOIS. à Amſterd. 8 Voll. 2.

LA FOURCADE diſſ. anat. chir. de optima et tutiſſima celeberrimi Rothomagienſis profeſſoris (LE CAT) methodo, quae in viris calculoſis celebratur, ſectio lateralis. Reſp. *Groſſard.* Bourdeaux 4.

ANT. FRACASSINI tractatus theoretico-practicus de febribus, ed. XIma reuiſa et locupletata. Veron. 4.

I. E. FRISCH *Beſchreibung von allerley Inſecten in Teutſchland, 1ſter Theil. neue Auflage. Berlin. 4. m. K.*

PETR. ADR. GADD Upmuntran och underrättelſe til nyttige plantagers widtagande i Finland. Pars III. Aboe.

Eiuſd. Pars IV. ib.

Eiuſd. diſſ. om Iarnets foerwandling til ſtål. Reſp. *Guſtav. Korſemann.* Abo. 4.

HIERON. DAV. GAUBII inſtitutiones pathologicae medicinales. Venet. 8.

Collection des plantes uſuelles curieuſes et étrangeres, ſelon les ſyſtèmes de Mr. TOURNEFORT et LINNAEUS, tirées du jardin du Roi et de celui

celui de MM. les apothicaires de Paris, gravées et inprimées en couleur et en leur forme naturelle avec leurs fleurs, leurs fruits, leurs graines et leurs racines d'uſage par Mr. GAUTIER DAGOTY. Botaniſte et anatomiſte penſionné de S. M. à Paris.

Mr. GAUTIER DAGOTY planches anatomiques inprimées en couleur et grandeur naturelle, ſeconde edit. à Paris fol. mai.

Medical and chirurgical obſeruations on inflammations of the eyes, on the venereal diſeaſe; on Ulcers, and gunshot wounds. By FRANCIS GEACH Surgeon of Plymouth. Lond. 8. mai.

Méthode de guérir les deſcentes et hernies par Mr. DE LA GÉNEVRIERE Chirurgien. à Paris. 12.

Regiſter über die acht Theile der Abhandlung von der materia medica *des Herrn* STEPHAN FRANZ. GEOFFROY. *Leipz.* 8.

GERHARDTS materia medica *oder Lehre von den rohen Arzneymitteln. Berlin. 8.*

IO. GESNER phytographiae ſacrae generalis pars practica ſexta. Turici. 4.

CARL AUG. GEUTEBRÜCKS *geſammleter Unterricht von Schafen und Schäfereyen zum Behuf der dabey vorkommenden oeconomiſchen Policey-und Cameral-Geſchäffte, 1ſter Theil. Leipz. 8.*

FRANC. ERNST. GLAUBRECHT diſſ. inaug. ſiſtens analecta de odontalgia eiusque remediis variis praecipue magnete. Argentor. 4.

IOH. GOTTLIEB GLEDITSCHS *vermiſchte phyſicaliſch, botaniſch, oeconomiſche Abhandlungen, 2ter Theil. Halle. 8. m. K.*

Das neueſte aus dem Reiche der Pflanzen nach den Beobachtungen und Zeichnungen des Herrn geheimen Raths Freyherrn VON GLEICHEN, *1. Band. Nürnberg. fol. mit illuminirten Kupfertafeln.*

CAROL.

CAROL. GMAIDLER diſp. inaug. de chloroſi. Vindob. 8.

IO. FRID. GOTTLIEB GOLDHAGEN diſſ. inaug. de ſympathia partium corporis humani. Reſp. *Chriſt. Gottlob Conrad Hertzog.* Halae. 4.

IO. BAPT. GORIAN diſſ. inaug. de medicamentis purgantibus. Vienn. 8.

Oeuvres de Chirurgie de Mr. GOULARD. à Pezenas. 12. Voll. II.

C. A. GRAEBNERS *Herzogl. Mecklenburgl. Schwerinischen Zahnarzts, Gedanken über das Hervorkommen und Wechſeln der Zähne bey Kindern; nebſt Anweiſung für Erwachſene die Zähne geſund zu erhalten. Hamb. 12. m. K.*

Mémoire et obſeruations ſur la méthode d'inſerer la petite verole par Mr. GRASSOT. à Bruxelles et Lyon. 8. ſine anno.

IO. HENR. GROSSER analyſis medico oeconomica in bonam hoſpitalium conſtitutionem. Wurzburg. 8.

I. A. GROTIANS *phyſicaliſcher Winterbeluſtigungen 2ter Theil. Nordheim. 8.*

IO. ERNEST. GUNNERI flora Noruegica, obſeruationibus praeſertim oeconomicis locupletata. Pars I. Nidroſiae. fol. c. tab. aen.

ANDR. LEOPOLD. HAAN libellus, quo demonſtratur, quod non ſolum vegetabilia, animalia et mineralia menſtruo ſimplici paucis horis poſſint ſolui, verum extracta puriſſima et ſalia eſſentialia educi. Vienn. 8. c. f.

IO. GOTTLOB HAASE diſp. zootomiae ſpecimen ſiſtens comparationem clauicularum animantium brutorum. Reſp. *Carol. Frey.* Lipſ. 4.

ANT. DE HAEN epiſtola de cicuta cum alethophilorum Viennenſium elucidatione neceſſaria. Amſtelod. 8.

ALBRECHT VON HALLERS *Anfangsgründe der Phyſiologie des menſchlichen Cörpers, aus dem Lateiniſchen überſ. von* IOH. SAMUEL HALLEN. *3ter Band vom Athemholen und der Stimme. Berlin.* 8. *mai.*

Eiuſd. operum minorum tomi IIdi pars I. ad generationem. Lauſann. 4. mai. c. f.

Eiuſd. elementa phyſiologiae corporis humani vetus hominisque vita. T. VIII. Bern. 4 mai.

7. *Singularem oculi morbum* deſcribit IO. L. ODHELIUS M. D. Medicus aulae. Ruſtico poſt ophthalmiam humidam, ſueto more, cataplaſmatibus calidis male ſanatam, leucoma vtrumque oculum excoecauit. Remediis illis adhibitis, quae in praecedentibus *) probauerat, leucoma imminutum eſt, viſus quodammodo aegro redditus, ad quem cum ſiniſtro oculo vti ſe referret aeger, apertura inſueta informis in ſegmento iridis ſuperiore reperta eſt, per quam intrabant radii lucis. Colligit hinc Noſter, ſi viſus perierit, ob pupillam omnino contractam, aut capſulae lentis impellucidae factae adnatam, aut ex loco ſuo detruſam et, lente cryſtallina diffracta, in particulas rurſus conglutinatas repletam cet. poſſe acu acutiſſima, inducta duabus aut ad ſummum tribus lineis ab orbiculo ciliari, nouam iridis aperturam fieri, qua viſus reſtituatur, coeco, alias inſanabilis oculus depictus exhibetur bis, cum prior figura non ſatis exacta fuiſſet. Tab. IV. et Tab. X. p. 145.

8. *Obſeruationi huic* quaedam addit OLAUS ACREL. Modum, iridem vt radii lucis intrent, artificiali quadam pupilla aperiendi, probat, niſi forte haec pupilla, coeunte rurſus vulnere, euaneſcat. p. 147.

Deinde

*) V. Kongl. Vetensk. Acad. Handling. för Aör 1765. Vol. XXVI. p. 290. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 25.

Deinde genera pupillarum praeternaturalium ex Au-
ctoribus recenſet.

p. 148. 9. *Parochias Halltorp et Vaxtorp oeconomice* de-
ſcribit ADOLPHUS MODEER, Geodacta extra-
p. 153. ord. Singularem cauſſam reddit, cur pauci, annum
aetatis ſeptuageſimum multum ſupergreſſi, numeren-
tur. Cum deos falſos colerent Sueci, decrepitos
occiderunt iuniores, *claua*, vt fertur, quam *Senum*
dixere (*ätte klubba*) inde mos durat, vt ſenes veram
aetatem profiteri nolint.

p. 158. 10. *De figura telluris ex penduli, quod ſecundis
ſingulis it aut redit, diuerſa in diuerſis locis longitudi-
ne definienda* agit FRID. MALLET, Vpſaliae Obſer-
vator Regius. Initium diſſertationis ſaltim exhi-
betur.

p. 163. 11. *Oſſificationes aortae, vbi ex corde exit, re-
pertas*, deſcribit ROLAND MARTIN M. D. Prof.
Anat. et Chir. Sexagenarius ſaepius conqueſtus de
reſpiratione difficili, fere ceſſante, laſſitudine, tho-
race velut onere grauato; inprimis poſt cibum, vt
ſolebat, copioſe ſumtum, ſubito obiit. Cum ape-
riretur cadauer, haec animaduerſa ſunt: liquor pe-
ricardii ſolito copioſior, pulmones ſanguine vltra,
quam alias eſſe ſolent, repleti, rubicundi, inprimis
lobi inferiores, vnus ſiniſtri pulmonis, alter dextri,
ventriculus dexter cum ſinu venae cauae magis va-
cuus ſanguine, quam plerumque eſt, ſiniſter autem
plus repletus ſanguine, cor hinc velut expanſum;
vbi ſiniſter ventriculus in aortam aperitur, annulus,
veluti aperturam circumdans, cartilagineus, elaſti-
cus, durus, eminentiis acutis inaequalibus aſper, il-
lae a perimetro arteriae verſus centrum extendeban-
tur, ſimul valuulas ſemilunares amplexae; valuulae
hae

hae oſſeae ac durae, fragiles, expanſae, irregulares, vna inprimis illarum, preſſa et veluti puncta, ab eminentia oſſea acuta earum, quas diximus. Ceterum arteria extra cor in ſtatu naturali, nihil in ea fuit, nec polypus. Caſum hunc ſimilem pronunciat Noſter ei, quem deſcripſit his ipſis actis *).

12. *Calorem corporis, quomodo expertus ſit imminui, poſt ſanguinem e vena ſecta miſſum* narrat ANTON MARTIN Medic. Cand. Anno 1765 d. 22 maii, hora 11 antemeridiana ſanguinem miſit. Paulo ante hos expertus eſt gradus caloris, in diuerſis corporis partibus **) Manus 36, ſub axillis 36, in thorace 33, in regione ventriculi 33, in lumbis 36, in flexura genu ***) 33, in planta pedis 33, ſumma 241; eo gradu calere ſolet tempore matutino. Hora 12 calor quibusdam in partibus imminutus eſt, in aliis auctus, totus 242; hora 4 pom. 245, hora 9. veſp. 241; die ſequenti hor. 7. inſueto more frigidus ſibi viſus eſt, et ſi veſtes, camera, cet. eſſent vt ante. Manus 30, axillae 35, thorax 34, regio ventriculi 33, lumbi 36, flexura genu 33, planta pedis 28, totus calor 229, ab illo diei praecedentis mane, deficiens gradibus 12. Porro fuit calor matutinus die 24; 232: d. 25: 235; d. 26. fere vt conſuetus. Itaque ſuetus calor quarto demum, poſt ſanguinem miſſum, die rediit, inprimis manus et pedes friguerunt. Incrementa caloris ſtatim poſt ſectam venam, cibo adiuncto, motui, adſcribit. Internum p. 165.

*) Vid. för Aör 1765. Vol. XXVI. p. 292. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 26.

**) Sueci poſt CELSIUM thermometro vtuntur, inter punctum congelationis et aquae ebullientis in gradus 100 diuiſo.

***) Eum gradum hic Auctor errore ſcribentis omiſit, tantum autem fuiſſe patet ex calculo, et collatione experimentorum ſequentium.

ternum calorem nihil eſſe mutatum ex vrina collegit. Sanguinis vncias 5 aut 6 miſit. Aër in camera calebat gradibus 16. 18.

Trimeſtre tertium.

p. 169. 1. *De parallelogrammis, figuras, datis figuris ſimiles deſcribendas, idoneis, Pantographa vocant,* agit NIC. MARELIUS.

p. 180. 2. *Articulus IX Trim. II. continuatur.*

p. 193. 3. *Item Art. X. Trim. II.*

p. 209. 4. *Animaduerſiones Commiſſionis Regiae in tabulas, quibus numerus incolarum Sueciae recenſetur*, edit EDUARD. FR. RUNEBERG. Iam agit de copia hominum in quouis quatuor illorum ordinum, in quos Sueci diuiduntur, nobilium, clericorum, ciuium, ruſticorum.

p. 245. 5. *Piſcem, Suecis* Lerbleking *appellatum*, deſcribit PETR. OSBECK, Verbi diu. Min. ad Haslöf in Hallandia. LINNAEI Gadus pollachius Syſt. Nat. ed. XII. inter piſces minus gratos guſtui refertur, veſcuntur tamen illo. Siſtitur icon piſcis. Tab. VII.

Trimeſtre quartum.

p. 249. 1. *Quibus menſibus in Suecia plurimi naſcantur et obeant*, edit P. VARGENTIN. Ex tabulis natorum per vniuerſam Sueciam, obſeruationibus 13 annorum inter 1749. 1763 (annos 1755; 1758 neglexit Noſter) haec colliguntur: plurimos naſci ſeptembri, pauciſſimos iunio, numeri natorum his menſibus ſunt in ratione 209536: 82313, ſecundus

dus numerus, quarta ſui parte auctus, nondum primum exhibet. Ditiſſimi natorum fuere ſeptember, mars, februarius, ianuarius, pauperrimi auguſtus, maius, iulius, iunius, isque ordo plerumque et ſingulis annis obtinuit. Cum vero vnus menſis plures dies habeat, alius pauciores, primo in tabula ponit Noſter, quot re vera quouis menſe nati ſint, deinde quot ex hoc numero vere natorum debeantur nati eidem menſi, ſi fuiſſet dierum 31. Retro autem computatis a quouis menſe 9 menſibus, reperitur plurimos generari decembri, deinde aprili, maio, iunio, pauciſſimos auguſto, ſeptembri, octobri. Eius rei cauſam nullam reddere audet, niſi quidpiam huc faciant, et quod vere omnis laetetur natura, et quod longae ſint decembri noctes, et quietiorem hoc menſe degant vitam inprimis ruricolae. Ex obſeruationibus 12 annorum moriuntur plurimi aprili, deinde maio, martio, februario, iunio, pauciores ianuario, iulio, decembri, auguſto, pauciſſimi nouembri, ſeptembri, octobri. Numerus octobri mortuorum non niſi duas tertias continet numeri aprili mortuorum, reductis numeris ad menſes dierum 31. Numerus primis ſex anni menſibus defunctorum quinta parte excedit numerum vltimis ſex menſibus mortuorum. Numeri ſingulis menſibus mortuorum creſcunt ab initio hyemis menſe decembri, donec hyems finiatur aprili, deinde paulatim decreſcunt vſque fere ad finem autumni. Eius rei cauſſam ſatis apertam efficiunt mutationes ſubitae caloris et frigoris, quae contingunt hyeme exeuntibus e cameris valde calefactis, aut in eas redeuntibus, et ipſe valetudini noxius calor ſuffocatiuus hypocauſtorum.

p. 252. p. 253. p. 255.

2. *De femina, fetus reliquias nouem annis in vtero gerente*, refert DAN. SCHULZ M.D. Art. Obſtetr. Prof. et Dir. Ruſtica aetatis 46 annorum, cum, ex- p. 259.

eunte

eunte anno 1756, vndecima vice concepiſſet, ſueto tempore ſeptembri 1757. dolores ſenſit, partum vero nullum enixa eſt. Emiſit vero humorem aquoſum, ſanguineum, quo morbo decubuit vsque ad ianuarium 1758, tunc ſurgere a lecto coepit et ſufficere laboribus domeſticis leuioribus, ſentiens tamen interdum dolores vehementes, inprimis in latere dextro. Iunio 1765 ceſſauit fluxus humoris ſanguinei, aeſtate ſatis valuit, ſed auguſto eius anni difficulter vrinam miſit et dolores ſenſit vehementes velut pariturae, quadam nocte emiſit humorem mucoſum, ſanguineum, deinde vſque ad finem anni paulo melius ſe habens. Initio anni 1766 in toot corpore ſenſit ſpaſmos vehementes. Feminam, quae obſtetricias manus eo in loco praeſtabat, conſuluit,
p. 260. haec vero chirurgum I. HUMBLE. Orificium vteri repererunt clauſum, iniectionibus oleoſis, binis ad minimum quotidie, ſeptimanis ſeptem, effectum eſt, vt aperiretur. Coeperunt inſtrumentis comminuere oſſa in vtero, extracta eſt cum membranis et muco, maſſa quaedam, cuius ſitus in regione dorſi, exitui excrementorum obſteterat. Martio et aprili, ſeptem diuerſis operationibus 128 fruſta oſſea exemta ſunt, multum praeterea ſanguinis grumorum, membranarum portiones 6. Os magnum capitis meatum vrinarium exulcerauerat, ſed is ſanatus eſt et emiſſio vrinae facilis rurſus reddita, cathetere immiſſo. Femina, licet debilis, aeſtate ſequenti ſuperauit incommoda omnia geſtationis 9 annorum. Veritatem hiſtoriae probat narratio, munita ſubſcriptione obſtetricis, chirurgi, parochi et ipſius mariti. Oſſa Societati Regiae exhibentur. De iis poſt erit dicendi locus. Subiecit Noſter, fetuum in vtero mortuorum, et diutius geſtatorum, imo feminarum, quae conceperunt, cum ſceleton embryonis adhuc vtero geſtarent, ex variis Auctoribus hiſtoricis plura, quaedam ſatis incredibilia exempla.

3. Oſ-

3. *Oſſium praefatorum deſcriptionem et icones* exhibet ROL. MARTIN. Selegit, quae ſatis adhuc agnoſci poſſunt, et faciunt aliquid ad oſteogoniam. Sunt illa inprimis, portiones oſſis frontis, oſſium temporum, et alia oſſa capitis. In maxilla inferiore ambae tabulae ſeparatae ſunt, vt efficiant cauum, alueolis omnibus commune; interna ſuperficies minor eſt exteriore. Adſunt etiam clauiculae extremitates ſternalis et acromialis. Tibiae pars ſuperior, baſis radii, coſtae quaedam. Optime conſeruata et minimas a putredine mutationes paſſa ſunt oſſa caluariae, indicio eo, primum in foetu dureſcere. Quae tamen illorum plana ſunt, magis erant in partes diuiſa, prouti ſubſtantia illorum radiata, magis remota erat a punctis oſſificationis. Spongioſorum veſtigium ſupererat nullum. Extremitatum oſſa pleraque ſoluta. Vertebrarum nihil ſupererat ob ſubſtantiam illarum, ea aetate, ſpongioſam, et proceſſus fere cartilagineos. Ex eo autem, quod ne alueoli dentium quidem diſtincti appareant, colligit, quam incredibiles ſint obſeruationes, quae oſſa, interdum in tumoribus cyſticis abdominis reperta, pro dentibus foetus habent. p. 265. p. 271. p. 272.

4. *Methodum calore focorum, vbi ferrum funditur, ad frumentum ſiccandum vtendi*, exhibet PETR. WASSTROM. Camerarius. p. 273.

5. *Articulus II Trim. III. concluditur.* p. 280.

6. *Caſus duos partuum, vbi orificium vteri callitum erat*, enarrat HERRMANN SCHUTZER Arch. Reg. Praemiſit cogitata de partuum diuiſione vtilius, quam receptum eſt, facienda. Diuidi poſſe credit partus generantium pro ratione *fetus, qui editur* aut *partium genitalium* parientis; in his ſpecta- p. 301. p. 304.

ri poſſe impedimenta, quae naſcuntur, vel a *molli-*
p. 305. *bus* partibus, vel a *duris*. In caſu primo eorum,
quos narrat, veſicam quandam diſtentam admodum ta-
ctu ſenſit, orificium tamen nullum percipi potuit, digi-
to circumcirca moto, in parte autem infima, verſus in-
teſtina, rugam exiguam animaduertit, grani hordei
p. 306. magnitudine. Indicem igitur dextrum, oleo illi-
tum, immiſit vaginae vteri, et ad locum illum ru-
gae promouit, catheterem muliebrem, ſiniſtra pre-
henſum, eidem loco admouit, ibi firmiter tenuit, ex-
tremo tamen acumine oblique verſus os coccygis
directo, ne aut veſica rumperetur, aut laederetur
caput infantis, ſi in debito ſitu eſſet. Cum acumen
inſtrumenti ſeparaſſet filamenta carnea concreta ori-
ficii vteri, continuarentque dolores partus, preſſio-
ne catheterem vlterius verſus ſuperiora promoue-
bat. Iam minus reſiſtentiae ſenſit, et guttas ſangui-
nis in catheteris parte inferiore, hinc collegit, api-
cem catheteris tranſiiſſe orificium vteri, qui cum
per tres aut quatuor lineas intraſſet, illum manu
dextra prehendit, magna cautione adhibita, preſſit
verſus ſuperiora, verſus inferiora retraxit, in orbem
mouit, donec digitum indicem poſſet immittere;
omnia haec peregit, cum dolores ceſſarent. Poſt
aliquot dolores iam duos digitos introducere po-
tuit, tribus autem horis apertura ſatis ampla erat,
per quam membranae, fetum continentes, iam
protrudi incipiebant, igitur, cum perciperet, caput
infantis bene ſitum eſſe, reliqua cenſuit naturae
committenda. Itaque paulatim maior portio
membranarum, quae fetum continent, prodiit,
p. 307. diſruptisque tandem membranis, caput infan-
tis primum exiit, et infans ſanus in lucem editus eſt,
poſt dolores 18 horarum inde ex quo vterus fuerat
p. 305. apertus. Antequam vero advocaretur, duabus die-
bus et noctibus dolores parturiens ſenſerat vehe-
mentiſ-

mentiſſimos, obſtetrice, quae iam ſenſerat vterum
eſſe clauſum, aliud auxilium, praeter ſectionem cae-
ſaream, neſciente. Poſt illum partum nihil incom- p. 307.
modi ſenſit mater, niſi tribus proximis diebus diffi-
cultatem fecum excernendarum; octo ſeptimanis
poſt partum menſtrua rediere, duobus autem annis
poſt rurſus peperit, incredibili facilitate et breuiſſi-
mo tempore. Alter caſus, tempore prior, ſimilis huic
eſt. Filamentis carneis, catheteris ope, ſeparatis,
poſt quatuor aut quinque dolores apertura vteri ſa-
tis ampla euaſit, vt digitum introducere opus non
eſſet. Partus hic breuiore tempore abſolutus, cum
ruga illa exigua, orificium vteri coalitum indicans,
in medio eius eſſet. Qui vero dubitent, vtrum coalitio
vera in his caſibus obtinuerit, an ſaltim ſtrictura ori-
ficii vteri; item qui quaerant, quomodo orificium
vteri coalitum cathetere obtuſo aperiri potuerit abs-
que doloribus cet., illis haec regerit: In vtero con- p. 310.
ſtricto veſtigium ſemper orificii ſentiri, quale hic
ſentiebatur, omnino nullum a doloribus parturien-
tis ampliari tantillum, orificium vteri conſtricti, ca-
theterem vero ob tenuitatem ſuam in eo parum
prodeſſe, nec ab eo intruſo ſanguinem elici, in his
autem caſibus ſanguis fluxit a filis, facile ruptis, quo-
niam valde tenſa erant, nec multum ſanguinis fluxit,
cum tenuis catheter non niſi pauca fila rumperet.
Cuius hiſtoriam ſecundo loco retulit, orificium vteri p. 312.
ſex circiter ſeptimanis ante partum apertum repe-
rit, et in eo partem inuolucri fetus, partum tum ſa-
tis propinquum ſuſpicatus. Tribus ſeptimanis ante
partum vehementer doluerunt genitalia, vt ea tangi et
inquiri aegra vetuerit. Adhibitis cataplaſmatibus, me-
dicamentis reſoluentibus, enematibus, foetor putridus
cum ſanie ex vagina vteri prodiit, reſtituta eſt pau- p. 313.
lo poſt aegra, iniecto decocto altheae cum melle ro-
ſarum. Vlcus igitur credit Noſter fuiſſe circa orifi-

cium vteri, ſiue eo rupto, orificium excoriatum concreuerit, ſiue coalitio inde nata ſit, quod orificium valde humectatum fuit, et ab illis membranis, fetum continentibus, quae intrauerant, et ab iniectionibus. Femina, cuius hiſtoria primo loco narratur, tempore grauiditatis nihil extraordinarii ſenſit, niſi ſummam genitalium ſiccitatem. Anno 1747 Noſter Academiae Regiae exhibuit caſum feminae, quae partum biennem ſe geſtare credebat, ibi etiam dictum eſt, de vtero coalito poſt partum, inſtrumentorum auxilio promotum.

p. 315. 7. *De habitu magnetis natiui in fodinis, vbi reperitur*, refert L. B. SAM. GUST. HERMELIN, quae vidit in vna alteraue Sueciae fodina. Magnes inter mineram ferri reperiundus, lineam, per polos ſuos tranſeuntem, nunquam habuit horizontalem, ſed vel verticalem, vel paullulum inclinatam parte inferiore attrahente acus magneticae extremum auſtrale, ſuperiore boreale; vt magnetis polus borealis ſit inferior, auſtralis ſuperior. Alicubi repertus eſt magnes inter mineram ferri, et parietem, (*Saalband*) quo concluditur interiora minerae a parietibus remotiora, nullam vim magneticam oſtendiſſe, etſi eandem texturam exhibentes cum eo, quod magneticum erat. Ceterum non valde profundos magnetes reperiri, vidit, et iis in locis, vbi per rimas lapidum aër et aqua penetrent, quorum partes aliquas eſſe in concilianda vi magnetica exiſtimat. Situm fere verticalem polorum conuenire cum theoria, quam ſuadent magnetes artificiales, animaduertit.

p. 319. 8. *Quaedam ad ſcriptum praecedens* notat IO. CAR. WILCKE. Lector phyſ. exper.

9. *Fe-*

9. *Febris petechialis, algidae (kaltes Fieber) ſimilis* hiſtoriam ſcribit IO. GUST. ACREL M. D. Adi. Med. Acad. Reg. Vpſal. Praeceſſit epidemiam hanc hyems ſeuera et diuturnior, cuius ſub finem tempeſtas varia, gelu et degelatione alternantibus, et nebula ſpiſſa ad litora Scaniae, exeunte februario. Eo menſe, pluribus, omnis aetatis, inſueti ſanguinis profluxus ex naribus, haemorrhoidibus, menſtruis, ſanguine puro inter teneſmos profluente. Haec autem mox tranſibant, vnicus febrem ſimul ſenſit. Tempeſtate ſimiliter varia vſque in medium martii continuante, fluxus illi ſanguinis parciores. Initio aprilis dies calidiores, noctes toto menſe frigidiſſimae, tempeſtas niue, pluvia, ſole ſplendente, varia, ventus vehemens *Sud-oſt*. Sub initium eius menſis, cum ſolent ingruere in Scania febres, petechialis illa graſſari coepit, cuius primo ſtadio, febris algidae acceſſum ſentientes aegri, poſt duos circiter dies tertiana vernali ſe laborare experti ſunt quinque aut ſex diebus non omnino lecto decumbentes. Secundum ſtadium exortum eſt poſt aliquem febris illius acceſſum, tertio aut quarto paroxyſmo pulſus obſeruatus eſt debilis, quaſi contractus, non velocior naturali, pectus velut preſſione anxium, ſudor frigidus, tremor partium omnium muſculoſarum, plurimi ſimul ſurdaſtri; Septimo die plurimis ſanguis ex naribus, aliquibus ſanguis tuſſi eiiciebatur, menſes praeter morem. Paululum ante aut poſt hunc ſanguinis profluxum, in collo, pectore, extremitatibus, maculae primo punctorum minutorum forma, poſt ampliatae, plerumque tranſeuntes omnes colorum varietates a rubro ad nigrocoeruleum. Symptomata haec continua, ſed vrinae, alternis diebus, ſedimentum album, interea clara erat vrina, cum nubeculis ad fundum. Poſtquam comparuerant maculae illae, plu-

P. 320.
P. 322.
P. 323.

 rimis

rimis mens alienari, inſania ad certum aliquod vnicum obiectum pertinente. Surditas aucta. Hoc ſtadium durabat ad diem nonum. Tertio ſtadio, cum maculae omnes erupiſſent, ſudoris odor vehemens et ſingularis erat; ſurditas adhuc maior, tremor abiens in conuulſiones, alienatio mentis vehementior, vſus linguae periens, vrinae ſedimentum nullum, mors die 9, 11, 13. Eum ſtatum, qui ſuperabant, dubii iacebant vſque ad diem 17; quo quartum ſtadium ingruebat. Pulſus a contracto, qui huc vſque fuerat, liberior, interdum ſputum eiiciebatur, pauci ſudabant, alienatio mentis non niſi veſperi. Maculae, eodem ordine euaneſcentes, quo apparuerant, vrinae ſedimentum per omnia ſtadia
p. 324. reconualituris. Cum adeſſet Noſter fortuito aegris duobus, die 21 induſia mutantibus, quod toto morbo factum non fuerat, accuratius inſpexit dorſum, humeros, brachia, partes alias perpetuo tectas, et veluti a vernice ſuperinducto nitentes vidit. Digito admoto, facillime epidermis receſſit, digito vero adhaeſit ſubtilis rubedo, minio, ſubtiliſſime elaborato, ſimilis. A pluribus partibus corporis copia quaedam eius coloris abradi poterat, etſi plurimum induſio adhaeſiſſet. His duobus aegris ſymptomata maligna vehementiſſima contigerunt, ab iis tamen ſuperata. In aliis nil eius rubedinis vidit. Quod medendi methodum ſpectat, corticem Peruuianum, nullo medico in conſilium aduocato, ſumſerat aeger aliquis, cum graſſari inciperet, epidemia et obiit, alius poſt idem remedium ſumtum difficulter euaſit.
p. 325. Id effecit, vt a cortice abſtineretur. Venae ſectio nil profuit, forte nocuit, poſt eam enim in primo ſtadio, pulſus debilior et alienatio mentis. Veſicatoriorum et ſimilium effectus nullus. Ceterum, maculis et profluuiis ſanguinis, indicantibus ſanguinem dilutiſſimum, acidis mineralibus dulcificatis

vſus

vſus fuit, inprimis ſpiritu vitrioli, item cordialibus, vino Rhenano et Gallico, interne et externe in ſtadio 2 et 3. In vltimo data ſunt inprimis, quae viribus ſubuenirent, item praeſcripta eſt diaeta idonea. Cum ceſſarent hae petechiae, ſecutae febres vulgares et rheumaticae per integrum maium.

10. *Febres malignas petechiales epidemicas Holmiae*, deſcribit PET. ION. BERGIUS. Erraſſe medicos ſuſpicatur, qui macularum eruptionem pro critica habuerunt. Ea ſuſpicio naſcitur ipſi ex ſimimilitudine macularum illarum cum purpura, eſt autem purpura, experientia teſte, mere ſymptomatica. Non minuitur febris cum erumpunt petechiae, ſed ſymptomata omnia peiora fiunt, indicio, nihil hic eſſe critici. Quibusdam etiam nullae maculae erumpunt, aut ſtatim rurſus euaneſcunt, nulla inde oriunda ſenſibili mutatione febris, aliqui conualeſcunt non euaneſcentibus maculis. Medici illa, quam erroneam ſuſpicatur, opinione ſeducti, attentionem forte ad maculas direxerunt, quam febri debebant, regimine calido et diaphoreticis ſanguinis calorem auxerunt et putredinem. Ipſe contra, vt refrigeraretur aeger, potiſſimum curauit, inteſtina purgarentur, putredini obuiam iretur. Ea in re conſentientes habet medicos celeberrimos. Veſicatoria vtiliter adhibuit, cum ingrueret delirium et pulſus fieret remiſſior. Corticis vſus nullus fuit, niſi finita febre, ad vires roborandas et ventriculum reſtituendum.

p. 326. p. 332. p. 333.

11. *Machinam, qua Sinenſes oleum exprimunt,* deſcribit CAR. GUST. EKEBERG. Simplicitate commendantur machinae, comminuendis ſeminibus, et oleo exprimendo, ipſaque haec negotia peragendi methodus.

p. 333.

II.

British zoology. Vol. I. et II. Claſſis I. Quadrupeds; Claſſ. II. Birds; with an appendix, an eſſay on birds of paſſage. 8. Alph. 1. pl. 11. tab. aen. 18. Vol. III. Claſſ. III. Reptils; Claſſ. IV. Fish. 1. Alph. tab. aen. 17. London printed for B. White 1768 et 1769.

i. e.

Zoologia Britannica. Vol. I et II. continens claſſes quadrupedum et auium, cum diſputatione de auium migratione appendicis loco addita. Vol. III. reptilia et piſces.

Cum maior ſplendidiſſimaque huius libri editio, in qua omnia animalia, quae in Anglia occurrunt, aeri inciſa et viuis coloribus picta ſunt, nondum ad manus noſtras peruenerit *); de epitome interim huius operis ad Lectores referre conſtituimus. Continentur vero in ea non ſolum deſcriptiones, quibus maioris editionis figurae illuſtrantur, ſed et triginta quinque tabulae aeneae huic editioni adiectae, nonnulla animalia rariora aut in maiore editione omiſſa exhibent.

Maioris editionis curam nonnulli ex Angliae nobilibus in ſe ſuſceperunt, eo conſilio, vt quaeſtus e venditione huius libri factus, in beneficium ſcholarum nonnullarum Walliae, in quibus pueri gratis inſtituuntur, impenderetur. Auctorem autem harum explicationum, epitomesque, de qua hic agimus, Cl. THOMAM PENNANT eſſe, qui ex nobilibus

*) Continet tabulas CXXXII, ex quo numero et cum tabulae maioris operis in hac epitome tantum in quadrupedum et piſcium claſſibus citatae ſint, coniicimus, reptilia et piſces in maiore editione non reperiri.

libus Walliae eſt, ex dedicatione et praefatione cognoſcimus. Ita vero in hac re verſatur Cl. Auctor, vt ſingulorum animalium deſcriptioni praemittat genericum et ſpecificum eorum nomen, ſynonymaque ex optimis Auctoribus collecta, addatque ea, quae circa eorum vſum oeconomicum atque hiſtoriam naturalem, mores, cet. notanda veniunt. Inprimis magnum adhibuit ſtudium in explicatione locorum, veterum hiſtoriae naturalis ſcriptorum graecorum latinorumque, in quibus animalium, hic deſcriptorum, mentio fit; quod conſilium eo maiore laude dignum nobis viſum eſt, quo denſiore caligine tota haec doctrina adhuc tegitur, cum plurimi criticorum, qui Auctores iſtos explicarunt, parum de hiſtoria naturali cognouerint. Dolemus tamen, Auctori Cl. in ſynonymis conquirendis FRISCHII de auibus opus Germanica lingua conſcriptum, ad manus non perueniſſe, cum ex PENNANTI obſeruationibus ea inprimis, quae in Friſchiano opere adhuc obſcura ſunt, in aquatilium auium praecipue hiſtoria, illuſtrari, atque viciſſim PENNANTI operis praeſtantia ex Friſchiano augeri potuiſſet. Quod inprimis de nominibus Germanicis valet, quae in PENNANTI libro eodem modo, vt in BRISSONII ornithologia factum eſt, maxime corrupta ſunt.

Iam ex titulo patet, deſiderari in hac zoologia duas adhuc animalium claſſes, vermes ſcilicet et inſecta, neque vllus ſuſpicioni datur locus, Cl. Auctorem et harum duarum claſſium editionem moliri. Quadrupeda et aues ſecundum RAII ſyſtema et BRISSONII, piſces vero ſecundum LINNAEI ordinauit; cetacea tamen et amphibia nantia piſcibus addita ſunt. Cum vero inſtituti noſtri ratio non permittat, vt omnia animalia, hic deſcripta, enarremus; ſufficiat, ea tantum indicaſſe, quae in Linnaeano ſyſtemate, tanquam claſſico totius zoologiae libro ad-

 huc

huc deſiderantur, et eas adduxiſſe obſeruationes, quae prae reliquis notatu dignae nobis viſae ſunt.

T.I.p.3. Nonnulli equi in Anglia tanto robore pollent, vt
p. 78. pondus 900 – 1000 librarum portare poſſint. *Muſtela putorius* et *muſtela furo* coitu miſcentur, hybridaque inde ſpecies naſcitur, quae *muſtela furone* fe-
T. II. rocior eſt, quod etiam in ſupplementis voluminis
p. 498. ſecundi magis confirmatur. Hybrida haec ſpecies forte illud animal eſt, cuius figuram Cl. BUFFON, qui tamen haec duo animalia inter ſe miſceri negavit, *Furet-Putois* vocauit *). Recte monet Noſter Ill. LINNAEUM *muſtelam vulgarem* (eſt *muſtela ſupra rutila infra alba* BRISSONII, quam Germani *Wieſel* vocant) cum *muſtela erminea* confundere, eundemque *muſtelam vulgarem*, quando hyemali tempore alba facta eſt, nomine *muſtelae niualis* deſcribere. Differunt vero *muſtela erminea* et *vulgaris* in eo, quod *erminea* duplo maior ſit, atque longiorem et craſſiorem, magisque piloſam caudam habeat, quae in apice nigra eſt; cum *vulgaris* ſpecies vix vnum alterumque pilum nigrum oſtendat. Vtraque ſpecies hyemali tempore alba fit. In *muſtela vulgari* ſummitates aurium et extremitates digitorum colorem ex albo flaueſcentem habent. *Erminea* in
p. 99. campis et ſyluis habitat, rariusque aedificia intrat, in quibus *vulgaris* frequenter occurrit. Speciebus *murini* generis a LINNAEO deſcriptis, additur *mus Noruegicus* (*Surmulot* BUFFONII **), qui tamen in Scandinauia non occurrit. Monet quoque hac occaſione Noſter, *murem rattum* non, vt LINNAEUS aſſerit, ex America in Europam, ſed ex Europa in Americam translatum eſſe.

Ex

*) Vid. BUFFON Hiſt. natur. Vol VII. p. 225.

**) Vid. Hiſt. nat. Vol. VIII. p. 206. vid. Com. noſtr. Vol. X. p. 306.

Ex auium hiſtoria notamus *vulturis* ſpeciem, p. 131.
quam LINNAEUS *albiullam* vocat, licet roſtrum
magis rectum ſit, quam in reliquis falconibus, ta-
men cum caput et collum pennis tegantur, ad *falcones*
EIUSDEM pertinere. Adduntur quoque plures falco-
num ſpecies, vt 1) *falco gyrfalco* (*gerfault* BRISS.) qui p. 136.
a *gyrfalcone* LINN. differt; 2) *falco peregrinus*; 3) *fal-* p. 137.
co griſeus cuius ſpeciei mas eſt *le faucon à collier* p. 147.
BRISS. et foemina *le lanier cendré* EIUSD. et 4) p. 156.
l'ermillon BRISS. Noua quoque ſpecies *ſtrix au-*
riculis breuibus eſſe videtur. Reliquae auium ſpe-
cies, quae in ſyſtemate Linnaeano non occurrunt
et in hoc volumine deſcribuntur, ſunt: *la pie grieche* p. 164.
rouſſe BRISS. *bonaſa ſcotica* EIUSD. et *columba* p. 204.
turtur (*la tourterelle* BRISS.) p. 222.

Secundo volumine auium enumeratio continua-
tur, ex qua ſequentes ſpecies notamus: 1) *Alauda* p. 238.
campeſtris minor, quae digitum poſticum breuem
habet; 2) *alauda rubra* EDWARDI; 3) *alauda cri-* p. 239.
ſtata minor BRISS.; 4) *alauda ſalicaria*; 5) *rubetra* p. 241.
Anglicana BRISS.; 6) *motacilla flaua* EIUSD. p. 243.
quae a *motacilla flaua* LINNAEI differt; 7) *lina-* p. 277.
ria ſiue *fringilla cannabina maior*; 8) *linaria montana*; p. 311.
9) *emberiza niualis minor*; 10) *ſcolopax Lapponica* p. 315.
minor: *limoſa* BRISS.; 11) *le cheualier rouge* EIUSD. p. 323.
12) *tringa cinerea* BRÜNNICH. ornith.; 13) *tringa* p. 355.
macularia maculis nigris; 14) *colymbus minor* BRISS.; p. 357.
15) *vria minor*, quae ad *colymbum troile* LINN. ac- p. 367.
cedit; 16) *colymbus caudatus ſtellatus*: *plongeon à* p. 369.
gorge rouge, *à gorge noire*; 17) *cataracta cepphus*, p. 397.
BRÜNNICH.; 18) *gauia hyberna* BRISS.; 19) p. 411.
anas clypeata pectore rufo; 20) *anas rufa roſtro pe-* p. 414.
dibusque cinereis, Faun. Suecic.; 21) *anas capite gri-* p. 419.
ſeo: *glaucion* vel *morillon* ALDROV. Accurato ex- p. 423.
amine inſtituto, Cl. Auctor cognouit, in *loxia curui-* p. 467.
roſtra mandibulam ſuperiorem non mobilem eſſe. p. 471.

Auis

p. 280. *Auis arctica* ab EDWARDO depicta, a *laro catar-*
p. 418. *racte*, ad quem Ill. LINNAEUS EDWARDI figu-
ram retulit, differt. In fine huius voluminis anne-
p. 505. xa eſt breuis de migratione auium Britannicarum
diſſertatio, qua eae, quae in Britannia nidificant, vel
hyberno tantum tempore accedunt, aut diſcedunt,
indicantur. In figuris, quae ad haec duo priora vo-
lumina pertinent, delineantur: 1) *lupus*, 2 a) *ca-*
ſtor fiber, 2 b) in tabula aenea delineantur auium
characteres, 3) *vultur albiulla*, 4) *falco gyrfalco*
BRISSONII, 5) *falco palumbarius*, 6) *ardea cine-*
rea, 7) *ardea alba*, 8) *ſolopax arquata*, 9) *rallus*
aquaticus, 10) *rallus crex*, 11) *cataracta cepphus*
BRÜNNICHII, 12) *coracias garrula*, 13) *coruus*
caryocatactes, 14) *turdus roſeus*, 15) *ardea grus*,
16) *ardea garzetta*, 17) *ardea minuta*.

In volumine tertio reptilia et piſces continen-
tur. Reptilium claſſis amphibia reptilia et ſerpen-
tia LINNAEI tantum continet, nantes enim ad
piſces cum cetaceorum ordine ex quadrupedibus re-
T. III. feruntur. *Vipera Anglica nigricans* PETIVERII ſeu
p. 18. *coluber preſter* LINNAEI eſt varietas tantum vul-
p. 43. garis ſpeciei, quam LINN. *colubrem berum* vocat. De-
ſcribitur quoque hic *balaenae* ſpecies, capite roſtrato,
(beak-headed whale) dentibus nullis, fiſtula in ver-
tice, apertura ſemilunari; aliaque noua, vt videtur,
p. 44. *phyſeteris* ſpecies, capite maxime obtuſo (*blunt hea-*
ded cachelot) dorſo impinni gibberoſo, fiſtula in roſtro.
p. 61. *Petromyzon branchialis* non branchiis piſcium adhae-
ret, ſed in luto et fundo fluuiorum habitat. In
p. 63. *raia bati* numerus ordinum aculeorum in cauda va-
p. 72. riat. Spinas *raiae paſtinacae* et *tetrodontis lineati*
venenatas eſſe negatur. *Squali* ſpecies indicatur, quae
p. 78. *the basking ſhark* hic vocatur et *ſqualus maximus*
LINN. eſſe videtur, cum piſcatores ad maiorem pin-
p. 86. nam analem non attendiſſe veroſimile ſit. *Vulpes*

marina

marina (the ſea-fox) hic deſcripta eſt *chimaera mon-*
ſtroſa LINN., cuius ſynonymum Auctor omiſit.
Squalus ſtellaris LINN. ex Cl. PENNANT mente p. 89.
mera tantum varietas eſt *ſquali caniculae.* Additur p. 92.
quoque noua ſquali ſpecies a Cl. BORLASE hiſto-
riae naturali Cornubiae inſerta, quae *the porbeagle*
dicitur, nec non alia *lophii piſcatorii* ex eodem Au- p. 95.
ctore. *Syngnathum acum* et *ſyngnathum typhlen* Cl. p. 108.
Auctor coniungit, *ſyngnathum ophidion* vero pecu-
liarem ſpeciem eſſe contra GRONOVIUM defendit.
Muraenae anguillae et *muraenae congri* differentia, non p. 116.
conſiſtit in roſtro tentaculis duobus ornato, quae in
congro reperiri varii Auctores ſcribunt, haec enim
tentacula in vtraque ſpecie adſunt vel deſunt; ſed,
vt alia taceamus, in linea laterali ex punctis albida
potiſſimum quaerenda eſt. *Leptocephalus* GRONO- p. 125.
VII, quem Auctor Noſter in honorem amici ſui, qui
hunc piſcem detexit, *the Morris* vocat, fuſius hic de-
ſcribitur. *Blennius phycis* LINN. ad *gados* ob for- p. 158.
mae maiorem cum his ſimilitudinem reducitur. *Ga-* p. 164.
dus muſtela maculata RONDELETII (the ſpotted
whiſtle fiſh) a *gado muſtela* LINN. qui brunum co-
lorem habet (the brown whiſtle fiſh), diſtinguitur.
Pleuronectes paſſer LINN. cum in omnibus cum *pleu-* p. 188.
ronecte fleſo conueniat, niſi quod oculos in ſiniſtro
latere habeat, tantum vt varietas eiusdem conſide-
ratur. Alius quoque huius generis piſcis deſcribi- p. 189.
tur, cuius RAIUS in ſupplementis mentionem ſub
nomine *rhombi laeuis Cornubienſis maculis nigris* fecit.
Piſcis pulcherrimus et rariſſime tantum in mari Bri- p. 201.
tannico reperiundus, qui *opah* hic vocatur ad *chaeto-*
dontes LINN. pertinet. Numerus radiorum in mem- p. 202.
brana branchioſtega piſcium, qui ad *labri* genus per-
tinent, variat, cum v. c. *labrus tinca* quatuor, aliae vero
ſpecies quinque habeant, idemque de radiorum nu-
mero in pinnis valet. Adduntur quoque aliae no- p. 204.
vae

vae *labri* ſpecies: *trimaculatus* ſcilicet, *lineatus* (ſtriped); aliaeque tres ſpecies, quas *goldſinny*, *comber* et *cook*
p. 253. in Cornubia vocant. *Salmonis* ſpeciem, quam *ſalmulum* RAIUS dicit, non iuniorem ſalmonem vulgarem ſiſtere, ſed ſpeciem plane ab his diuerſam, pluribus
p. 293. argumentis oſtendit. Ea *clupeae* ſpecies, quae Anglis *pilchard* audit et quae ad nullam LINNAEI ſpeciem referri poteſt, pluribus a *clupea harengo* differt. Corpus minus compreſſum et magis craſſum atque rotundum eſt in priore, maxilla ſuperior reſima, inferior breuior, dorſum magis eleuatum, pinnaque dorſalis capite propior, quam in clupea harengo, qui piſcis in vniuerſum magnitudine priorem ſpeciem ſuperat.

p. 321. In appendice varia narrantur notatu digna circa bufonem quendam, qui per plures (ad 40 et vltra) annos a familia quadam nutritus, adeo manſuetus factus eſt, vt ſe manibus prehendi, nutriri,
p. 333. varioque modo tractari lubenter permitteret. Alia obſeruatio pertinet ad vſum, quem bufones viui vlceri cancroſo applicati, praebent, qua de re plura profecto experimenta inſtituenda eſſent. Narratur enim ex literis Cl. PITFIELD bufones, ſi vlceri cancroſo admoueantur, ſtatim ſugendo auide eidem per aliquot nonnunquam horas adhaerere, vſque dum mortui aut ſemimortui decidant. Sub ipſa ſuctione palleſcunt et vehementer intumeſcunt, ita, vt pondus a drachma vna ad vnciam vnam auctum Cl. Auctor obſeruauerit. Haec ſuctio inſigne leuamen aegris, cancro laborantibus, attulit, exſtantque relationes, nonnunquam perfectam curationem hoc remedio factam fuiſſe. Monet tamen Cl. PITFIELD illud, ſi omnis humorum maſſa iam cancri veneno
p. 340. affecta ſit, nullum vſum praeſtare. *Labri* quoque ſpecies in appendice deſcribitur, quam *wraſſe* Angli vocant. Haec radios in membrana branchioſtega oſten-

oſtendit quatuor: in pinna dorſali $\frac{20}{31}$ vltimo duplici, in pectorali $\frac{1}{6}$, anali 12, ex quibus 3 priores ſpinoſi, reliqui diuiſi ſunt. Cauda rotundata eſt. Color corporis flauus eſt, maculis aurantiis diſtinctus.

In tabulis aeneis ſequentia animalia delineantur: 1) Lacerta agilis et vulgaris; 1*) balaena capite roſtrato, ſqualus ſpinax, muraena conger, gadus aeglefinus, cottus ſcorpius et cyprinus phoxinus; 2) phyſeter capite obtuſo; 3) dentes variorum piſcium cetaceorum; 4) chimaera monſtroſa; 5) lophius piſcatorius; 6) ſyngnathus barbarus, ſeu acus et ſyngnathus ophidion; 7) anarrhichas lupus; 8) leptocephalus GRONOVII ſiue *the Morris* Auctoris et ammodytes tobianus; 9) gadus luſcus et minutus; 10) blennius viuiparus, blennius gunnellus et gobius aphya; 11) cottus cataphractus et cottus gobio; 12) labri ſpecies quam *ballan* Auctor vocat; 13) mullus barbatus; 14) trigla lyra; 15) ſalmo alpinus; 16) ſalmo lauaretus; 17) clupea harengus et illa clupeae ſpecies, quae Anglis *pilchard* audit.

III.

CAROLI STRACK, Med. Doct. et in Vniuerſit. Moguntin. inſtitut. medic. P. P. obſeruationes medicinales de morbo cum petechiis et qua ratione eidem medendum ſit. Carolsruhae ex officina aulica Macklotiana. 1766. 8. pl. 20.

Cum iſte morbus anno 1760 et ſequentibus in vrbe agriſque Moguntinis graſſaretur et per aliquot annos multos raperet aegros, omnem impendit huic morbo medendi operam Cl. STRACK et quadringentas aegrorum, quorum curam habuit, collegit hiſtorias, ex quibus dein hic liber confectus eſt.

eſt. Deſcribit enim in eo, ex ſolis obſeruationibus, accurate et aſſidue collectis, nato, morbum cum petechiis, epidemice graſſantem, vna cum aliis morbis acceſſoriis, eiusque cauſſis, ſymptomatibus atque ſignis perſecutis et expoſitis nonnullis huius morbi hiſtoriis, petechiarum ſedem ac naturam atque iis medendi rationem veram et falſam, oſtendit.

p. 9. Ac primum quidem quaerit Cl. Auctor: an et quando petechiarum morbus ſit? ardua enim inter medicos orta eſt diſputatio, vtrum per ſe contingant petechiae, an arte e. g. calefacientibus medicamentis et calido regimine, fiant? ſed eſſe petechias vere a natura productas iiſque laboraſſe aegros, quibus omne calidum regimen et medelam denegauerat, probat Noſter exemplis et numerat praecipue hoc morbi genus inter morbos caſtrenſes.

p. 14. Tum notas morbi petechialis perſequitur. Symptomatibus, aliis morbis nec minus communibus et pro varietate aegrorum variantibus, miſſis, alii hebetes bardique ſunt, interdum vrina viridis et ſubnigra eſt atque ſedimentum flauum praecipitat, et ab ipſo morbi principio putridum alui eſt profluvium. A nonnullis, morbo incipiente, dolor acutus iuxta coſtas ſpurias vel infra easdem pleuriticus animaduertitur et aliis leuis in cute eſt aurigo.

p. 16. Ab initio difficilis eſt cognitu hic morbus; nono autem die, quandoque etiam tardius in extrema cute maculae, pulicum aut pediculorum (inde et pediculae appellatae ſunt a nonnullis) morſibus, abſque tamen areola, ſimiles apparent. Saepe ſeptimo die, nonnunquam altero die accedunt, interdum ab initio morbi adſunt. Nihilominus autem, ſiue ocyus ſiue ſerius eruperint, mitius ſe habent aegri. Occupant plerumque eas corporis partes, quae mollem tenuemque habent cutim, vt circa collum, mammas, in extremitatibus, ſuperioribus praecipue,

circa

circa muſculum bicipitem, potiſſimum vero a flexura cubiti ad carpum vſque. Atque tum interna carpi pars, nec non reliquae partes corporis ſolent a petechiis eſſe liberae; ſaepenumero autem totum corpus ad caput vſque infra mentum retroque auriculas occupant.

Sunt autem petechiae maculae paruae, rotundae, ſeminis papauerini, nonnunquam etiam milii latitudine, diffuſae, circumſcriptae, interdum confluentes, profunde vt ex liuido rubrae, in aliis roſeae, in aliis liuidae, potiſſimum iuxta internam carpi cutim, vbi multae conueniunt venae, ſplendentes, quaſi vitreae. Cineraceas, quas quidam volunt, non vidit Noſter. Citius et tardius euaneſcunt; viginti duos enim imo quadraginta dies interdum petechias adfuiſſe notauit, interdum reuerſae ſunt et poſt annum. Alias mala et grauia, alias bona et leuia concomitantur ſymptomata. Vidit enim Noſter petechias ſine febre, nec vlla corporis infirmitate. Nec minus autem febrim, ante eruptionem petechiarum praeſentem, mitigari poſt earum eruptionem, imo, niſi praepeditur febris, intendi, (quare et illud exanthema Noſtro non criticum videtur), et aegros ſphaceloſos exſtingui, petechiis cutem adhuc occupantibus, obſeruauit. p. 18.

Commemoratis eorum ſignis, qui moriuntur et qui ſanitati reſtituuntur, explicat Noſter nomina quaedam, quae impoſuit diuerſis petechiarum ſupra nominatis ſpeciebus, et *circumſcriptas* eas appellat, quae aequaliter rotundae ſunt, nec limbo excedunt, ſed circulo quaſi ſunt circumdatae. Atque haec ſpecies maxime eſt communis. Aliam nominauit *diffuſas*, quae neque rotundas, neque aequales habent maculas, ſed hinc inde ſparſas. Hae circumſcriptis ſunt peiores, partim quoniam in ſe ſunt exitioſiores, partim quoniam medicum non valde at- p. 25.

tentum fallunt. Sunt enim pallidiores ideoque non adeo diſtincte a medico poſſunt animaduerti. Solet porro in iſtis diffuſis largum ex naribus ſanguinis tenuiſſimi profluuium promanare, id quod certiſſimum mortis eſt ſignum et ſummam humorum prodit reſolutionem. Quo facto, monet Cl. Auctor, et multos eodem tempore, quo petechiae graſſabantur, ſimili modo abſque petechiis aegrotaſſe, quos eodem modo, vti infra monſtrabitur, tractari oportet, vt petechiae praecaueantur. Hi morbi autem intercurrentes appellantur. Tandem cum SYDENHAMO, morborum epidemicorum miasma tempore et ſaepe eundo miteſcere rato, et hoc in petechiis animaduertit.

p. 31. His conſideratis, proponuntur a Noſtro variarum curationum experimenta. Vſus enim eſt methodo antiphlogiſtica et refrigerantibus cum regimine iuſto et venaeſectione; nihilominus autem petechiae prouenere ſine vllo leuamine aegri et ſymptomatum ceſſatione. Aliis camphoram et diaphoretica aliaque exhibuit ſine fructu. Tum conſtituit, primas vias aggredi et dedit laxantia aeque ac purgantia, diagrydium e. g. et ialappam, interpoſito decocto refrigerante, multo cum fructu. Quibus enim exhibitis, magna putridarum fecum copia ſenſim eſt eiecta et ſymptomata partim mitigabantur, partim penitus ceſſabant, et petechiae vel plane non, vel parum apparebant. Quare omnes aegros dein, neque febris, neque delirii, neque ſurditatis, neque ſoporis, nec vlla temporis habita ratione, medicamentis purgantibus curauit. Commemorat ideo obſeruationes, ex quibus patet, hanc medendi methodum ſemper ex voto ſucceſſiſſe. Inter quas hoc vnicum tantum notemus, chronicae ſcabiei ſuperueniſſe petechias, ita vt ſcabies remaneret.

His

His obſeruationibus praemiſſis, diſquirit Cl. Au-ctor, quae cauſſa petechiarum et qua ratione ipſi morbo ſit medendum? et affirmat, petechias neque excitari poſſe calido regimine et omnino minus apta curatione, neque criticas eſſe, ſed per ſe exiſtere et ſolummodo pendere a putrida vitiatorum ciborum ſiue vermium aut viuorum aut mortuorum, ſeu alius colluuiei corruptae collectione, in infimo ventre confluente et latente. Quam ob cauſſam pauperiores ob boni cibi defectum plerumque in hunc morbum cadunt, et quamquam hic morbus epidemice graſſabatur inter milites, quibus valde communis eſt ideoque a Noſtro militaris dicitur, tamen infimos milites magis eodem affectos eſſe, quam ſuperiores, Cl. STRACK obſeruauit. Quae omnia, etiamſi iam ex ſuperioribus declarantur, denuo obſeruationibus illuſtrat, ex quibus, data emetica, laxante purganteque medicina, et interdum enematibus, multam putridam humorum copiam, per os et anum eiectam, et vrinam, iumentorum ad inſtar, miſſam, nec non in aliis ſudorem largum acidum erupiſſe et aegros ita ſeruatos eſſe elucet. Ac eos, qui dyſenteriam ante habuerant, petechiis non laboraſſe animaduertit. Ex his itaque concludit, petechias nunquam criticas eſſe, ſed ſignum multae impuritatis in infimo ventre, easque non prius fieri, ac ſi earum miasma cum putrida colluuie, in imo ventre latente, coiuit, nec aliter iis eſſe medendum, quam ventre ab iſtis inquinationibus liberato. p. 69.

In qua corporis parte petechiarum miasma reſideat? diſquirit Cl. Auctor, quaerens: cur petechiae aegrorum cutem occupent? vtrum earum miasma ipſum ſanguinem intret eundemque vitiet, an vero illud in infimo ventre decumbat, maneatque, vel ex eo loco in caeteras corporis partes tranſeat? atque reſpondit: apparere in cute potiſſimum pete- p. 112.

 chias,

chias, quoniam miaſma petechiale cum corrupta illa materia, imum ventrem petente, coiuit, minime vero, quoniam miaſma communicatum eſt cum ipſo ſanguine. Id quod multis argumentis confirmat Cl. STRACK, ex quibus quatuor tantummodo commemoremus. Ac primum quidem, cum petechiae, purgato ventre, euaneſcant, dein, qui puritati infimi ventris conſulunt, ſuſcepto miaſmate, petechiis non laborent, porro cum multi eodem morbo absque petechiis ſint affecti, ac tandem cum ipſa febris, petechiis vel euaneſcentibus, diu continuet propter relictas adhuc ventris impuritates. Quae omnia denuo illuſtrat obſeruationibus; ex quibus et hoc patet, quod ſupra Cl. Auctor dixit, petechias interdum ſine febre adeſſe, nec pendere illas ab aeſtu febris, nec raro plane abeſſe.

p. 133. Ex qua corporis parte febris ordiatur? incaleſcente impura infimi ventris colluuie per ſe, eaque cum petechiarum miaſmate ſeſe communicante, vicinae partes circum accenduntur, atque tum febris, quae continuo exardeſcit, nec remittit, excitatur. Potiſſimum autem eam materiam ineſſe inteſtinis patet ex eo, quod emetica non tam putrida, quam laxantia expellunt, et ii, qui ex naturae beneficio ſanantur, non vomitu, ſed alui profluuio conualeſcunt, quoniam eorum vrina turbida, iumentorum ad inſtar, eſt, eaque ſemper ſignum certum materiae putridae in inteſtinis eſt; quoniam aegris abdomen dolet ac tumet indeque laborioſe ſpirant et anguntur, et quoniam tandem omnes, qui pereunt, inteſtinorum habent ſphacelum, etiamſi alia viſcera, antea iam labefactata, ab eo quoque non libera ſunt, nec immunia a muci collectione, qui ſaepe, fibrarum integritate viſceribus interioribus reſtituta, excutitur, atque in inteſtina, vt commune aliquod receptaculum, dimittitur, et ex iis depellitur.

Atque

Atque in viſceribus muco tenaci repletis, dum explicat ſymptomata, videtur Noſtro cauſſa poſita eſſe, cur interdum diu duret febris et tardius progrediatur morbus. Oculorum rubor, ſopor et ſurditas ſunt bona ſigna. Sudor, ſiue ab initio morbi, ſiue cum febre, ſiue, finita febre, erumpat, non criticus eſt, ſed oritur ex repletione nimia ac impura infimi ventris. Tuſſis cum expectoratione muci, pleuriticorum inſtar, proficiſcitur a muco, ex inteſtinis in ſanguinem conuerſo, perinde ac infantes, quorum venter muco et vermibus eſt impletus, ſine febre tuſſiunt. Articulorum dolor in pedibus, potiſſimum circum malleolos et in talo, ſaepe ad manus, interdum in humero cubitoque iis eſt communis, quorum morbus diu durat et difficilis eſt, vel ex ventris impuritate, vel ex conuerſione eiusdem materiei ad eos artus. Finita febre, mitefcit quidem, non autem deſinit, quin quadraginta dies adhuc poſt remanſit, donec omnia erant purgata infimi ventris viſcera, ac ii, quorum morbus reuertitur, diaeta neglecta, iterum experiebantur hos dolores, ſi antea adfuerant. Horum ſymptomatum explicationem nunc Noſter obſeruationibus illuſtrat, ex quibus, dato purgante eoque repetito, haec ſymptomata ſeſe leuaſſe, ac inprimis articulorum dolores, nec vllo alio ſiue externo, ſiue interno remedio, quibus Cl. Auctor multis vſus eſt, ceſſaſſe elucet. p. 141.

Curatione itaque petechiarum praemiſſa, Cl. Auctor agit de vitiis, quae petechiarum morbo ſaepe vel ſuperueniunt, vel ab eodem ſuperſunt. Superueniunt enim petechiis aliae corporis morboſae mutationes, quarum potiſſimum tres ſunt: febris nimirum intermittens, hydrops et in externo corpore abſceſſus. Obſeruauit enim Cl. Auctor, partim in ipſo petechiarum morbo, ardore febris quodammodo remittente, nouas febriles acceſſiones quotidianas p. 184.

 ſiue

ſiue tertianas, ſuperato petechiali morbo, iterum euaneſcentes, partim petechiis deſquamatis. Hae febres iis plerumque accidebant, qui nimium inprimis carnium et durorum ciborum, vt caſeum et lactucam, braſſicam, comedebant indeque infimi ventris impuritates iterum colligebant, nec quidquam praeter laxantia remedia iuuabat. Hydropem purgantibus in principio non diſcuti, ſed, ſubductis omnibus impuris per purgantia, largum vrinae ſequi profluuium, quo ſuperflua aqua ex corpore expellitur, Cl. Auctor refert. Quod tandem abſceſſus attinet, quos multi, vt criticos, intuentur, ad parotides, porro bubones, furunculos et exulcerationes iuxta articulos, nihil in hoc morbo iuuant ideoque pro criticis haberi nequeunt. Oriuntur enim, finito morbo, et ſunt indicium relictae adhuc in infimo ventre materiei putridae. Id quod patet ex eo, quod ii, quorum venter ſatis eſt depuratus, nullos habent abſceſſus, nec vllo alio modo ipſi abſceſſus, quam laxante medicina, ſanari poſſunt.

p. 216. Quo facto, diuerſa curationum genera examinat, quibus diuerſi vtuntur Auctores, et quae potiſſimum his tribus continentur: refrigerantibus nimirum, aromaticis remediis et cortice Peruuiano. Ad refrigerantia ſimul cum venaeſectione et enematibus refrigerantibus, ex ſero lactis cum nitro et melle compoſitis, acida mineralia et vegetabilia refert Noſter. Alii dant camphoram, ſal ammoniacum eiusque ſpiritum, theriacam, radicem ſerpentariae Virginianae, nec non veſicatoria applicant, hisque omnibus ſudorem excitare tentant. Sed omnia hic poſſe adhiberi et a ſe ipſo eſſe aegris, ſi neceſſitas poſtulauit, propinata, largitur quidem, purgatis tamen antea, iteratis vicibus, primis viis. Alias, praeſertim ab iſtis aromaticis, febris et viſcerum gangraena, quae ſponte his in morbis oritur, facilius ac citius

tius excitatur. Quapropter omnia haec ab initio reiicit, quoniam petechiae nunquam pro criticis habet, nec earum cauſſam in ſanguine, ſed in imo ventre Noſter quaerit. Haec, quae ſentit, Cl. Auctor obſeruationibus denuo illuſtrat, ex quibus elucet, ceſſaſſe quidem petechias interdum, his, ſupra nominatis medendi methodis, ſed ventris magnum tumorem remanſiſſe et, nonnullis diebus praeterlapſis, aegros iterum male ſeſe habuiſſe, petechiasque rurſus apparuiſſe. Dato autem laxante eoque repetito, curatio felicior ſucceſſit. Commemorantur quidem a Cl. Auctore obſeruationes, vbi cortice Peruuiano adhibito ſaepeque immiſſis clyſmatibus, aegri ſine laxantibus ſunt ſanati largo alui profluuio. Sed ſanationem hanc eatenus tantum tribuit cortici, quatenus diarrhoeam, a natura excitatam, ſimul cum clyſteribus adiuuit. Omnino autem ſuperuacaneus videtur Cl. Auctori corticis vſus, ſi petechiae ſunt circumſcriptae et impura colluuies ſolis in inteſtinis reſidet. Quod ſi vero diffuſae ſunt, cumque iis mucus tenax in infimi ventris viſceribus haeret, et morbus diu durabat, aut ſi materiei impuritas vnam tantum alicuius inteſtini partem occupat, ob metum gangraenae cortex ſimul in auxilium eſt vocandus, ſed, victa gangraena, iterum ad purgantia eſt confugiendum.

Si petechiae cum alio quodam morbo conueniunt, quomodo ſit ſuccurendum? poſſunt petechiae, alio morbo iam praeſente, in cute ſeſe monſtrare, febre nimirum intermittente, variolis, dyſenteria, potiſſimum iis morbis, qui epidemice tum homines inuadunt. Quemadmodum enim diuerſa morborum miaſmata in eodem aëre ſimul eſſe, ſic et varii morbi in vno eodemque corpore vno eodemque tempore oboriri poſſunt. Ita aeſtate anni 1761. petechias, morbillos, variolas, febres ſcarlatinas, purpuram, p. 247.

 dyſen-

dyſenterias et febres intermittentes, populares eſſe Noſter obſeruauit. Supra iam annotauimus, intermittentem, petechiis praeſentibus, poſſe interdum excitari, hic vero Cl. Auctor exempla commemorat, vbi petechiae ad aegros, febre intermittente laborantes, accedebant. Tum purgantia ſunt danda, donec petechiae, vt ſignum putridae materiei in imo ventre, ceſſant, dein febris aut reliquorum morborum, ſupra dictorum, quibuscum petechiae ſimul apparent, niſi per ſe deſinunt, ratio eſt habenda. In paroxyſmo febris intermittentis, Noſter animadvertit, petechias nec rubras, nec plures fuiſſe, quam intermiſſionum tempore, ex quo id, quod ſupra affirmauit, denuo demonſtrat, petechias non fieri a calore. Porro notandum eſt, aegros variolis et petechiis ſimul affectis, non peius ſeſe habuiſſe, quam qui ſimilibus variolis abſque petechiis laborarunt, nec quidquam remanſiſſe.

p. 276. Finit Cl. Auctor hunc tractatum cum morbis huc vſque intercurrentibus, hoc eſt, iis, quibus inter petechiarum morbum, cum is popularis erat, homines afficiebantur. Quorum duo potiſſimum addidit Noſter genera, vnum quod ſine petechiis quidem erat, omnia tamen petechiarum ſymptomata et notas habebat; alterum, quod aliqua ſolummodo petechiarum indicia prae ſe ferebat, plurima vero diuerſa, potiſſimum cum pleuritidis ſignis communia, complectebatur. De illo egit iam Cl. Auctor in praecedentibus et nos quoque pauca ſupra decerpſimus, de hoc autem iam dicit Noſter, ex quo nunc quaedam ſeligemus. Anno 1762 enim exeunte atque anno 1763 incipiente, pace reſtituta, cum reuerterentur milites multique horum terras Moguntinas peterent, ibique aliquamdiu commorarentur, rurſus petechiarum morbus, qui, antecedente aeſtate ac autumno, deſierat, iterum graſſari incipiebat.

Erat

Erat enim antecedentibus menſibus ab auguſto ad nouembrem tempeſtas pluuioſa ac perhumida cum denſis ſaepe nebulis; quibus, emollitis et relaxatis corporibus, ea multum muci collegerunt, qui tandem in putredinem abiit atque vagum morbi miasma recepit. Multi itaque aegri, praeter eos, qui cum et ſine petechiis decumbebant, eodem tempore pleuritide laborabant, quam a ſimili cauſſa, a qua ipſe petechiarum morbus prouenit, ortam cum videret, eadem ratione curari oportere, qua petechiae, Cl. Auctor apud animum conſtituit. Nam, inſtituta et reiterata venaeſectione, impoſitis fomentis emollientibus veſicatoriisque applicatis, nec minus datis iulapiis refrigerantibus et decoctis emollientibus cum nitro et oxymelle ſcillitico, quae alias pleuriticos iuuant, nihil effecit Cl. Auctor, ſed delirio quinto die accedente, gangraena aegros trucidavit. Incipiebat in his aegris frigus cum acuto lateris vnius vel alterius dolore, cum reſpiratione denſa et tuſſi ſicca, interdum excretione muci tenacis et rufae pituitae, quod excipiebat calorem, qui, continuantibus recenſitis ſymptomatibus, vno tenore exarſit. Inter ſigna, huic pleuritidis ſpeciei praecipue communia, refert Noſter, ardente febre, vrinam flauam aut, inclinata febre, rubram ſeu iumentorum ad inſtar, ſputum non coctum, ſed tenax rufum vel rubrum, alui profluuium putridum vel per ſe ortum vel, inditis enematibus, excitatum, maiorem laſſitudinem, quam alias in pleuritide, liuidum quarto die circa oculos limbum, mittimus alia. Haec ſunt, quae STRACKIUS habet de petechiis, quas primo FRACASTORIUM, cum annis 1505 et 1528. P. 305. in Italia populares fuerant, tradidiſſe dicit. Diu iam ante autem eae in caeteris regionibus, vt Cypro et vicinis inſulis graſſatae ſunt. Atque, quoniam HIPPOCRATES, qui et minimorum mor-

borum obſeruationes collegit, illum morbum non habet, eum non fuiſſe antiquiſſimis olim temporibus, nec opus eſſe controuerſia cum iis, qui iſtas aſpretudines, morſibus culicum ſimiles, ab HIPPOCRATE in ſuis de morbis popularibus atque coacarum praenotionum libris deſcriptas et a petechiis adeo diuerſas, pro petechiis habent, arbitratur.

IV.

ALBERTI V. HALLER operum anatomici argumenti minorum tomus tertius. Accedunt opuſcula pathologica aucta et recenſa. Lauſannae ſumptibus Fr. Graſſet et ſociorum. 1768. 4. Alph. 2. pl. 3. tab. aen. 17.

Opuſculorum anatomicorum Illuſtriſſimi Auctoris pars vltima ſequentia habet ſcripta *).

p. 1. XXXIV. *De monſtris* libri duo. Quas inde ab anno 1735 quo primum ediderat *anatomen fetus bicipitis ad pectora connati* **) pluribus minoribus ſcriptis, opuſculis anatomicis ***) et pathologicis ****) inſertis, monſtrorum variorum deſcriptiones dedit, eas nunc omnes Ill. Auctor duobus his libris complecti voluit, additis tamen obſeruationibus ex aliis Auctoribus, multo labore collectis. Redegit eas cum ſuis in ſyſtematicum ordinem, pluribusque meditationibus auxit, atque hoc opere ſententiam, prioribus ſcri-

*) De ſecundo horum opuſculorum volumine vide Comment. noſtr. Vol. XV. p. 527.

**) In *tempe Helueticis* 1735.

***) v. c. libellus *de fetu bicipite*, auctus et emendatus; *duorum monſtrorum anatome; de fele capite ſemiduplici; de fetu cranii experte; ad* LEMERY *de monſtris obiectiones reſponſio.*

****) *De fabricis monſtroſis; de renibus coaleſcentibus et monſtroſis; de pullo tripede.*

ſcriptis de origine monſtrorum propoſitam, plurima ſcilicet eorum, quae in eiusmodi corporibus a fabrica conſueta recedunt, non per accidens nata, ſed iam in germine ita, qualia in lucem eduntur, delineata fuiſſe, egregiis atque praecipue ex anatomica eorum diſquiſitione ductis argumentis, confirmat. Quem quidem laborem ſibi fatetur plane fuiſſe nouum. Siquidem iſtud opus tractauit eo modo, vt argumenta vtriusque ſententiae abſque opinionis fauore vllo ponderaret, liberumque ſibi faceret, in eam partem tranſire, quam cognoſceret, maiorem ſpeciem veritatis prae ſe ferre. Totam vero hanc diſputationem Ill. Auctor in duos libros diuiſit. Primus phaenomena, tum ex ſuis, tum ex aliorum obſeruationibus deſumta, continet, quae ſunt exempla monſtrorum, ſeu fabricae, a conſueta fabrica adeo euidenter aberrantis, vt etiam ignarorum oculos feriat, ex hominibus brutisque, in ſuas claſſes redacta. Enarrantur itaque primum vitia cutanea, in variis fetubus obſeruata; deinde exempla magnitudinis diverſarum partium, praeternaturaliter auctae, vbi etiam de eo vitiorum genere agitur, quod oritur, ſi gelatinoſus humor, in telam ſubcutaneam congeſtus, tumorem format. Porro exempla ſitus partium mutati, partibus extra cauitatem, in qua latebant, erumpentibus, defectus oſſium cranii, alienae fabricae, partium nimiarum vel deficientium, diuiſarum vel connatarum, capitis ſemiduplicis, partium ſuperfluarum, fetuum bicorporeorum, monocephalorum, fetuum aliorum compoſitorum, atque bicipitum variae ſpecies. Addit tandem Ill. Auctor monſtra animalium frigidorum, oua monſtroſa, plantarumque monſtra varia. Noua nobis videtur eſſe figura, quae pullum tripedem ſiſtit, qui ſupernumerarium pedem de vropygio ſuſpenſum habebat.

Secundus

p. 131. Secundus liber phyſiologica corollaria ex obſervationibus praemiſſis continet. Quaeſtionem de cauſſis originis monſtrorum eo accuratius examinandam eſſe, Ill. Auctor monet, quo magis per eam generationis negotium in vniuerſum illuſtrari poſſit. Veterum enim theoria, monſtra per accidens formari, ſi vera eſt, apparet, ſpecioſum inde argumentum a defenſoribus epigeneſeos peti poſſe. Quodſi vero monſtra iam a primo generationis momento talia fuerunt, qualia in lucem eduntur, ſyſtemati contra euolutionum multum exinde roboris accedere, quisque videt. Ita vero in ſua, quam anno huius ſeculi triceſimo quinto primum defendit, ſententia, vlterius declaranda et confirmanda verſatur Ill. Auctor, vt primo veterum theoriam recenſeat et deinde ſingulas monſtrorum claſſes examinet atque de ſingulis definiat, vtrum eae per externam vim, vel morbum ortae ſint, an in primis naſcituri animalis ſtaminibus iam aliena fabrica adfuerit. Ex cauſſis itaque accidentalibus ortum duxiſſe putat cutis vitia, magnitudinem partis auctam, defectum integumentorum, plurima ſitus mutati exempla, nonnullas fabricas alienas, quae ex vi aliqua externa v. c. preſſione ortae ſunt, partes porro deſtructas et diuiſas nonnullaque partium, inter ſe coalitarum, exempla. Ii contra fetus ex illius ſententia iam in primordiis aliter fabricati fuerunt, quibus viſcera ita inuerſa ſunt, vt in bene formato corpore v. c. eae partes omnes in dextro latere ſitae ſint, quae alias in ſiniſtro latere reperiuntur. Qua occaſione curioſius diſquirit, num ex humano receptae fabricae corpore, caſu quodam corpus vniuerſum ita deformari poſſit, vt cor nunc dextrorſum poſitum apicem ſuum habeat, hepar vero in ſiniſtro latere poſitum ſit, e. ſ. p. Oſtendit autem, non ſolum inuerſionis viſcerum cauſſam mechanicam nullam reperiri, ſed et talem inuerſionem

non

non accidere potuiſſe, ſi prius conſueta fabrica iam adfuerit. Porro iam ab initio talia, qualia in lucem eduntur, a conſueta fabrica recedentia, delineata fuerunt ea corpora, in quibus vaſorum adſunt varietates: quae partes inſolitas et ſuperfluas habent, v. c. digitum, vertebram, coſtam, vbi fuſius demonſtratur, eiusmodi partes ſuperfluas, minime alius fetus destructi eſſe reliquias, cum parte fetus ſuperſtitis coalitas: androgyni deinde veri: fetus, caput ſemiduplex habentes: multaque exempla fetuum, in quibus partes coalitae reperiuntur et reliquae monſtrorum ſpecies, ſuperius iam indicatae. Tandem reſpondet ad obiectionem metaphyſicam, qua Deum nil imperfectum creaſſe, ideoque monſtra non in primis ſtaminibus iamiam imperfecta eſſe poſſe, autumant. Docet autem, monſtrum dici non poſſe malum phyſicum; eſſe enim fortaſſis aliquam monſtroſae fabricae vtilitatem, cum ea in plerisque certe vitam et animi vſum non impediat, et praeterea quoque ex ea fabrica ſedes animi viaeque circuli ſanguinis aliquo modo illuſtrentur, formaeque infinitae hominum libertatem Creatoris in delineandis archetypis confirment.

XXXV. *Ad Ill.* BUFFONII *de generatione theoriam adnotationes.* Diſſertatio haec primum, praefationis loco, ab Ill. Auctore praefixa eſt volumini ſecundo verſionis Germanicae *hiſtoriae naturalis* Ill. BUFFONII *), eaque nunc in latinam linguam translata et aliquantum emendata, recuſa eſt. Notum eſt Ill. BUFFONIUM in libro modo citato ſuam de generatione theoriam ita propoſuiſſe **), vt doceat, eſſe in natura rerum materiam quandam, nutritioni et euolutioni omnium corporum organiſatorum proprie deſtinatam, viuam et actiuam. Conſtare p. 174.

eam

*) Prodiit hoc volumen Hamburgi 1752. 4.
**) *Hiſtoire naturelle* T. II. p. 420.

eam moleculis incorruptibilibus, atque illa in organica entia componi, ſimillima magnis animalibus, vel plantis, in quae recepta ſunt. Animal vero eſſe modulum, in quo materia nutritiua figuram ſuam accipiat ad eorum ſimilitudinem. Haec materia ſi vberior adeſt, quam ad corporis organiſati nutritionem vel euolutionem requiritur, liquoris ſpecie ſeponitur in propria receptacula, teſtes ſcilicet in viribus atque ouaria in feminis, continetque ideo omnes moleculas, corpori animali analogas, omnia adeo, quae requiruntur ad formandum ens minus, ſimile ei, a quo naſcitur. Ex commiſtione vero vtriusque ſeminis in vtero particulae iſtae organicae in verum animalculum, parentum ſimile, ex Ill. BUFFONI hypotheſi tranſeunt. In hac itaque theoria examinanda duplex Ill. HALLERO eſt conſilium. Primo vt in veritatem huius theoriae inquirat, oſtendatque eam non firmo fundamento niti, deinde vt examinet, num in ea theoria aliquid ſit, quod Creatoris iuribus noceat, quod quidem varii Theologi Galliae putarunt. Refellit vero primum hypotheſin ipſam, quae non noua eſt, ſed cum HIPPOCRATIS ſententia convenit, docetque, ſpermaticas particulas mobiles, quas BUFFONIUS non animalcula, ſed particulas organicas eſſe putauit, materiei productricis, vera omnino eſſe animalia, hoſpites putreſcentis humoris ſpermatici. Deinde probat, non poſſe animal minutiſſimum ad modulum maximi fingi, neque in vniuerſum fetus parentibus eſſe ſimiles, cum v. c. ſumma ſit vaſorum in diuerſis hominibus varietas, parentesque partibus careant, quas fetus habet, paterque vno teſte orbatus aut artu carens, bene formatum filium generet. Deſiderari tandem in Buffoniana hypotheſi cauſſam, quae particulas iſtas organicas ita ordinet, vt perfectum nunc ex iis animal componatur, atque in vniuerſum ſemen femininum nullum dari, cui to-

tam

tam fere ſuam theoriam BUFFONIUS ſuperſtruxit, nec adeſſe in femina, quae nondum concepit, corpora lutea, in quibus ſemen hoc latere idem putauit. Altera diſſertationis huius parte oſtenditur ex Buffoniana hypotheſi, nil decedere religioni, quod Sorbonae metus fuit, qua occaſione ex perpetua inter ipſam fabricam et fabricae finem in corpore noſtro analogia vbique Creatorem agnoſci, egregie Ill. Auctor demonſtrat. p. 187.

XXXVI. *De cerebro auium et piſcium* *). Ill. p. 191. HALLERUS iam in *elementis phyſiologiae* **) piſcium nonnullorum cerebra ita deſcripſit, vt, omnium deſcriptionibus in vnam coniunctis, compendium tantum eorum, quae vidit, proponat. Has deſcriptiones pleniores nunc et auctas corollariis, collectioni huic inſeruit, additis deſcriptionibus cerebri auium nonnullarum, vt anſeris, anatis ferae, atque alius auis aquaticae, quam tringam eſſe ſuſpicatur. In minoribus auibus cerebrum maximum, in omnibus vero cerebellum cerebro maius eſſe, vidit, cum thalami neruorum opticorum in auibus a cerebro diſtincti et remoti deprehendantur. Maior corticis portio, quam in homine, illeque ferme vbique interior, medulla autem exterior eſt. Ventriculi ſimplices ſunt, non tricornes, corpus calloſum deeſt, et falx durae matris minima deprehenditur. Fornix aliam, quam in homine, fabricam habet; ventriculus vero tertius inter corpora ſtriata latet, cum thalami neruorum opticorum, vti ſuperius indicatum eſt, a reliquo cerebro ſeparati ſint; tubercula tandem quadrigemina et glandula pinealis in auibus deſide-

*) Miſſus eſt hic libellus ad Academiam Batauam d. 19 febr. 1766. in cuius commentariis *Verhandeelingen uytgegeeven door de Holland. Maatschappye* Vol. X. P. I. p. 287 ſeq. etiam nunc inſertus eſt.

**) Elem. Phyſiol. T. IV. p. 591 ſeq.

deſiderantur. Thalami neruorum opticorum non ſolidi ſunt, ſed cauos ſacculos referunt. In cerebello tandem vermis et valuula magna non adſunt, cu-
p. 198. ius locum eminentia quadrigemina occupat. Ex piſcibus cerebra hic deſcribuntur: cyprini carpionis, tincae, coregoni *ferrat* dicti, lucii, troctae lacuſtris, troctae alpinae et troctae, quae *ombre cheualier* vocatur, percae, tandemque muſtelae. Omnes piſces cerebrum paruum, longum et inferius atque ſuperius in duas columnas, ſimiles ſulco, diuiſum atque ex medullari et corticali ſubſtantia compoſitum, habent. Inter ipſa vero piſcium diuerſarum ſpecierum cerebra maxima deprehenditur varietas, cum v. c. in aliis glandula pinealis adſit, aliis autem nulla ſit, in nonnullis ventriculis anterior, a quarto diuiſus, deprehendatur, alii vero illo careant. Omnes tamen piſces medullam habent et corticem atque cerebellum, per ſua crura definitum, cum axi loco arbuſculae; neruos porro olfactorios, in quos cerebrum continuatur, et opticos, glandulam pituitariam, calamum ſcriptorium, commiſſuras cerebri, thalamos, ventriculos et plexum choroideum, in ventriculis latentem; quae omnia adeo cerebro neceſſaria eſſe videntur. Thalami neruorum opticorum, vt in auibus, caui ſunt et a cerebro diſtincti, ſimilique modo in piſcibus corpus calloſum et fornix deſiderantur. Dura mater in omnibus piſcibus cartilagineam fere naturam habet, atque inter eam et piam matrem ſpatium aliquod eſt, oleo aut gelatina, in celluloſam telam effuſa, repletum, quod probat, duram matrem non organon motus cerebri, aut cerebri inuolucrum, ſed cranii perioſteum eſſe. Patet porro ex hac cerebri diuerſorum piſcium diſquiſitione anatomica, non eſſe in cerebro regionem, in qua determinatum aliquod regnum idearum habitet, cum neruus opticus non ſem-

per

per ex thalamis, ſed etiam in diuerſis piſcibus ex variis aliis cerebri partibus oriatur. Licet in piſcibus, vbi nerui optici decuſſantur et alter alteri imponitur, nulla ſit inter eos coniunctio; ſumma tamen vnionis horum neruorum in vniuerſum videtur eſſe neceſſitas, cum etiam in piſcibus proxime cerebrum ingentem tranſuerſam coniunctionem hi duo nerui habeant. Idem fere de ventriculis cerebri, de plexu choroideo, de commiſſuris, de cerebello aliisque partibus valet, quae in omnibus animalium claſſibus reperiuntur. Contra glandula pinealis non adeo neceſſaria eſſe videtur, cum in auibus multisque piſcibus deſit. Summa quoque, quae in diuerſis piſcium vnius generis ſpeciebus in tuberculis, cerebrum conſtituentibus, obſeruatur, varietas probat, officia cerebri eiusmodi varietatibus non mutari. Glandula pituitaria in piſcibus omnibus adeſt, atque ex ea ad cerebrum neruumque olfactorium productio aliqua accedit, quod ill. HALLERO ſuſpicionem mouet, etiam in aliis animalibus hanc glandulam medullam aliquam cerebro addere.

XXXVII. *Sermo primus: de oculis quadrupedum et auium, ad Academiam Gottingenſem miſſus* anno 1765. Ill. Auctor opportunitate ruris vſus, Rupe per aliquot annos multum in diſquiſitione anatomica oculorum diuerſorum animalium occupatus, compendium eorum, quae in piſcibus vidit, in commentariis Academiae regiae ſcientiarum Pariſinae edidit *). Hoc vero et ſequenti commentario omnia, quae in animalibus varii generis reperit, fuſius nunc enarrat, a quadrupedibus et auibus exorſus. Ex quadrupedibus vero tantum oculos bouinos, ouinos, ibicis, rupicaprae, felis, lupi, catelli nuper partu p. 218.

editi,

*) Vid. Memoir. de l'Acad. des ſcienc. année 1762. p. 76. Comment. noſtror. Vol. XV. p. 457. ſeq.

editi, melis, porci, porcelli, leporis et cuniculi diſſecauit, horumque oculorum omnium deſcriptiones accuratiſſimas et ſubtiliſſimas hic communicat. Omnium quadrupedum oculi globum fere referunt, corneaque eorum conuexa eſt, minus quidem, quam in auibus nocturnis eſſe ſolet, magis tamen, quam in piſcibus. Nullam, praeter ſcleroticam, retinam et chorioideam, membranam habent, atque ex his prior nunquam cartilaginea, oſſea, aut pellucida reperitur. Chorioidea vero duabus laminis componitur, quae nunquam ſponte a ſe inuicem ſecedunt. Ex harum laminarum interiore in omnibus quadrupedibus proceſſus ciliaris oritur, duplicatis iugis factus, quae ope muci nigri ad lentis capſulam agglutinantur. In omnibus iris pene circularis eſt et ab vuea vix ſeparari poteſt; mobilis praeterea eſt et a maiori luce contrahitur, quae vis contractilis nonnunquam etiam poſt mortem iterum a calore excitatur*). Striae quoque in omnium retinis reperiuntur longitudinales, nullae autem circulares. Sub vuea et ciliari proceſſu in omnibus, albo cuniculo excepto, mucus reperitur, qui annulo ciliari inſtratus, coronam figuratam format. Humor aquoſus copioſus, et vitreus magnus eſt, cryſtallinus vero multo minor et in anteriore ſuperficie fere planus eſt. Eum vnica arteria adit ex centrali orta, quae vitreum humorem perforat. Retina ex arachnoidea, quae in nonnullis animalibus vt fele, porco, lepore, fibras habet, et alia pulpoſa membrana componitur. Neruus opticus in ingreſſu ſemper rotundus et depreſſus, neque a ſcleroticae apertura remotus eſt. Omnia quadrupeda in retinae interiore ſuperficie rubra vaſa habent, quod iis proprium eſt; atque in omnibus quoque membrana cribroſa in nerui optici fine poſita, eius medullares faſciculos transmittit. In nonnullis

*) In fele iuniore vid. Comment. noſtr. l. c. p. 462.

nullis, vt in mele, porco, cuniculo, retina annulo
mucoſo ſubiecta et annulo ſtriato impoſita ad len-
tem cryſtallinam producitur. Solis porro quadru-
pedibus annulus ciliaris lentem cryſtallinam ambit,
inter duas laminas membranae vitreae interceptus.
Muſculi oculi fere in omnibus conueniunt, habent-
que omnes muſculum bulboſum, qui in homine de-
eſt. Diſcrimina, quae non adeo magna ſunt, omitti-
mus. Adduntur corollaria phyſiologica, ex quibus
notamus: hypotheſin MARIOTTI, qui chorioi- p. 234.
deam viſus eſſe organon adſumſit, cui multi Gallici
phyſiologi acceſſerunt, ab Ill. Auctore obſeruatio-
nibus de interna chorioideae lamina et nigro muco,
qui retinam obducit, refelli: corpus ciliare non lenti
cryſtallinae innaſci, ſed muco nigro adglutinari,
atque eam ob cauſſam non lentem mouere poſſe, ſed
illum vna cum tunica vitrea, quae etiam lenti ad-
haeret, in ſitu ſuo ſeruare: iridemque tandem non
a chorioidea oriri; quod ex fabrica huius partis in
lepore confirmatur.

Has deſcriptiones oculorum quadrupedum diſ- p. 235.
ſectiones oculorum variarum auium, vt milui, ar-
deae, anſeris, anatis, anatis ferae, gallopauonis, gal-
linae, columbae, corui, gallinaginis, picae, noctuae-
que minoris excipiunt. In corollariis Ill. Auctor p. 249.
monet: in auibus a retina ad lentem tenuiorem
propaginem porrigi: nullum eas annulum ſtriatum
habere, ſed corpus ciliatum fere, vt in quadrupedi-
bus, fabrefactum eſſe; neruum opticum vbi in ocu-
lum ingreditur, acuti anguli figuram habere, ex eo-
que partem ſingularem, alterne plicatam, vitreo
corpore contentam oriri, quae in nonnullis auibus,
in anſere v. c. anate, gallopauone cet. manifeſte
lenti adhaeret. Retina etiam, vt in quadrupedibus,
exterius nigro muco obducta eſt, oſſeusque circu-
lus corneam ambit. Duabus quoque laminis retina

componitur, fibraeque in ea in nonnullis auibus conſpiciuntur. Corpus ciliare etiam in auibus ad lentem muco nigro adhaeret. Oculorum figura in aquaticis et graniuoris plana eſt; in rapacibus cornea valde conuexa deprehenditur, quod et de noctua valet, in qua cylindrus ſuper ſcleroticam eminet, et iris a chorioidea membrana diuerſa eſt.

p. 250. *Secundus de piſcium oculis ſermo, ad Gottingenſem Societatem an. 1766 transmiſſus eſt.* Deſcribuntur in eo oculi ſalmonis, variarum troctarum, lucii, cyprinorum variorum, corregoni, muſtelae fluviatilis, percae et tincae, de quibus omnibus praecipua iam alio loco adduximus *)

p. 263. XXXVIII. *Strena anatomica nuperrimarum nempe obſeruationum ex theatro Gottingenſi faſciculus* **). Gottingae d. 1 ian. 1740.

p. 263. XXXIX. *Quod* HIPPOCRATES *humanae anatomes non fuerit imperitus* Gottingae 1737 ***).

p. 272. XL. *De amoenitate anatomes oratio, dicta Gottingae* 1742 ****).

p. 277. XLI. *Opuſcula pathologica, quibus ſectiones cadaverum morboſorum continentur.* Cum de egregia hac obſeruationum, in morboſis cadaueribus inſtitutarum, collectione, iam tum temporis, cum primum in lucem prodierat, ad Lectores retulerimus *****); nunc ea tantum exponere noſtri officii eſſe duximus, quae in hac noua editione addita ſunt. Et in praefatione quidem Auctor Ill. ſua circa ſenſibilitatem experimenta, ac ea, quae de irritabilitate arteriarum dixit, quae vaſa ei non euidenter ad ſtimulum contractilia eſſe videntur, contra Cel. V. DOE-

VEREN

*) Vid. Comment. noſtr. loc. cit.

**) Vid. opuſcul. anat. p. 315 ſeq.

***) Vid. ibid. p. 133. ſeq.

****) Ibid. p. 327. ſeq.

*****) Vid. Comment. noſtr. Vol. IV. p. 80.

VEREN *) eiusdemque diſcipulum Cl. VERSCHUUR **) defendit, oſtenditque, Cl. viros fere eadem in ſuis experimentis vidiſſe, quae ipſe vidit. Addit, in experimentis, circa arteriarum irritabilitatem factis atque ad phyſiologiam et pathologiam traducendis, probe perpendendum eſſe, effectus ſtimuli, a ferro lancinante orti, non cum ſtimulo ſanguinis comparari poſſe, ſeque arteriis minimis vim inſitam et nerueam non eripere, ſed tantum adſerere, in experimentis has partes, ſtimulo minus obedientes, quam muſculos et inteſtina ſibi apparuiſſe. Annexa ſunt noua ſcriptorum variorum teſtimonia, quae inſenſibilitatem pleurae, durae matris, tendinum cet. confirmarunt.

Non ſolum vero obſeruationes, in cadaueribus inſtitutae, in hac noua editione ſequentes acceſſerunt, ſed et in fine additae ſunt plures hiſtoriae curationum grauiſſimorum morborum, ab Ill. Auctore factarum.

Obſ. 3. *Fuſus pluſculis menſibus in ſinu frontali haerens* ***). Plurimi poſt CELSUM Auctores docuerunt, vulnera ſinuum frontalium perpetuo aperta manere. Hoc tamen non ſemper accidere probatur obſeruatione, in puella facta, quae fuſum ſibi in frontem impegit, cuius fruſtum poſt nouem tandem menſes de ſinu frontali exiit, vulnusque facile firma cicatrice clauſum eſt. p. 283.

Obſ. 4. In cerebro feminae ſexagenariae, quae apoplexia ſanguinea interiit, fere omnes partes in ſiniſtro latere nigro coagulotoque ſanguine obtectae, ventriculusque huius lateris eodem humore repletus p. 284.

*) Vid. EIUSD. Obſeruat. academ. pag. 208. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 163.

**) In diſſ. inaugur. de arteriarum et venarum vi irritabili. Groning. 1766. 4.

***) Eſt programma Gottingae 1738. editum.

tus erat. In dextro tamen ichor tantum cruentus aderat, quod ventriculos hos minime inter ſe communicare probat.

Obſ. 16. quae *peripneumoniae ex transſudatione ſanguinis* exempla adfert, noua aliqua hiſtoria aucta eſt, viri, peripneumonia diu laborantis, in quo ſanguis, ab obſtructo pulmone excluſus, in ventriculum et inteſtina exſudauerat. In cadauere alius viri, ſubito exſtincti, vix vitium inuentum eſt, cui mors tribui potuiſſet. Ventriculus tamen ſubruber paullulumque inflammatus, cruentae lymphae aliquid continebat.

p. 298. *Obſ.* 18. In *ſtudioſo, ex morbo pectoris enecto*, pulmo ſiniſter ſuperius vlceratus erat, plenusque ſcirrhis. Haec pars pulmonis in aqua fundum vaſis petebat, reliquus vero natabat.

p. 299. *Obſ.* 21. Puer 17 annorum intra breue tempus magnum incrementum expertus erat, cum morbis variis, quorum ſedes in pectore erat, v. c. pleuritide, haemoptoë. In eo pulſus totum fere pectus occubabat, aegerque vrinae quoque ſuppreſſione laborabat. Tandem, accedente oedemate pedum ſanguineque per os reiecto, exſtinctus eſt. In eius ſectione Ill. Auctor vidit cor totum pectus ita occupare, vt pulmo ſiniſter, in minimum ſpatium compreſſus, lateret. Sinus cordis dexter etiam vehementer dilatatus, aortae vero magnitudo non aucta erat; caro cordis attenuata, pulmonesque nigri, compacti, eorumque cellulae ſanguine repletae deprehendebantur.

p. 305. *Obſ.* 25. In femina triginti circiter annorum, dyſenteria laborante, triduo ante mortem pulſus fere nullus ſimulque celerrimus percipiebatur. Vires tamen animi corporisque ſupererant, aegraque cibum etiam appetebat.

p. 310. *Obſ.* 33. In femina inteſtinum colon, cubiti longitudine ex ano elapſum, vidit Ill. Auctor, quod facile

cile quidem reponebatur, ſed mox iterum deſcendebat. Terminabatur illud oſtio eminente rugoſo, quod valuulam coli referebat. Tunica villoſa ruberrima holoſerico tonſo ſimilis erat, ex eaque nitro aliisque ſalibus conſperſa aquoſus ſudor prodibat, nulla tamen contractio obſeruabatur.

Obſ. 39. Obſeruationibus *de calculis biliariis* antea editis, adduntur aliae, in quibus etiam morborum hiſtoriae reperiuntur. Virgo quadragenaria periodicos vomitus doloresque hypochondrii experiebatur. Aluus conſtipata erat, atque in dextro hypochondrio tumor duriuſculus percipiebatur. Huic Ill. Auctor ſuccos plantarum antiſcorbuticarum, cum iuſculis ex cancris fluuiatilibus et carne vitulina dedit, acidularumque vſum ſubiunxit, atque feliciter eam reſtituit. Poſt plures annos eadem aegra ſimilem morbum experiebatur, qui ſimili fere methodo ſanabatur. Tandem aegram, annum ſeptuageſimum agentem, iterum morbus prior inuadebat, ex quo, accedente febre lenta, etiam obiit. In hac aliaque femina, in qua vehementiſſimi paroxyſmi ex calculis biliariis oriebantur, nulla icteri veſtigia apparuerunt. Hinc opinionem a Cl. COË in tractatu *de calculis biliariis* propoſitam*), Ill. Auctor refellit, atque etiam aliis iisque grauiſſimis argumentis, ex anatomia deductis, probat: calculos veſiculae felleae rariſſime icterum producere poſſe. p. 328.

Obſ. 41. In puella ruſtica ſine vrethrae ſectione, calculus, principio ſuo in vrethra haerens, ſatis grandis hic delineatus, eductus et vrethrae quoque atque ſphincteris robur perfecte iterum confirmatum eſt. p. 330.

Obſ. 42. Ex abſceſſu mammae calculus exſciſſus eſt, teres, in ſpiram contortus, figuram ductus lacti- p. 333

Ee 4 feri

*) A treatiſe on biliary concretions Lond. 1757. vid. Comment. noſt. ſuppl. Dec. I. p. 429.

feri perfecte referens. Naturam praeterea calcaream habebat et ex flauo de lacte glutine, quod in mammae ductu lactifero reſederat, ſine dubio natus erat.

p. 348. *Obſ.* 52. Ouarium ſcirrhoſum maximum in femina 61 annorum, quae hydrope periit, deſcribitur.

p. 356. *Obſ.* 55. Exemplum inoculationis, fruſtra in filia Ill. Auctoris inſtitutae, recenſetur. Veſicatorii et inciſionis ope materia varioloſa applicata, nullam febrem excitauit, neque melius Ill. Auctor ſucceſſit, cum altera et tertia vice noua materia vteretur. Haec tamen ipſa virgo poſtea nupta, pluribus, variolis laborantibus, adſtitit, nec vnquam morbum experta eſt. Adduntur ſimile exemplum, aliaeque inoculationis, cum optimo ſucceſſu inſtitutae, hiſtoriae.

p. 358. *Obſ.* 56. In iuuene, febre miliari putrida exſtincto, in corde vigeſima a morte hora multus aër in bullas cum ſanguine intritus et fere efferueſcens inueniebatur. Inteſtina non inflammata, hepar vero et ventriculi pars vicina rubra et inflammata erant.

p. 368. *Obſ.* 67. Aues ſubmerſas ope ſcintillarum electricarum excitare fruſtra Ill. Auctor tentauit. Aliquos tamen in muſculis motus produxit. Eiusdem quoque ignis electrici applicatio, per 21 dies continuata, in ſurdo ſucceſſu caruit, aegerque licet leuari videretur, tamen cerebri commotione nimis valida territus, ab experimento deſtitit.

p. 368. *Obſ.* 68. Vlcera pulmonum Cl. Auctor cortice Peruuiano, cum lacte decocto, diaeta vegetabili et corporis exercitio aliquoties ſanauit. Feminarum vero, quibus cum ſputo cruento menſes emanſerunt, nullam ſeruare potuit.

p. 372. *Obſ.* 69. Vulnerum renis pulmonumque ſeueriſſimae diaetae ope ſanatorum, exempla enarrantur.

p. 372. *Obſ.* 70. *Hiſtoria morbi epidemici, qui in pago Bernenſi 1762 ſaeuiit*, ad Academiam Pariſinam miſ-

ſus

ſus. Anni huius aeſtas ſicciſſima et calidiſſima fuit, atque vltimis eiusdem anni menſibus in nonnullis pagi Bernenſis locis, inprimis vero in ea praefectura, quam Ill. Auctor regebat, morbus hic ſatis magnam ſtragem edidit. Calor tamen non vnica cauſſa illius eſſe poterat, cum in Alpinis vallibus etiam graſſatus ſit; probantque obſeruationes hic adductae, morbi miaſma, licet contagioſus fuerit, minime tamen ventorum ope translatum eſſe. In initio pleuritidem mentiebatur, ſed altero vt plurimum die pulſus ſubito debilitabatur, viresque proſternebantur et accedebant vomitus, diarrhoea ſpumoſa, cephalaea et ſopor. Nonnulli iam intra 24 horam perierunt, alii ad ſexageſimam vixerunt. In aliis autem, qui diutius morbo reſiſtebant, die quarto inflammationis viſcerum abdominis gangraenaeque ſigna apparebant, dieque quinto vel ſeptimo demum mors accedebat. Aderant in initio morbi ſudores copioſi, deinde vero cutis et oris ſiccitas ſuccedebat, et in nonnullis miliares puſtulae erumpebant. In hoc morbo Ill. Auctor, emeticum raro niſi primis morbi horis dedit, cum in morbis, vires vehementer frangentibus, iis non faveat; ſed cremore tartari, cui catharcticum medicamentum in robuſtioribus addebat, vel tamarindis, ſero lactis iunctis, aluum ſubducebat, diarrhoeamque ſuſtinebat. Propinabat quoque mel cum aqua ſubactum, cui ſpiritum ſulphuris ad octoginta nonnunquam in vna doſi guttas inſtillabat. Naturam enim magnas doſes acidorum mineralium ferre poſſe, in morbo proprio obſeruauit, in quo vltra duas libras olei vitrioli ſenſim ſumſit. Si cardiaco opus erat, ſulphure antimonii aurato vtebatur, non tamen in ea doſi, vt vomitum moueret; in leuiori morbo mixtura ſimplici vires ſuſtinebat. Diaeta aegrorum erat vegetabilis ex decocto auenaceo ſine carne vel ouis. Si tuſſis vrgebat, pectorale infuſum dedit et fomenta

emollientia adhibuit. Vſus quoque eſt cataplaſmatibus ex ſemine lini in aqua et lacte decocti. Venaeſectio funeſtiſſima fuit. Hac methodo adhibita, ex 77 aegris decem tantum obierunt, inter quos varii vino abuſi erant, vel male ab aliis tractati, aut aliis iam morbis laborantes; cum antea ex 95 aegris 85 periiſſent. Frigus inſolitum menſis martii an. 1763 morbum plane exſtinxit. Cauſſam morbi ponit Ill. Auctor praecipue in conclauia anguſta, immunda, fornace calefacta; quapropter aëris renouationem et regimen frigidiuſculum ſuaſit.

p. 376. *Obſ.* 71. Feminam triginta annorum, quae poſt abortum in febrem putridam incidit, conuulſionibus et delirio ſtipatam, lochiis nigris et foetidis effluentibus, ſulphuris primum ſpiritu, deinde cortice Peruuiano et tandem cremore tartari exhibitis, et veſicatoriis applicatis, ſeruauit. Eodem quoque remedio aliam puerperam, febre acuta cum deliriis et vrina pallida laborantem, reſtituit.

p. 377. *Obſ.* 72. In grauida, variolis laborante, variolarum copia, qua oris cauum repletum erat, ſuffocationem minabatur. Vapores aquae tepidae attrahere Ill. Auctor iuſſit ex roſtro vaſculi, in quo thea infunditur. Hinc aegra leuata, curationi reliquae tempus datum eſt, aegrotaque ſaniſſimam puellam partu edidit.

p. 377. *Obſ.* 73. Febrem neruoſam, ad 40 diem durantem, in Heluetia alias infrequentem, in iuuene Anglo curauit Noſter vino, camphora, ſerpentaria et veſicatoriis.

p. 378. *Obſ.* 84. Poſt febrem ſtuporiferam, quam virgo poſt inſultum epilepticum paſſa eſt, corticis Peruuiani ope potiſſimum ſuperatam, illa in verum paroxyſmum epilepticum incidit. Adhibito tamen extracto valerianae cum limatura martis et cortice, paulatim ea conualuit, neque recidiuam paſſa eſt. Laudatur.

tur ab Ill. Auctore hoc extractum ob egregiam ſuam virtutem antiepilepticam. Spicam tamen Celticam, quae in Alpibus occidentalibus non adeo rara eſt, adhuc praefert.

Obſ. 75. 76. Eiusdem corticis ope debilitatem neruoſam inſignem in viro, qui veros ſpaſmos hyſtericos experiebatur, atque amauroſin imperfectam et debilitatem totius corporis in alio ſanauit. p. 378. 379.

Obſ. 77. In femina 60 fere annorum, quae ex omnibus ſignis ſcirrho hepatis cum febre et abdominis tumore laborabat, citri ſuccum et acidum ſulphuris magna in doſi optimo cum effectu Ill. Auctor dedit. p. 380.

Obſ. 78. Deglutitionem impeditam, ex glandulis, oeſophago impoſitis, obſtructis, reſtituit idem ope mercurii dulcis cum aloë et camphora, ex cuius remedii vſu per aluum magnae gelatinae maſſae seceſſerunt. In ſimili malo alius aegri oleum tartari per deliquium in iure pulli exhibuit. p. 380.

Obſ. 79. Cauſſam debilitatis neruoſae malorumque hyſtericorum noſtra aetate adeo frequentium Ill. Auctor ponit, in maioribus impreſſionibus, a quacunque cauſſa in neruis debilitatis excitatis. Hinc callum aliquem neruis inducere ſtuduit ope acidorum mineralium, propinatis bis de die in aqua duodecim aut pluribus guttis olei vitrioli cum aequis partibus alcohol vini digeſti, atque egregios, inde effectus obſeruauit. Minime tamen exercitationem corporis neglexit. Vltima obſeruatione corticis Peruuiani vires contra gangraenam, a cauſſa interna natam, confirmantur. In figuris nouis additis calculus veſicae e puella extractus, calculus ductus galactophori, variique embryones cuniculorum delineantur. p. 381. p. 382.

V.

DOMINICI VANDELLI, Philoſ. ac Medici reg. Botan. Prof. reg. ſcient. Acad. Vpſal. Florentin. Phyſicocriticor. Senenſ. literar. Ravennatis. Patauin. Luſatienſ. ſocii, diſſertatio de arbore draconis ſeu Dracaena. Acc. diſſ. de ſtudio hiſtoriae naturalis neceſſario in medicina, oeconomia, agricultura, artibus et commercio. Oliſipone. apud Anton. Roderic. Galliardum. 1768. 8. pagg. 39. tab. aen. 1.

Quae per varia ſecula torſit botanicorum operam et concitauit attentionem arbor draconis, a CLUSIO olim deſcripta, nunc ſolertiori peritorum botanicorum induſtria ita dilucidata eſt, vt de vera eius natura et notis fructificationis vix quidquam deſit, quod addi debeat. Coniunximus eam ob rationem varia huc pertinentia ſcripta, quo pateat, quantum aſſiduitatis adhiberi debeat in corporis naturalis diſquiſitione, et quomodo repetitae perueſtigationes veritatem confirment.

Quam nunc perluſtramus Cl. VANDELLI diſſertationem, perbreuem inuenimus. Poſtquam enim pauca de ſanguine draconis, auctoribus, arborem hanc deſcribentibus, ſynonymisque diſſeruit, ſequentem floris, icone ſatis nitida delineatam, exhibet deſcriptionem:

p. 5. *Calyx* nullus. *Corolla* ſexpartita, vnguibus cohaerens. Laciniae ouatae, apice acuto incuruato, pubeſcente: dorſo carinatae, reuolutae. *Stamina*. Filamenta ſex, erecta, corollam aequantia, vnguibus inſerta: inferne membranacea, medio ouato compreſſa, incraſſata, ſuperius ſubulata. Antherae oblongae incumbentes. *Piſtillum*. Germen ouatum, ſex ſulcis ſtriatum. Stylus longitudine ſtaminum, ſubangulatus,

tus. Stigma trifidum, obtuſum. *Pericarpium.* Bacca ouata ſexſulca, trilocularis. *Semina* tria ouato-oblonga, apice incuruato.

Sequitur dein ſpecialior trunci, foliorum, florum, fructuumque expoſitio, ex qua notamus, arborem deſcriptam a Cl. Auctore, in ſummitate ramoſam fuiſſe, ſex nimirum ramis conſtantem, ex quibus etiam rubrae prouenerint, ſanguineae lacrymae, ſimiles ſub globulorum ſubrotundorum complanatorum ſpecie in baſi foliorum prodiiſſe, flores, pedunculo articulato inhaerentes, ſtipulis quatuor lanceolatis circumdari, mane claudi, veſperi aperiri. Quae de ſanguine draconis in officinis pharmaceuticis parantur, nec non de vſu medico atque mechanico conſtant, breviter ad finem adduntur.

Addita his diſſertatio de ſtudii hiſtoriae naturalis p. 11.
neceſſitate, mineralogiam, hydrologiam, botanicen et zoologiam multiplicem in dictis doctrinis vſum habere exemplis docet, ex variis itineribus, a Cl. VANDELLI inſtitutis, collectis, quibus etiam factum eſt, vt libros conſcripſerit de aquis medicatis Mutinenſibus de aqua Brandelenſi (dell' acqua di Brandola,) hiſtoriam Mediolanenſem, de thermis Patauinis. Quoniam in itineribus his, hiſtoriae naturalis inueſtigandae cauſſa ſuſceptis, magnam corporum naturalium copiam collegerit Cl. Auctor, muſei eius, in p. 31.
viginti octo armariis diſpoſiti, conſpectus ad finem adiicitur, ſimul cum indice ſcriptorum eiusdem.

Peruenerat autem, quum haec ſcriberet, ad Cl. VANDELLI notitiam Cl. CRANTZII de eadem arbore editus libellus, ipſi tamen tunc nondum viſus, hinc ſubiicimus eum:

VI.

VI.

HENR. IOANN. NEPOM. CRANTZ. S. C. A. Maieſtatis Conſil. Inſtitt. med. et mater. med. Vindobon. Prof. Publ. Ord. Acad. Imp. nat. curioſ. et Soc. Botan. Florent. litt. Roboret. ſodalis, de duabus draconis arboribus botanicorum. Cum figuris aeneis partium fructificationis, duorumque nouorum generum conſtitutione. Viennae. impenſis I. P. Krauſ. 1768. 4 mai. pl. 4. tab. aen. 1.

Epiſtola haec, ad Ill. VAN SWIETEN data, primo etiam loco in ſanguinis draconis fontes inquirit, collectis auctorum, de hoc relationibus tum antiquis, tum recentioribus, ex quibus docetur, multiplicem eſſe originem eius, nec plantas omnes ſufficienter cognoſci, qui ſimilem ſuccum ſuppedi-
p. 8. tant. Sed nec de ipſa arbore draconis CLUSII certitudinem inter botanicos eſſe, Cl. LOEFLINGIUM ad Aſparagos referre, vel Pterocarpum LINN. eſſe, cuius duas ſpecies adducit, quae florem papilionaceum, fructumque leguminoſum oſtendunt. Hinc Ill. LINNAEUM vtrumque genus pro draconis arbore adſumere. Quae, quum ita ſint, ſex diuerſas recenſet plantas Cl. Auctor, quae ſanguinem fundere perhibentur, aliis etiam inexplicatis relictis. Impugnat ſimul Ill. LINNAEUM aliosque et nouum genus adſignandum eſſe arbori, a CLUSIO deſcriptae, coniicit. Duas enim egre-
p. 19. gias ſtirpes Principi EUGENIO Sabaudo in viridario Vindobonenſi eſſe, easque adhuc viuere, ex quibus ſuam, Ill. SWIETEN iubente, deſcriptionem deſumſerit. Prima, ſexto aetatis anno 1748 in Hollandiam deducta, anno 1768. menſe maio ſpadicem protrudere coepit, iulio florere, auguſto fru-

ctus

ctus oſtendere. Radices illa ramoſas habet, ſtolones reptantes, caudicem nudum, decem pedes longum, nodoſum ex foliorum cicatricibus, glabrum, non ramoſum. Corona foliorum in ſummo loco haerens, folia oſtendit imbricata, ſeſſilia, tres pedes longa, inferioribus declinatis, ſuperioribus erectis. Quod ad exortum folia latiora ſunt, latifoliam eam vocant hortulani. Spadix terminalis, ex centro foliorum, lignoſus, quatuor pedes longus exibat racemoſus, ramis denuo ramoſis, ſubglaucus, bracteis ad ramos alternis ornatus, ſtriatus, glaber, ramis irregularibus, alternis et oppoſitis. Florum numeroſa grex, ex quibus multi decidunt, pedunculis biarticulatis, quorum in ramis plerumque quinque ſunt. Corolla albida monopetala, ſexfida, laciniis alternis ouato-acutis, quae in limbis antheras recondunt, ſtamina namque membranacea, triangularia, antheras ſex erectas, corolla minores ſuſtinent. Germen ouatum in tubam deſinit conoideam, vaginam efficientem, ſtigma triſulcum trigonum. Fructus pro aetate ſua et magnitudine differt, minor tribus ſulcis inſtructus, trilocularis triſpermos, maior, ſeminibus abortientibus, vnilocularis, *an perpetuo?* ſemen albiſſimum ſubſtantiae eſt elaſticae, deguſtatum dulce. Elaſtica haec ſeminis materies, etiam ſeptimo menſe poſt, talis obſeruata eſt a Cl. Auctore, ex- p. 23.
ſiccata, cornu ad inſtar indurata. Ex his notis, quod Aſparagi characteres non habet, nouum plantae nomen *Stoerckiae* imponit; eſt ſcilicet *Stoerckia arboreſcens, foliis enſiformibus ſubcarnoſis, imbricatis, patenti-pendulis.* Cunctae hic deſcriptae partes accurata icone illuſtrantur.

Secunda vero ſtirps, Viennae in Haruckeriano p. 26.
horto culta, floruit anno 1756, cuius floris effigies pictas tantum vidit Noſter. Radices vt prioris ſunt, caudex decem pedes longus, ſimplex, vbi florebat,

poſt

poſt ramoſus factus, magis glaber foliorum exortus, anguſtior, quare hortulani eam arborem draconis anguſtifoliam nominant. Spadix itidem cum priori conuenit, bracteae in pictura deſunt. Calyx nullus, corolla campanulata profunde ſexfida, maior ac in praecedente, ſtaminibus longe exſertis, ſex, piſtillum ſimilis longitudinis. Fructus drupa rotunda, oſſiculo, vnico, albido, polito, duriſſimoque foeta.
p. 29. Ad Yuccam referendam eſſe hanc plantam Cl. LAUGIER arbitratur, a qua tamen, quod recedit, nunc in Cl. OEDERI memoriam appellat Cl. CRANTZ eam *Oederam*, nempe *Oedera arboreſcens foliis enſiformibus*, *carnoſis*, *imbricatis*, *pendulis* dicitur, et floris delineatio ex effigie, hic aeri inciſa, repetitur.

Etſi vero duplicem hic plantam deſcripſiſſe videatur Cl. CRANTZ, quarum altera cum Vandelliana conueniat, noua tamen inquiſitione confirmare perueſtigationem, operam adhibuit Cl. BERENS, cuius itaque diſſertationem his ſubiungere liceat:

VII.

Diſſertatio inauguralis botanica de dracone arbore Cluſii, publice defendenda a REINHOLDO BERENS. Riga Liuono. Gottingae 1770. 4. plagg. 8. tab. aen. I.

Magna vtique cum aſſiduitate haec conſcripta, maximam partem contra Cl. CRANTZIUM directa eſt. Noſtri autem eſt, obſeruata candide recenſere momenta, quo, opportunitate fauente, veritas conſtet. Cl. Auctor vero ſub auſpiciis eximii GLEDITSCHII, qui propediem in actis Berolinenſibus vberiorem arboris draconis deſcriptionem eſt daturus, auide expectandam, eam florentem anno proxime elapſo, vidit, examinauit et hic expoſuit. Dedit primo arboris hiſtoriam, incipiens ab

Vlyſſi-

Vlyſſiponenſi Cluſiana, atque aetatem prouectiorem truncos ramoſos efficere contendit, adoleſcentem vero plantam caulem ſimplicem tantum habere probat, nec non duplicem draconis arborem Cl. CRANZII, exinde diiudicatam, ad Cluſianam eſſe referendam. Deinde ſingulas partes arboris ſigillatim perpendit Noſter, a radice ad fructum vſque, de quibus, quum multa iam ſuperius dicta ſunt, ea tantum, quae differunt, nunc adducemus. Spadix arboris non eſt *ſtolonifera*, folia *inferiora* pendula, *media* patentia, *ſuperiora* erecta ſunt. Spadix terminator calycem communem ſeu ſpatham vniuerſalem non habet, florum faſciculi verticillos imperfectos ſiſtunt, ſinguli incompletos floſculos ſimul continent, pedunculi articulati ſunt. Corollae praecoces maiores cum abortiuis minoribus miſcentur, ſenſim et ſucceſſiue aperiuntur, mane clauſi veſperi penitus patentes. Spathulae ad ramorum exortum adhaerent, ſtipulae plures ſetaceae baſin faſciculorum floralium cingunt. Corollae fundus mellifer eſt, piſtillum, triſulcatum tantum ſtyloideo receptaculo inhaeret. Pericarpium drupam ſubgloboſam ſiſtit, trilocularem, tribus vel ſex ſuturis longitudinalibus notatam.

p. 18.
p. 22.
p. 29.
p. 32.

Quare, quod vtique hae notae cum aliis generibus non conſpirant, nouum conſtituit, *dracaenae*, quod ab Ill. LINNAEO propoſitum iam eſt, eiusque characterem naturalem exhibet, ſynonyma addit, icones datas huius arboris diiudicat, nec non a ſe additas explicat, Crantzianas *Stoerckiae et Oederae* fructificationes repetit, et epicriſi addita denuo vtramque plantam, a Cl. CRANTZIO deſcriptam, a ſua non differre, *Stoerckiae* characterem ex floribus defloratis deſumtum, *Oederae*, oſcitanter ab hortulano depictae, in vigore floreſcentiae delineatum eſſe ſatagit.

VIII.

Kort Begrep af Grunderne til Pharmacien, at nyttja vid enskylta Föreläſningar. Utgifvit af ANDERS IOHAN RETZIUS, Ph. Mag. Chemiae ooh Hiſt. nat. Doc. vid Lunds Academie. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius 1769 48 pgg. 8. mai.

h. e.

Epitome elementorum pharmaciae in vſum praelectionum academicarum edita ab ANDREA IOANNE RETZIO.

Sub copia iſta librorum, qui praelectionum medicarum normae inſeruiunt, dolendum merito, quod vix vllus hucusque ſuppetat, pharmaciae in academia tradendae accommodatus. Vnde difficilior doctrina haec redditur vel neceſſitas naſcitur, oſcitantius eam docendi et tranſeundo quaſi, dum diſpenſatoria pharmaceutica enucleantur, ſumma tantum eius capita, ſub initium cuiuslibet praeparatorum claſſis attingendi. Vtilitatem tamen exinde, non ſolum in pharmacopolam, ſed in medicum, ſummam redundare in confeſſo eſt, adeo vt hic nec apte formulas praeſcribere, nec praeparationem medicamentorum praeſcriptorum diiudicare poſſit, nec in pharmacopoliis perquirendis aptus iudex ſit; vt taceamus ſaepe in vrbibus minoribus vel pagis illi ipſi praeparationem remediorum incumbere, nec, ſi in collegium quoddam medicorum receptus, de re pharmaceutica quaeſtione orta, officio ſatisfacere eum poſſe. Damnandus igitur quorundam, dum literis in academiis operam dant, in pharmacia addiſcenda torpor. Contra ea in academiis Suecicis haec ars eadem, qua reliqua medicina, cura fouetur,

tur, profeſſoresque peculiares ad eam docendam conſtituti; et ſuaſu collegii medici, antequam de Doctoris titulo diſpiciatur, annus, vt ſcimus, in pharmacopolae cuiusdam doctioris domo conſumitur, quod ipſum collegium quoque Stockholmiae in examinibus pharmacopoliorum annuis iuniores medicos lubenter admittit.

Rem ideo gratam vtilemque medicinae ſtudioſis Cl. Auctor fecit, quod ſchediaſmate hoc iſtorum induſtriam ſubleuauerit. Noua quidem et exſpectata nemo ab eiusmodi epitome poſcit, ſed haec ipſa concinno ordine et argumentorum (quantum ſcilicet pro breuitate iſta fieri poteſt) pertractatorum extenſione nobis placet, et vota excitat, vt ampliori dictione vel Auctor ipſe vel alius, filo harum linearum inſiſtens, artem perſequatur.

In tria ſumma capita hic libellus diſpeſcitur; quarum primum agit de pharmacia generatim, de inſtrumentis, de characteribus, de ponderibus et menſuris; alterum de encheireſibus pharmaceuticis in vniuerſum; tertium de praeparatis, vbi praemiſſis iis, quae ad ſimplicium collectionem, exſiccationem, conſeruationem cet. pertinent, ſingula praeparatorum, tam interno, quam externo vſui deſtinatorum, genera, pulueres ſcilicet, conſeruas, ſuccos expreſſos, pilulas, eſſentias, olea, ſpiritus cet. additis exemplis, perſequitur.

Non ſuperfluum habemus in perſiſtente adhuc abuſu monitum Cl. Auctoris, ne pro ſiccis, quibusdam remediis et liquidis aqua grauioribus, loco ponderis, menſurae adhibeantur. In radicibus colligendis merito inter ſtirpes annuas et biennes perennesque diſtinguitur, quarum priores autumno poſt maturationem colligantur, poſteriores autem vere, antequam folia emerſerint. Succi expreſſi ſeruantur in ampullis, quibus oleum recens ſuperfuſum. Sci- p. 8. p. 16. p. 17.

 te

te ſuadet Noſter, vt ea, quae, pulueris inde conficiendi cauſſa, ſiccari debent, lentiſſimo caloris gra-
p. 20. du ſiccentur. Vt ſucci expreſſi clari euadant, Noſtro in vſu eſt, phialam iſtis repletam, poſtquam aliquoties aquae calidae immiſſa fuerit, in aquam frigidam immergere.

IX.

Eſſai ſur les maladies, qui attaquent le plus communement les gens de mer, contenant une méthode courte et facile pour les connoître, les guérir, et même en préſerver. Ouvrage utile aux chirurgiens naviguans, et même à tous les marins, qui ſe trouvent dans des bâtimens, oú il n'y a point de chirurgien. On a joint quelques obſervations ſur la méthode la plus ſûre de ſecourir les noyés, et de traiter les fiévres de l'Isle Saint-Domingue et des autres Colonies Françoiſes aux Antilles. Par G. M**. Maître ès arts et en chirurgie. A Marſeille, chez I. Moſſy, Libraire, 1766. 12. pll. 15.

i. e.

Tentamen ſuper morbis, homines, mari viuentes, praecipue infeſtantibus, continens methodum breuem et facilem illos cognoſcendi, curandi, imo praecauendi. Opus chirurgis naualibus atque omnibus adeo nautis vtile, qui ſunt in nauibus, chirurgo deſtitutis. Accedunt obſeruationes quaedam de methodo tutiſſima iuuandi ſubmerſos, et tractandi febres in inſula S. Dominici ceterisque coloniis Gallorum in inſulis Antillis. Auctore G. M**.

Com-

ſolui et experimentum non ſemper ſuccedere: cu-
ius rationem quaerit in maiore vel minore quanti-
tate inflammabilis, quod phlogiſton vocant et quo
ferrum abundare debet, quod ad experimentum adhi-
p. 16. betur. Deinde etiam aliquid conferre calorem pu-
tat Cl. Auctor, quo minus ferrum in aqua ſoluatur,
quia aquae minerales calefactae ſolutum ferrum rur-
ſus

*) *Ferrugineuſes* appellat Cl. Auctor aquas, vulgo
martiales dictas, quae, vti PLINIUS ait, ferrugi-
nei ſunt ſaporis.

ſus labi ſinant. Inde concludit, nullas poſſe eſſe
thermas ferrugineas, ſeu ferro ditatas. Reſpondet p. 24.
hac occaſione et illis, qui colorem viridem, qui ori-
tur, dum eiusmodi aquae cum ſyrupo violarum mi-
ſcentur, a vitriolo ferri deriuare volunt, quum ſe-
cundum Cl. Auctorem a ſolo ferro proueniat.
Omnes igitur aquas minerales ferrugineas, quae ſta- p. 26.
tim, ac calori exponuntur, ferrum deponunt, non
perfectum continere ferrum, ſed ochram et ſic con-
tra, Cl. MONNET arbitratur. Tandem affirmat, p. 32.
eas aquas minerales, quae admixtione lixiuii illius
alcalini, quod ad confectionem coerulei Pruſſici ad-
hibetur, nullum colorem manifeſtant coeruleum,
pro ferrugineis eſſe habendas: illas vero, quae ta-
lem colorem exhibent, pro vitriolicis. Huius appa-
ritionis rationem ex regulis affinitatis, vti chemici
vocant, reddere ſtudet. Dicit enim, acidum vitrio-
licum, quo aquae vitriolicae abundant, ſal alcali fi-
xum aggredi; deinde, partes tingentes coeruleas,
libere factas, praecipitari et cum ferreis particulis,
pariter ab acido liberatis, vniri. Quae, quum cau-
ſa haec in ferrugineis aquis abſit, ita non euenire
poſſent. Quum hae opiniones et explicationes mul-
tum veriſimilitudinis habeant, vt ab aquarum mine-
ralium ſcrutatoribus examinentur accuratius, omni-
no merentur.

Porro diſtinguit aquas ferrugineas in ſpirituoſas p. 35.
et non ſpirituoſas *): has frequentius reperiri per-
hibet, quam illas. Tranſit ad vitriolicas ferrugi- p. 37.
neas, quas minus frequentes eſſe aſſerit, quam ple-
rumque creditur. Nullas nouit in tota Gallia, quam
aquas *Paſſy*. Quamuis vitriolum in aquis vitrioli-
cis non queat ſiſti forma, in cryſtallos redacta, quia

*) Ad hanc claſſem pertinere videntur aquae Steckni-
cenſes, nuper in Bohemia repertae, quarum men-
tionem fecimus in Comment. Vol. XV. P. I. p. 91.

materia ſalina peregrina ſimul coniuncta eſt, quae cryſtalliſationem, vt aiunt, impedit: tamen ſecundum Cl. Auctorem in illis continetur, quod in ſequentibus probauit. Dantur tamen quoque aquae vitriolicae, quae loco vitrioli reſiduum vitriolicum exhibent, quod extracto, vel potius lixiuio ſimile eſt, et a chemicis *aqua mater vitrioli*, (*eau-mere vitriolique*) appellatur. Ad detegendas aquas minerales vitriolicas praeter ſupra additum experimentum, cum lixiuio alcalino inſtituendum, alium compendioſiorem indicat modum, qui in eo conſiſtit, quod charta coerulea immerſa aquis vitriolicis rubicundum acquirat colorem.

p. 41. In capite *ſecundo* Cl. MONNET aquas alcalinas examinat, quarum duae ſunt ſpecies, vel alcali minerali, vel fixo dotatae. Alcalinae omnes ſe produnt ſapore et ebullitione, efferueſcentiam aiunt, cum acidis. Accidere tamen interdum poteſt, vt alcali minerale non in tali contineatur quantitate in aquis alcalinis, vt ebullitionem producere queat, tunc Cl. Auctor ſalem, baſin terream habentem, quem vulgo oleum calcis appellant, aquis examinandis, immittit et ſtatim alcali minerale per deiectionem, praecipitationem chemici dicunt, ſe manifeſtat. Hae aquae plerumque multa terra abſorbente commixtae ſunt.

p. 46. Alcali minerale duplici forma in aquis alcalinis inuenitur, vel pura et cryſtallos dante, vel lixiuii inſtar.

p. 53. Aquae minerales, quae alcali fixum, quale praebent vegetabilia, continent, rariores ſunt illis, quae minerale. Attamen tales dari Cl. Auctor aſſerit, et in aquis Spadanis ſe eiusmodi alcali vegetabile reperiſſe perhibet.

p. 55. Aquis alcalinis ſuccedunt aquae ſulphureae, quas in capite *tertio* pertractat. Sulphureae ſunt, quae

quae odorem hepatis ſulphuris ſpargunt et argentum purum nigro colore obfuſcant. Interea admodum rarae ſunt illae aquae, quae verum hepar ſulphuris exhibent et additione acidi verum ſulphur labi ſinunt. Valde igitur difficile, imo impoſſibile plerumque eſt, ſulphur acquirere ex iſtis aquis, quae tamen ſulphureae audiunt. Quare Cl. Auctor recte diſtinguit aquas, quae tantum vaporem edunt hepatis ſulphuris, ab illis, quae verum praebent ſulphur. Vapor autem ſolus non ſufficit ad praeſentiam ſulphuris cognoſcendam. Indicat tantummodo veſtigia ſulphuris, vel ſulphur deſtructum et de huius partibus componentibus adhuc quasdam reſtare. p. 58.

Sequuntur nonnulli commentarii et diſſertationes de quibusdam aquis mineralibus. Primum locum occupat *diſſertatio de optima methodo aquas minerales examinandi.* Reiectis inutilibus, quae multi adhibent, experimentis, aquas minerales explorandi, ſumme neceſſaria adducit. Primum contemplandus eſt color aquae, deinde examinandus eius odor et ſapor; poſt ei affundendae ſunt diuerſae ſolutiones et admiſcenda diuerſa ſalia, prout has vel illas partes in ei contentas ſuſpicamur; e. g. infuſio gallarum Turcicarum; lixiuium alcalinum ad detegendum coeruleum Berolinenſe paratum; ſal cum baſi terrea coniunctus, vti oleum calcis; alcali fixum; ſpiritus minerales acidi; ſolutio mercurii; ſolutio argenti; et quae ſunt reliqua: tunc decoquendae ſunt aquae per diuerſos gradus; tandem reſiduae partes examinandae. Multa hic repetuntur, quae in praecedentibus tribus capitibus iam protulit. Procedit ad analyſin nonnullarum aquarum mineralium, quas ſecundum praemiſſas regulas explorat. p. 71. p. 107.
Primum exemplum dant aquae *de Bard en Auvergne:* ſecundum aquae *d'Aumale*, et *de Rouen;* quas ferrugineis accenſet; tertium aquae Aquisgranenſes, p. 125. p. 129. p. 132.

ſes, quas ſulphureis adſcribit; quartum aquae Spa-
p. 149. danae, praeſertim *Pouhont*, quas ſpirituoſis, quae
multum *Gas* continent, adnumerat: quintum aquae
p. 167. ex fodinis carbonum foſſilium *de Littry* in Norman-
p. 175. nia inferiore prouenientes; et ſextum, aquae *de Paſ-
ſy*, hodie celebres ſub nomine trium fontium *de Mr.
le Veillard*, quas ambas ad vitriolicas refert Cl. Au-
p. 214. ctor. Vltimae analyſi aquarum *de Paſſy* accedit
ſingularis *appendix*, quae tertio fonti dicata eſt,
quem Cl. Auctor ratione partium conſtitutiuarum
omnino diuerſum a reliquis duobus reperit.

p. 221. Has analyſes excipit *commentarius de proprietate, quam habet vitriolum martiale ingrediendi generationem, formationem dicunt, cryſtallorum quorundam ſalium.* Vt melius intelligatur hic commentarius neceſſe eſt, vt repetamus ex praecedenti analyſi aquarum mineralium *de Paſſy* experimentum, quod fecit Cl. Auctor, dum infudit ſolutionem alcali fixi in modo dictas aquas minerales. Obtinuit enim praecipitatum, vt aiunt, virideſcens, intime combinatum cum ſale quodam medio, cum baſi terrea compoſito, quale acquiritur ex ſolutione vitrioli martis, et ſolutione ſupra memorati ſalis *Epſom* commixta, dum cum alcali fixo praecipitatur. Hoc praecipitatum neque poteſt in cryſtallos redigi, neque eius partes componentes ob earum intimam combinationem per reagentia diſiungi et ſeorſim ſiſti, quod tamen in aliis ſimilibus compoſitionibus admodum poſſibile eſt. De hoc mixto ſtatuit Cl. Auctor, quod praecipuam partem aquarum mineralium *de Paſſy* efficiat. Quum priores examinatores harum aquarum hanc partem neglexerint et, vt Cl. Auctor arbitratur, vel cum aqua matre vitrioli, vel cum ſale mirabili GLAUBERI confuderint, multum ſibi de hac obſeruatione, quam nouam putat, promittit, inde etiam peculiarem ſuper hac re conſcripſit commenta-

mentarium. In hoc probare conatur, vnionem illam intimam vitrioli martialis cum ſale *Epſom*, quam priores ſcriptores non intellexerint, ſolum obſtaculum praebuiſſe, cur ad perfectam cognitionem aquarum mineralium *de Paſſy* non peruenerint. Affirmat enim vtrumque ita eſſe coniunctum, vt difficillime poſſint diſſolui. Nullus ex Auctoribus chemicis, quos Cl. MONNET conſuluit, conſuluit autem multos, illi ſatisfecit, excepto Auctore *dictionarii chemici*, quem idem obſeruaſſe dicit. In commixtione vitriolorum, ferri ſcilicet, cupri et zinci, ſeu albi, intimam hanc combinationem inter ſe iam reperiri aſſerit. In hoc autem experimento omnes circumſtantiae non eaedem nobis videntur, vt cum prioribus perfecte conueniant. Imitatus eſt p. 231.
igitur ipſum illud mixtum reſiduum aquarum mineralium *de Paſſy*, coniungendo vitriolum martiale cum ſale *Epſom*, tartaro vitriolato, ſale GLAUBERI ac alumine: et cryſtalli figuram vitrioli vel ſalis mixti, prout hoc vel illud quantitate praeualuit, habuerunt, difficillime autem potuerunt ſeparari. Cum hoc commentario connexus eſt ſequens, qui p. 245.
agit de *diſſolubilitate*, vt vocant, *calcis ferri in acidis, quo ſimul demonſtratur natura aquae matris vitrioli* (*eau-mere vitriolique*). Quum nonnullae aquae minerales Cl. Auctori exhibuerint materiam vitriolicam, occaſionem hoc illi dedit inquirendi in naturam *aquae matris vitrioli.* Omne vitriolum forti igne coctum et aqua ſolutum, praebet, vti ferrum longe vſtum et in acidis ſolutum, aquam matrem vitrioli. Idem accidit, ſi vitriolum, ſeu dilapſum eſt in aere libero: aut ferrum ſuo inflammabili eſt orbatum, quod fit, dum ex ſolutione, in acidis facta, per alcali fixum praecipitatur et calx ferri nominatur. Priuatio igitur inflammabilis ineptum reddit ferrum ad formandas cryſtallos, ſeu ſiſtendum vi-

triolum. Solutio autem habet naturam et qualitatem aquae matris vitrioli.

p. 258. Huic commentario accedit *ſupplementum, quod nonnullos modos recenſet, conficiendi tincturam martis* LUDOVICI. Exhibuit autem Cl. Auctori cum ſpiritu vini talem tincturam aqua matris vitrioli, vitriolum calcinatum, et calx ferri in acidis ſoluta.

p. 269. Sequitur *commentarius, quo examinatur conditio et natura minerarum ferri.* Quum Cl. Auctor in ea ſit opinione, pyritas nihil conferre ad generandas aquas minerales, ſed mineras tantummodo ferri: has vt examinaret, easque detegeret, quae hanc facultatem haberent, neceſſe iudicauit. Sunt autem ex eis hae, quae magnetem ſequuntur et quae ab acidis ſoluuntur. Reliquae, ochreaceae ſcilicet, et quae haematidis nomine diſtinguuntur, hac facultate carent. Exhibent enim cum acidis mixturam ſalinam aquae matri vitrioli ſimilem, idque tribus experientiis probat.

p. 281. Pyritis mentio occaſionem dedit Cl. Auctori inſtituendi *tentamen analyſeos pyritis.* Celeberrimus HENCKEL affirmabat, partes principales componentes pyritarum eſſe ferrum, ſulphur et terram non metallicam. Diſputat Cl. Auctor, num ſulphur exiſtat in pyrite iam formatum, vel non formatum? Poſt nouem cum diuerſis pyritis inſtituta experi-
p. 304. menta, tandem concludit, in omni pyrite contineri ferrum vnitum cum ſulphure imperfecto et terra argillacea.

p. 305. Commentarium hunc excipit alius *de proprietate, quam habent materiae acerbae praecipitandi, ex eorum diſſoluente, corpora metallica:* indicatur ſimul modus ſoluendi *Platinam* non minus in alcali fixo ac aurum et ferrum. Hic commentarius parum connexi habet cum aquis mineralibus, ideo pauca tantum ex eo notabimus. Oſtendit non modo ferrum,

ſed

ſed etiam reliqua metalla, in acidis ſoluta, praecipitari per admixtum acerbum, ſeu adſtringens, vegetabile. Haec praecipitata, in nouis acidis rurſus ſoluta, affuſo alcali fixo, denuo praecipitare voluit Cl. Auctor, ſed incaſſum. Inuenit e contrario ſolutionum p. 313.
colores magis denſos ſaturatosque, tamen ſimul transparentes: ex quo colligit, alcali corpus praecipitandum potius ſoluiſſe, quam ad praecipitationem diſpoſuiſſe.

Huic commentario ſuccedit *commentarius de ſale* p. 323.
Epſom, et de baſi terrea huius ſalis. Nimis notus eſt ſal *Epſom*, quam vt de illo multa verba facere neceſſe habeamus. Certum eſt, quod is, qui hodie venditur, non ex fonte, quo nomen accepit, coquatur, ſed arte componatur, hinc adulterinus ſit. Communis opinio eſt, illum confici ex acido vitriolico et terra abſorbente. Sed ex acido vitriolico et terra abſorbente, oritur etiam ſelenites. Ergo, vt illa terra ſpecie diuerſa ſit, neceſſe eſt. Paratur, vti p. 330.
Cl. Auctor perhibet, ex aqua matris vitrioli et matre ſalis marini, quae per aliquod tempus coniunctim ebullire et coquere debent. Vitrioli tunc acidum deſerit ferrum et, fugato acido ſalis marini, intrat huius ſalis baſin terream: nouusque oritur ſal. Vt vero accuratius cognoſcat Cl. Auctor, ad quam ſpeciem haec terra pertineat, hanc rurſus ex ſale nouo, ope alcali fixi, praecipitauit et, factis experientiis, inuenit, eam non eſſe calcaream communem, ſed illam, cum qua alumen paratur, et quam Cl. MARGGRAF, Berolinenſis, in lapide ſerpentino Saxonico detexit. Examinat nunc propius terras cal- p. 337.
careas, ſimulque inquirit in earum originem, qua occaſione reperit, terras calcareas eandem naturam habere ac terrae, ex animalium oſſibus et vegetabilibus acquiſitae.

p. 350. Finem facit *examen modi, quo terrae uniuntur cum aqua.* Simpliciſſimum hunc credit Cl. Auctor, ſine omni acceſſione acidi, vel alius ſalis. Quemadmodum ferrum a ſola aqua poſſe ſolui ſtatuit: ita ſolam aquam ſufficere putat ad ſolutionem terrarum, quod experimentis confirmare ſtudet. Attamen aërem, vel *Gas* tanquam cauſam concurrentem admittit, ſicut et concurſum terrarum, ſpecie diuerſarum, ſolutionem facilitare aſſerit.

XV.

La taille au niveau. Mémoire ſur la lithotomie par l'appareil latéral, ſes circonſtances et dépendances, avec addition de quelques nouveaux inſtruments pour cette opération. Par Mr. POUTEAU fils, Doct. en Médec. Maitre en Chirurgie etc. A Auignon aux dépens de l'Auteur 1765. 8. pl. 7½. tab. aen. 2.

i. e.

Lithotomia ad amuſſim, ſeu commentarius de calculi ſectione laterali, vna cum eius adiunctis et euentis, accedit deſcriptio nonnullorum nouorum inſtrumentorum ad hanc operationem. Auctore Cl. POUTEAU filio etc.

Cl. POUTEAU, de cuius miſcellaneis chirurgicis alio loco ad Lectores retulimus *), libellum, quem nunc indicamus, Cl. LAURE's chirurgo et lithotomo Lugdunenſi dedicauit, in quo ope inſtrumentorum, hic deſcriptorum, calculi ſectionem feliciſſimo

*) Mélanges de chirurgie, à Lyon 1760. vid. Comment. noſtr. Dec. I. Suppl. I. p. 140.

ciſſimo cum ſucceſſu inſtituit. Methodus Cl. Au-
ctoris in vniuerſum ſatis cum laterali conuenit; vti-
tur vero, ſi ſcalpellum, quo integumenta et pingue-
do diuiduntur et ipſa veſica aperitur, quod cum vul-
gari lithotomo Cheſeldeniano conuenit, ſpecillum-
que ſulcatum, annulo inſtructum, exceperis, quod
Cl. Auctor in miſcellaneis chirurgicis, iam com-
mendauit *), tribus inſtrumentis, *directore* ſcilicet,
moderatore et *lamina lithotoma* ſeu *proſtatotoma* (*lame
lithotome ou proſtatome*). Duplicem autem Cl. Au-
ctor horum inſtrumentorum inuentione vtilitatem
quaeſiuit; primo vt veſica et proſtata inciderentur
cultro, cuius latitudo ad variam aegri, in quo ſectio
inſtituitur, magnitudinem et aetatem rationem habe-
ret **); deinde vt ea ipſa inciſio fieret in aegroto,
perfecte in ſitu horizontali ita collocato, vt ſectionis
linea cum linea horizontali certum aliquem deter-
minatae magnitudinis angulum efficeret ***). Ita
vero Cl. Auctor in inſtrumentorum ſuorum appli- p. 5.
catione verſatur, vt ante operationem ſpecillum ſul- p. 36.
catum immittat veſicae aegri ſedentis, non in dorſo
cubantis, cum experientia eum docuerit, illud
hac ratione facilius applicari poſſe. Habet hoc
ſpecil-

*) Vid. Mélang. de Chir. et Comment. l. c. p. 150.

**) Cl. Auctor monet iam Cl. LE DRAN ſimilibus laminis diuerſae magnitudinis in diuerſis aegris vſum eſſe. Quamquam vero culter huius Auctoris, quem *en rondache* vocat (vid. EIUSD. *Operat. de Chir.* p. 272. et in tabula aenea adiecta f. 2.), cum Cl. POUTEAU inſtrumento ſimilitudinem quandam habet, tamen neque in Cl. LE DRAN libro de operationibus chirurgicis, neque in alio (paralléle des different. method.) locum inuenire potuimus, in quo haec laminarum diuerſitas indicata ſit.

***) Linea ſectionis proſtatae cum linea horizontali, quae *moderatoris*, mox deſcribendi, ope determinatur, atque angulum rectum cum raphe ſeu linea perpendiculari facit, angulum circa 150 graduum efficit.

ſpecillum, vti iam monuimus, annulum in ſuperiore parte, cui chirurgus digitum minimum manus ſiniſtrae immittit, reliquis vero huius manus digitis ſcrotum ſubleuat atque cutem perinaei tendit. Tunc ſcalpello lithotomo, quod manu dextra tenet, plagam facit, quae paululum ſuperius margine anus ad raphen incipit, atque oblique verſus tuberoſitatem iſchii et adhuc ſupra eam deſcendit. Ampla vero ea ſit et inprimis in inferiore fine producta, quo vrina poſt operationem libere per eam effluere poſ-
p. 24. ſit. Neglectus enim huius rei, ex Cl. Auctoris mente, non ſolum cauſſa eſt ſtagnationis lotii poſt operationem in contextu celluloſo perinaei, ex qua vlcera, quae latius ſerpunt, haud raro oriri, atque aegros ipſos nonnunquam perire, omnes fere lithotomi conqueruntur; ſed et inter praecipua impedimenta eſt, quae extractionem maioris calculi difficiliorem reddere ſolent. Alium quidem vſum maioris plagae SHARPIUS in eo ponit *), quod arteria laeſa facile vinculo conſtringi poſſit, nunquam tamen Cl. Auctor ea ligatura opus habuit, eamque
p. 33. in vniuerſum difficulter inſtitui poſſe iudicat. Addit ſectionem externam ſimilem directionem habere debere, quam ſectio interna, mox deſcribenda, habet, qua re vrinae liberum profluuium egregie quoque adiuuatur. Iam cute et pinguedine diuiſa, indice dextrae manus catheteris ſulcum quaerit, eodemque reperto, idem ſcalpellum ita introducit, vt digitus dorſo eius impoſitus ſit, paullulum tamen ſupra apicem emineat **), tumque ad ductum ſulci ſpecilli, ante ſectionem in veſicam introducti et dextrorſum inclinati, in inferiore vulneris parte, ne acceleratores laedat, vrethram aperit, parua tantum plaga, vix aliquot lineas longa. Tunc ſcalpello ſe-
poſi-

*) Vid. EIUSD. operat. in ſurgery p. 100.
**) Vid. Mélanges et Comment. noſt. l. c.

poſito, per hoc vulnus inſtrumentum aliquod, ductori canaliculato (*gorgeret*) quodammodo ſimile, quod *directorem* vocat, in veſicam introducit et poſtquam illud in veſicam penetrauit, ſpecillum ſulcatum extrahit, cuius nullus amplius vſus eſt. Tunc directoris manubrio aliud inſtrumentum adaptat, quod *moderatorem* dicit. Hoc amuſſim ſiſtit, ſeu cylindrum vitreum, ſpiritu vini ita repletum, vt bulla aërea ſuperſit. Haec in ſiniſtro latere directoris eſt; in dextro vero ex eodem moderatore ad angulum 150 graduum, duo crura deſcendunt, quae ita a ſe inuicem diſtant, vt per eorum hiatum, *lamina lithotoma* ſeu *proſtatotoma* verſus veſicam pelli poſſit. Huius laminae acies proſtatam diuidit, dorſum vero et apex in ſulco, qui in dextro latere directoris eſt, latet. Quatuor vero eiusmodi laminas Cl. Auctor habet, diuerſae magnitudinis. Earum prima, quinque lineas lata, in pueris ad ſextum aetatis annum adhibentur; ſecunda, ſex lineas lata, in pueris a ſexto ad duodecimum vſque annum; tertia in adoleſcentibus ad viceſimum vſque annum, et quarta, quae octo linearum latitudinem habet, in iis, quae viceſimum annum iam ſuperarunt. Hac autem lamina inter crura deſcendentia moderatoris immiſſa, chirurgus directorem ita teneat, vt manubrium lon- p. 9.
ge inferius ſit apice, qui ſuperiorem veſicae partem ſpectat, in moderatoris vero amuſſi bulla aërea in medio haereat, atque tunc laminam proſtatotomam verſus veſicam vrgeat, ſicque veſicae partem, quae ob proſtatam eminentem protuberat, et duas tertias partes proſtatae ita diuidit, vt anterior eius glandulae pars tota diſcindatur, inferior vero ſiue baſis verſus veſicam non laedatur. Vulnus vero maius nec in veſica, nec in proſtata neceſſarium eſt. Collum enim veſicae (*goulot*), cui vulnus inflictum eſt, in calculi extractione ſine vlteriore dilaceratione, ſi

modo

modo operator caute verſatur, facile cedit *) ipſaque proſtata, ſi etiam eius diuiſio non ſufficeret, tamen ſub calculi extractione dilaceratur ea directione, qua inciſa eſt **). Minore vero eiusmodi plaga, nec veſicae collum nimium inciditur, nec plica peritonaei inter inteſtinum rectum et veſicam, inprimis ſi ea vacua aut circa calculum contracta eſt, deſcendens ***), nec arteria retro proſtatam excurrens laeditur. Reliqua vero in hac operatione Cl. Auctor conſueto more peragit, ductoremque canaliculatum, poſtquam laminam lithotomam et moderatorem ſepoſuit, ope ſulci directoris in veſicam introducit.

p. 11. His propoſitis, Cl. Auctor inſtrumenta, modo deſcripta, cum lithotomo occulto fratris COSMI comparat, eique praefert, variasque obiectiones
p. 15. quae contra nouam hanc methodum proponi poſſent, remouere ſtudet. Tranſit deinde ad varia ſymptomata, quae poſt operationem accidere ſo-
p. 42. lent. Cum ob inſignem arteriarum varietatem earum laeſio non ſemper vitari poſſit, haemorrhagia nonnunquam moleſtiam creat. Haec ſi leuior eſt, non nocet, cum idem, quod venaeſectio, praeſtet; ſi vero nimis magna ſit, ad eam compeſcendam epithemata frigida, ex aqua et aceto, ſcroto et abdomini impoſita, multum valent. Quod ſi vero nec eorum ope haemorrhagia ſiſtatur, digitum Cl. Auctor vulneri immittit, locoque laeſionis arteriae ex pulſu inuento, arteriae orificium per quartam horae partem comprimit. Vſus quoque eſt cauterio potentiali ex antimonii butyro, arteriae laeſae applicato. Fiſtulis

*) Vid. Mélang. et Comment. l. c.

**) Idem hoc Cl. Auctor iam in miſcellaneis chirurgicis p. 213. propoſuit, ſuisque poſtea obſeruationibus confirmauit Cel. CAMPERUS in Demonſtr. anatom. pathol. L. II. p. 11. vid. Comm. noſt. Vol. XIII. p. 273.

***) Vid. CAMPER l. c. p. 10. et tab. II. fig. 3.

Fiſtulis agarico obuolutis, quas varii Auctores ad haemorrhagiam ſiſtendam commendant, parum fidit, maioremque fructum ab immiſſione fiſtulae nudae, quam LE DRAN *) propoſuit, expectat, vt alia taceamus. In fiſtulis perinaei, quae poſt calculi ſectionem oriuntur, calloſas partes lapidis infernalis ope deſtruxit, ſicque perfectam earum curationem obtinuit. Teſtium inflammatio, quae ex vaſis deferentis inflammatione ad teſtem producta oritur, ſi modo ſectio lateraliter ſatis facta ſit, raro accidit, atque etiam cataplaſmatibus emollientibus, clyſmatibus et lenioribus purgantibus adhibitis, facile diſſipatur. Tandem de incontinentia vrinae poſt calculi ſectionem in litteris Cl. POUTEAU ad Cl. PAMARD p. 59. eiusdemque Cl. Viri reſponſione diſputatur. Haec p. 62. nonnunquam ſine vllo ſectionis vitio oritur ex ſuppuratione vulneris nimis longa, aut ex veſicae paralyſi, atque nulla arte curari poteſt. Miramur tamen Cl. Auctorem putare, amuletum ex bufone ſiccato, olim a DE HEERS propoſitum, in eiusmodi incontinentia forte aliquem vſum habere poſſe. Quae p. 81. vero Cl. Auctor de aliis morbis ſymptomaticis, qui nonnunquam aegrum poſt operationem infeſtare ſolent, de vulneris cura, de iniectionibus in veſicam, (quas nonnulli poſt operationem commendant, Noſter autem reiicit) et de fiſtularum in vulnere relictarum minus recto vſu monet, quarum loco vulnus digiti potius immiſſione apertum ſeruat, taceamus. In duabus tabulis aeneis inſtrumenta deſcripta delineata ſunt, ſed, nonnullae figurae inſtrumentorum inuerſae exhibentur, ſculptoris errore iis ſiniſtrorſum vergentibus, quae dextrorſum dirigi debuerant.

*) Operat. p. 259.

XVI.

XVI.

ANTONII DE HAEN S. C. R. A. Maieſtatis Conſiliarii et Archiatri Med. Prof. Prim. cet. Pars vndecima rationis medendi in noſocomio practico. Viennae Auſtriae ſumptibus Hermanni Ioſephi Krüchten. 1767. 8. Alphab. I. Tab. aen. IV. Pars duodecima ibid. 1768. 8. pl. 19.

P. XI. Pergit Cl. Auctor laudando ſtudio in obſeruationibus practicis proponendis et methodo medendi
p. 1. inde accuratius definienda. In huius partis capite primo *de febribus intermittentibus* agit et ex multis aegris obſeruatis, tres ſeligit hiſtorias morborum, quorum duo decocto quodam ſine cortice Peruuia-
p. 4. no, tertius et decocto et cortice ſanati ſunt. Decoctum in hos vſus commendatum eſt: Rec. Rad. Gram. Taraxaci ana lib. vnam c. ſemiſſe, minutiſſime conciſam et diu tuſam coque aqua pura bihorio. Colaturae prelo fortiter expreſſae lib. tribus, adde oxymellis ſimplicis lib. ſemis, ſalis polychreſti drachmas ſex; vnciam ſumat aeger quouis bihorio.

p. 6. Triplicis generis febre intermittente oriundos tumores recenſet. Primum genus in ventre et inprimis hypochondrio ſiniſtro naſcitur nullius diſcriminis, oſtendit enim, SYDENHAMUM hos tumores vt ſalutares exoptaſſe, his enim ſimilia ſunt oedemata crurum, quae vel ſponte vel leni frictione diſſipentur. Secundum genus viſcera thoracis et abdominis obſtructa ſiſtit, his icterus, hydrops et rhachitis ſe iungunt et curationem difficillimam reddunt. Tertium genus obſtructiones viſcerum irreſolubiles exhibet in ſcirrhum et cancrum tranſeuntes, quibus ſe aſcites et hydrops ſaccatus adiungit.

Variis

Variis aliis obſeruationibus inſperſis, methodum p. 36.
Ill. BOERHAAVII, febribus intermittentibus et in paroxyſmo et extra eum medendi, examinat. Inci- p. 40.
pit a victu tenui, quem nonnulli commendant, aliis tamen contradicentibus. Sed vrget omnino Noſter, aegrum victu non onerandum eſſe, nec nimis extenuandum, ſi enim is bene appetit, digerit et egerit, victu vtatur, qui ad has qualitates conſeruandas requiritur et in hac re teſtimonio HIPPOCRATIS vtitur, ſi vero aegri imbecilles ſunt, parcior et tenuis quidem, ſed frequentior victus concedendus eſt.

Emetica medicamenta, etſi a quibusdam diu ante p. 44.
paroxyſmum exhibentur, melius tamen, proxime ante eum data, expurgandae materiae morbi conueniunt. Tenendum tamen eſt, non omnibus omnino aegris vomitoria conuenire, nonnullos potius, iis datis, debilitari. Medici etiam interdum exigunt, vt vomitorium eo interuallo a paroxyſmo propinetur, quo paregoricum medicamentum interiici poſſit. Purgantia etiam medicamenta, ſi ex impuritatibus corporis indicantur, eodem modo conſideranda ſunt.

Venaeſectio plethoricis conuenit, hinc etiam in p. 53.
intermittente febre interdum exigitur, ſed rarius omnino in aſſuetis, qua in re Gallorum teſtimonia commemorat, qui has curationis rationes laudant. Aliter res comparata eſt cum haemorrhoidum fluxu, qui vel vniuerſam ſanguinis copiam imminuit, vel eius congeſtiones in ſyſtemate venae portae arcet. Sudor in his febribus vario modo excitatus eſt; alii ſemper diluentibus et attenuantibus medicamentis corpus repleuerunt, ſudorem ante paroxyſmum excitarunt ac in eius progreſſu adiuuarunt; alii aromaticis et calidis medicamentis ſemper extra paroxiſmum vſi ſunt, qua in re myrrham, abſinthium et alias plantas aromatico amaras inter antifebrilia re-

tulerunt, nonnulli haec tantum ante paroxyſmum exhibuerunt; alii frictiones, balnea, curſum aliasque corporis exercitationes pro hoc ſcopo ſuaſerunt. Haec omnia certe a prudenti medico dirigenda ſunt, ne, obſtructionibus relictis, aeger poſt febrim fugatam ad morbos chronicos v. c. hydropem diſponatur.

p. 65. Recenſentur poſtea varia epithemata ex acribus, irritantibus, aromaticis et ſalinis, carpis aliisque corporis locis ad fugandam febrim applicata, quorum
p. 73. effectum dubium candide diiudicat Noſter. Similis etiam ratio eſt inunctionis et frictionis, thecae vertebrarum, breui ante febris acceſſum, applicatae, qua in re quaeſtio additur, an inunctio mercurialis quartanarios iuuet? quae in ſuſpicione luis venereae coniunctae, forte valebit.

p. 77. Adſtringentium vſus v. c. tormentillae, pentaphylli radicum cet. poſtea examinatur. Haec forte in aegris, a febre debilitatis, ſolidis flaccidioribus et fluidis maxime aquoſis inſtructis, vtilia ſunt. Praeſtat tamen his cortex Peruuianus, cuius laudes hic
p. 84. repetit et variis febribus accommodare docet. Mouet etiam quaeſtionem, an quaedam medicamenta, cortici addita, eius, in minori doſi propinati, vim augeant? Etſi autem formulam, cum eo communicatam, indicat, in qua praeter terrea radix gentianae adiecta eſt, certos tamen effectus non refert.

p. 90. Caput ſecundum *morbos acutos* recenſet et de pleuritide et peripneumonia potiſſimum agit, de iis tamen non conſuetas mutationes, ſed ſingulares quasdam refert. Iuuencula, pleuritide affecta, ante quartam iam venaeſectionem dolorem, ab inferiore parte ad ſiniſtram ſterni et humeri aſcendentem, perceperat, tamen cum hic iterum deſcendiſſet, reiteratae venaeſectiones inſtituendae erant, quarum

ratio-

rationem longius deſcribit. Sputa, quae ad quadrageſimum quartum diem aquoſa et ſpumoſa erant, poſtea aliqua ſuppurationis initia monſtrabant, neque tamen his, neque aliis excretionibus vera criſeos ſigna indicabantur, die tandem ſeptuageſimo et ſequentibus nec tuſſis, nec alia ſymptomata obſeruabantur, manifeſto indicio, morbum tarde quidem, ſed recte ſuperatum eſſe. Huius itaque morbi diagnoſin et prognoſin praeter dolorem lateris et cruſtam ſanguinis inflammatoriam, conſueta alia ſigna non definiuerunt. Remedia, in hoc morbo adhibita, p. 101. erant, ſanguinis miſſio, quinquies inſtituta, veſicatoria, enemata crebriora, decocta herbarum emollientium et attenuantium cum melle et oxymelle ſquillitico, antimonium diaphoreticum non ablutum et kermes minerale, mucilagines cum maſſa pilularum de ſtyrace, vt medicamenta paregorica, de nocte ſumenda, oleum quoque lini, externo et interno vſu ſalutare, maxime laudatur. Ad curam ventriculi, miſerrimo antea victu deprauati, adhibita ſunt infuſa rhabarbarina, quibus etiam aluus crebrius ſubducebatur.

Faber lignarius, homo robuſtus, variis de cauſſis p. 104. peripneumonia affectus, in curatione ſequentia praecipue oſtendit. Sanguis, die quinto ex dextro brachio miſſus, ſolutus cum cruſta ſubuiridi tremula apparebat, poſt octo horas ex ſiniſtro brachio ſubductus ſanguis cruſtam duram et craſſamentum firmum exhibuit. Pulſus quinto die durus fuit et fortis, ſexto debilis inaequalis, ſeptimo naturali ſimilis. His ſubiunguntur varia de criſi ad dies non adſtricta, inprimis de ſudoris varietate. Die decimo quarto morbi noua et grauior febris mota eſt, nec veſicatoriis, nec venaeſectionibus compeſcenda; in his declarandis varias obſeruationes de caloris gradu et miſſi ſanguinis mutationibus recenſet Cl. Auctor, quas

eum repetere haud poſſimus, notamus tantum poſt quinquaginta vncias ſanguinis detractas pulſum ple-
p. 120. num et fortem manſiſſe. Aegro autem mortuo, ſectio cadaueris ſequentia praecipue exhibuit, ex quibus forte morbi ratio apparet. Hepar et ſplen mole aucta erant et, cum interiecto ventriculo diſtento, colon, in media parte contractum et ſingulari ratione inflexum, ad regionem vmbilicalem depreſſerunt. Ileum inteſtinum et duodenum cum aliqua parte omenti inflammationem variam referebant, pulmo vndique accretus, in dextra auricula polypus albus ad iugulares vſque venas extendebatur, in cerebro omnia ſana praeter inſolitam ſiccitatem.

p. 126. Caput tertium *de morbo ileo* refert. Ampliſſima haec eſt tractatio, quae cauſſas, ſymptomata et ſigna cum methodo medendi variis tentaminibus illuſtrata, in variorum aegrorum accurata obſeruatione declarat et, ſectione cadauerum inſtituta, laeſiones partium internarum non tantum deſcribit, ſed variis iconibus illuſtrat. Cum de his omnibus accurate ſatis agere nequeamus, ſeligamus tantum quaſdam
p. 137. annotationes Cl. Auctoris, ſparſim propoſitas. Quae ilei letalis cauſſa proxima ſit, dubitat Noſter, cum eam et in inflammatis et gangraenoſis ilei plagis et in complicato colo inuenerit. Tempeſtiua venaeſectio, multum olei, purgantia opiatis interpolata, clyſmata ex fumo tabaci, optima, ſi mature adhibentur, ſunt auxilia. Omenti defectum inter colicae cauſſas referri poſſe, eius vſus in fouendis et lubricandis inte-
p. 173. ſtinis declarat. Virium proiectio, pulſus cum celeritate paruitas, frigus extremorum, oculorum collapſus, faciei et labiorum praecipue liuor, indolentia partium, antea dolentium, funeſta ſigna ſunt et gangraenam metuere iubent, haec vero et ex his praecipua, ſi vel deſunt, vel emendantur, a gangraena, clandeſtine obrepente, hominem non liberum reddunt.

In

In ſartore ſeptuaginta trium annorum, ileo mor- p. 176.
bo defuncto, ſectio cadaueris duodecim flexus coli monſtrauit, quae Tab. III. fig. 2. declarantur, reliquis partibus, vel maxime contractis, vel aere diſtentis et inteſtinis quoque tenuibus turgentibus. Cum in p. 181.
hoc cor vtrumque vacuum repertum fuerit, Noſter arbitratur, hepar et inteſtinum colon verſus diaphragma vrgeri et ita vitales actiones laedere et ſufflaminare poſſe; cor enim cum pericardio ita complanari et baſi ſua flecti putat, vt ſanguis omnis in ſinubus colligeretur, hincque vacuus reperiretur vterque cordis thalamus, qua in re dubitationem obortam aliorum iudicio relinquimus.

Coquo, morbo ileo ex colica pictonum laboranti, p. 186.
quarto die vncias tres mercurii cum oleo amygdalarum, ſequenti die duas et ſexto iterum duas propinauit. Obſeruauit id, quod HOFFMANNUS in matrona obſeruauerat, magnam ſcilicet tranquillitatem poſt eius vſum. Aluus tamen non niſi continuatis enematibus ſoluta eſt; ſeptimo enim die et poſt iniectum clyſma ſextum cum fecibus copioſis aliqua pars mercurii prodiit, a ſeptimo et octauo tamen nihil mercurii, die octauo vero et poſt applicatum clyſma nonum iterum mercurius prodiit, nona die aluus ſponte ſeceſſit et corroſi et nigricantis mercurii indicia habuit. Notat in hoc grauiſſimo morbo nullam paralyſin relictam eſſe, contra eos potiſſimum, qui in hoc morbo opium damnant, eiusque vſui paralyſin adſcribunt. De doſibus mercurii poſtea agit et metum quod, monente HOFFMANNO, morbos neruorum excitat, haud inanem pronuntiat, aliaque lectu digna de mercurio aliisque remediis, huc pertinentibus, diſputat. Laudes olei p. 204.
lini et Ipſe cum Cl. GALLESKY *) extollit et, cum nauſeoſum ſit, in clyſmatibus magis exhibet. Ma-

 chi-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 625.

chinae Italicae *) in hominibus applicationem non probat, niſi pluribus tentaminibus confirmetur.

p. 206. Caput quartum *de vario hydrope* agit et Cl. Auctor morbum hunc in variis exemplis ex cauſſis et mutationibus ſubſequentibus diiudicat, paracenteſin ſaepe adminiſtratam et liquoris educti indolem deſcribit et examinat. Nos, qui ordinem huius tractationis preſſe ſequi non poſſumus, ſparſas quaſdam annotationes ſelegimus.

p. 209. Feminae viginti quinque annorum aſciticae ſexaginta octo librae aquae paracenteſi eductae ſunt, quae non foetebat, ſed ſubrubella erat et ſanguinem grumoſum, in fundo vaſis ſubſidentem, oſtendebat; etſi vero et copia aquarum et ſanguis admixtus infauſtam prognoſin redderent, praeter ſpem tamen cortice Peruuiano, copioſe dato, ſanata eſt.

p. 212. In aegro iacente ſaepe moles aquarum non ſatis ad locum puncturae vrget, nonne tunc erecto potius corpore inſtituenda eſt?

p. 214. Liquor, paracenteſi eductus, poſt quindecim dies nondum putruit, ſed in cochleari igne admoto, in coagulum, albumini ouorum ſimile, mutatus eſt, quem ſyrupus violarum ex flauo colore in viridem mutauit, an ex eo, quod omnes animales humores latens alcali habent, ſed idem ſyrupus non omnes liquores, paracenteſi eductos, virides reddit et hic color paulo poſt euaneſcit.

p. 219. In femina viginti octo annorum, liquoris librae quinquaginta quatuor eductae, metuere faciebant gangraenam, quam Noſter largiori vſu corticis Peruuiani repreſſit. Liquor eductus, non obſtante calore atmoſphaerae, die tamen tertio demum foetere incepit et arenulas, ad latera vaſis affixas, exhibuit mani-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 444. et Vol. XIV. p. 673.

manifeſto indicio, et in aliis corporis humoribus, nec ſolum in vrina, calculos naſci poſſe. Liquor autem, die quarto in cochleari igni admotus, coagulatus eſt. In hac femina cum aſcite tumor cyſticus in abdomine ſimul fluctuabat, in ſiniſtro vmbilici latere potiſſimum perceptus, cum autem vires aegrae poſtea inſtauratae eſſent, vrina, variis remediis mota, largius effluxit et diſcuſſionem tumoris promittere viſus eſt.

In alia femina triginta trium annorum paracen- p. 236. teſis inſtituta ſine fructu fuit, aquae enim denuo collectae, non tantum diaphragmate praeter modum extenſo et ſurſum preſſo, cor vsque ad iugulum eleuarunt, ſed iecur, ventriculum et lienem verſus dorſum depreſſerunt, quae ſingularis mutatio ſitus partium Tab. II. fig. 4. delineatur et, noſtro iudicio, accuratiorem iconem deſideraſſet.

Commemorantur Auctores, qui in cura hydro- p. 249. pis clyſmata ex vrina variorum animalium commendarunt, qua de cauſſa Noſter quoque tentamen aliquoties cum vrina vaccarum inſtituere iuſſit, ſed ſine omni fructu.

Ex accurata recenſione mutationum, in ſectione p. 252. feminae hydropicae obſeruatarum, phaenomena morbi antecedentis declarantur; omiſſis vero reliquis, in geneſi membranarum, quas pſeudomenynnigas Noſter appellat, haereamus. Liquor, ex abdomine poſt mortem eductus, ex albo fuſceſcebat, qui plures ſimiles membranulas continebat, vltima etiam portio craſſamentum gelatinoſum referebat. Inprimis vero pſeudomenynx non flaua, ſed rubra potius, inteſtina tenuia tegens et ſuper colon ad hepar vſque ſe extendens, inuenta eſt, quae proceſſu vno ad centrum meſenterii, alio ad lienem producebatur. Cum itaque non ſolum hepar cum diaphragmate, ventriculo et colo, ſed pulmones quoque cum pleu-

p. 264. ra, diaphragmate et pericardio coaluiſſent, in geneſin membranularum inquirit Noſter, eamque a transpreſſo ex viſceribus et membranis ſero ſanguinis declarat, quod gelatinoſae indolis cruſtae inflammatoriae ſimile, iudicatur, et in liquore, ventrem diſtendente, generatur, verſus viſcera ſubſidet, iisque adhaeret et ita partim concretiones viſcerum efficit, partim in peculiares et diſtinctas membranas cogitur. Etſi vero cum hac geneſi nulla vehementis inflammationis ſigna percipiebantur, in viſcerum tamen obſtructionibus atque compreſſionibus, ſanguinem liberis in vaſis comprimi, denſari et ad inflammationem diſponi poſſe, arbitratur. Similem inflammationem oſtendit ſanguis interdum ex venis hydropicorum miſſus; et in femina, quae his conſiderationibus occaſionem dedit, nona et octaua ante mortem hebdomade, in febris continuae acceſſu modicae ſanguinis miſſiones ob anxietatem intolerabilem inſtitutae ſunt, ſanguisque compactus et craſſus inventus eſt et duram admodum et flauam cruſtam exhibuit, ſputa quoque poſtea euenerunt purulenta, diatheſin ſanguinis inflammatoriam indicantia.

p. 274. Puella ſedecim annorum, hydrope cyſtica laborans, in aquis iterata paracenteſi eductis, a dextro latere ſemper limpidum, a ſiniſtro turbidum humorem exhibuit. Hac occaſione non ſine ratione monet Noſter, in hydrope ſimili diureticis reſoluentibus et attenuantibus abutendum non eſſe, quippe quae in humores ſanos agunt et collectionem aquarum augent, nec eam impediunt, nec ad veras vias deriuant. Etſi enim cyſtides hydropicae legibus circulationis vix vltra ſubiectae eſſe videntur, aliqua tamen ſigna in vrina probant, ichoroſam mate-

p. 277. riam ex iis in ſanguinem reſorberi. Tentamen inſtitutum eſt, an cannula relicta et aqua hordei iniecta depurari et ad contractionem diſponi poſſint cyſtides,

ſtides, ſed non ſucceſſit, febre enim mota, cannula educenda erat. Poſt obitum aegrae, Noſter ob negligentiam miniſtrorum, qui liquores reſiduos ex ſacco hydropico ſine attentione emiſerant, in diſquiſitione, quam inſtituere decreuerat, impeditus eſt, nec definire potuit, num in variis paracenteſibus inſtitutis limpidae aquae ex abdomine, turbidae ex cyſtide promanauerint.

Miſſis aliis in ſectione cadaueris obſeruatis, tantum notamus, ouarium ſiniſtrum naturali duplo maius, cartilagineum, ſcabrum et hydatidibus refertum, exſtitiſſe, loco dextri vero, quod cum tuba prorſus diſparuerat, a fundo vteri latam membranam proceſſiſſe, cui ouarium in magnum et irregularem ſaccum extenſum adhaeſit. Inaequalis et tuberoſus hic erat, totumque abdomen replebat, parietum craſſities diuerſa erat, nonnullis in locis cartilaginea, in aliis ſcirrhoſa durities accedebat. Etſi vero tria tubera inaequalis magnitudinis referebat, haec tamen intus in varia loculamenta diuiſa erant, in quibus vel aqua, vel pus, vel mucus continebatur. In omni ambitu diſtribuebantur vaſa, quae in extenſione ſacci ſubinde, facta, quoque diſtenta erant. p. 283.

Nunc ad varias hydropis ſpecies declarandas ſe conuertit Cl. Auctor, ſcilicet hydropem, anaſarcam, aſcitem peritonaealem, cyſticum ſiue ſaccatum et tympaniticum, et, prima ſpecie obiter tantum indicata, de reliquis ſigna horumque fallacias commemorat et doctrinam variis Auctorum teſtimoniis illuſtrat, quam tamen lectu dignam tractationem in compendio tradere haud poſſumus, inprimis cum Cl. Auctor, exceptionibus additis, ſatis declaret, medicos in diagnoſi horum morborum eruenda ſumma cum attentione verſari, eamque, repetito examine, confirmare debere. p. 292.

p. 323. Similis tractatio de medendi methodo addita eſt, in qua, ratione curae internae, ad inſtitutionem Ill. BOERHAAVII, commentatione Swieteniana explicatam, prouocat, iniectiones adſtringentes poſt paracenteſin non probat. Peritonaealem aſciten, aquis emiſſis, coalitum peritonaei cum muſculis conceſſiſſe, creditur quidem, ſed curationes commemoratae id non ſemper confirmant, multa potius alia mala vlceroſa praeter recidiuam timenda eſſe, monet Noſter. De hydropis cyſtici curatione per inciſionem, iniectionem, depurationem et blandam inde ſacci contractionem efficiendam, porro dubitat Noſter *).

p. 339. Caput quartum *anatomica quaedam et expoſitionem tabularum* proponit. Declarantur breuiter, quae in quatuor tabulis expreſſae ſunt icones, quibus potiſſimum ea, quae ſitum peruerſum viſcerum infimi ventris et varias inteſtinorum inprimis coli mutationes concernunt, adumbrantur. Nos quaedam ex his ſuo loco commemorauimus, omnes vero icones ſigillatim diiudicare, inſtituti ratio vetat, monemus tamen ad has et ſimiles praeternaturales abdominis diſpoſitiones, in examine morborum accurate attendendum eſſe, quo fallaciae diagnoſeos omni modo euitentur.

P. XII. In duodecima parte quatuor priora capita pulſus doctrinam illuſtrant, reliqua annotationes ad varias

p. 1. res, iam pertractatas, addunt. Caput itaque primum *doctrinam* HIPPOCRATIS *de pulſibus* colligit. Etſi enim ſigna ex reſpiratione, vrina cet. ei frequentiora fuerunt, tamen non ſexies certe, vt alii perhibent, ſed frequentius longe pulſus rationem in morbis indicaſſe HIPPOCRATEM, Noſter affirmat et, collectis variis teſtimoniis, probat. Ex his enim

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. IX. p. 661. Vol. XII. p. 129.

enim euincere ſuſcipit, laudatum Virum conſiderationem pulſus ad diagnoſin et prognoſin morborum non ſolum, ſed etiam ad alias doctrinas medicas illuſtrandas applicaſſe, fatetur tamen, eas minus completas eſſe, nec ad ſingulas morborum obſeruationes ſatis accommodatas.

Caput ſecundum *pulſus hiſtoriam ab* HIPPO- p. 15.
CRATE *ad noſtra vſque tempora* recenſet. Contendit primo, ARAETAEUM iam ante tempora GALENI pulſuum doctrinam accuratius propoſuiſſe.
Etſi vero GALENUS de pulſibus plures libros edi- p. 20.
dit, rationem tamen pulſus oratorio magis ornatu deſcribit, nec recte definit, in refellendis aliorum medicorum ſuper hac re ſententiis nimis copioſus eſt et ſubtili diſtinctione, ad artem clinicam nec applicanda, nec aſſequenda, magis confundit, quam docet. Qui vero hunc ſequuti ſunt medici, doctrinae eius tantum adhaeſerunt.

Nunc diſtinctiones pulſuum, a pluribus retro ſecu- p. 23.
lis in ſcholis medicorum declaratas, recenſet et ex his compoſitas commemorat, teſtimoniaque affert, pulſum cum raritate celerem, hoc eſt, frequentem, a celeri vere diſtinguendum eſſe. Simili quoque ratione pulſum, in vtroque brachio variantem, concedit, nec tantum ex ſitu et progreſſu arteriae diuerſo, ſed ex conditione quoque morbi. Intermittentem pulſum in ſenibus minus periculoſum eſſe, omnes largiuntur, non aeque in iunioribus, contrarium tamen oſtendit Noſter ex obſeruationibus, quibus declaratur, ſaburram primarum viarum et vermes ob ſtimulum neruis inimicum intermittentis pulſus cauſſam eſſe, qua remota, regularis redditur. His quaedam ſubiungit de intermittente pulſu ex vitiis viſcerum inprimis vitalium et quibuſdam naturalem eſſe docet.

Etſi

p. 42. Etſi vero pulſus defectus ſeu plenaria aſphyxia rarius obſeruatur et ſaepe ex verae diſquiſitionis neglectu ſpuria eſt, quaedam tamen exempla affert, quae, eam interdum ab accuratis viris obſeruatam eſſe, declarant.

p. 50. Traditur porro hiſtoria morbi iuuenis viginti quatuor annorum, febre acuta inflammatoria laborantis, in quo, hac de cauſſa, pulſus longe celerior eſſe debuiſſet, dimidia tamen parte rarior, modice febrili, inuentus eſt. Venaeſectionem quidem, hoc pulſu monitus, intermiſit Noſter, aegram vero methodo antiphlogiſtica vſque ad decimum quartum diem ſanauit. Quae obſeruatio etſi incompleta eſt, quod nec ante morbum, nec poſt eum curatum ratio pulſus diſquiri potuit, occaſionem tamen dedit Cl. Auctori, de differentia pulſus in ſedente et cubante varia inſpergere lectu digniſſima. Subiunxit etiam variorum medicorum de ſingulari pulſus varietate obſeruationes.

p. 74. De pulſu celeri etiam agit recenſetque morbi progreſſum in virgine viginti quatuor annorum, quae ob morbum, peripneumoniam minitantem, in noſodochium excepta eſt. In hac pulſum, ſumme variantem, inprimis vero celeritatem, ſaepe vltra modum auctam, vſque ad diem centeſimum et quinquageſimum ſextum attente obſeruauit, et cum interea partes taeniae receſſerint, cum corticis Peruuiani vſus et venaeſectio quandam mutationem induxerint, obſeruatio lectu digna eſt, etſi verae huius celeritatis cauſſae non inuentae ſunt.

p. 88. Caput tertium *recentiorum ſcriptorum circa pulſum obſeruationes* tradit. Recenſet primo Cl. SOLANO obſeruationes de pulſibus, varias morborum euacuationes criticas indicantibus, easque ab aliis vel confirmatas vel correctas declarat, concludendo, forte

haec

haec potius, interdum non ex vera naturae lege contigiſſe. Etſi enim ea, quae in Hiſpania a SOLANO animaduertuntur, non audacter negat, tamen monet, ſe per attentam obſeruationem nec in Belgio, nec in Auſtria ſimiles euentus in morbis obſervaſſe.

Simili ratione et accuratius etiam Cl. BORDEU obſeruationes examinat et de iis ſuccincte et candide refert, illas tamen, vt alii naturae conſtitutioni in indicandis motibus criticis non conſentaneas inuenit. Proponit ideo laborioſi examinis quaedam ſpecimina, ex quibus nonnulla ſparſim ſelecta indicabimus. p. 100.

Alibi iam in febre acuta inflammatoria pulſum tardiſſimum, vt rariorem, annotauerat, in aegro enim quarto tantum die rhythmo et tempore inaequalis, reliquis vero diebus vere aequalis fuit pulſus et quarto die iam larga tranſpiratione et vrina morbus iudicatus eſt. Defuit ergo in hoc aegro gradatim decreſcens inaequalitas, quae ex doctrina illa vrinarum criticarum pronuntianda erat. p. 117.

In virgine, cuius pulſum iuſto celeriorem per centum et quinquaginta ſex dies examinauerat, in cruditate pulſus irritationis Cl. BORDEU non contractus, plenus et ſubdurus fuit, ſed plenus, fortis, celer et aequalis. Die quinto huius morbi in paucis ſputis coctionis niſus erat, et vrinae ſedimentum formarunt; ex excretorum itaque conditione pulſus vrinarii et pectoralis commiſtio expectanda fuiſſet, pulſus ſcilicet per gradus deſcendens, cum pulſus inteſtinalis inaequalitate, isque reduplicatus, at vero, praeter modicam celeritatem, pulſus tota die naturalis fuit. Pauca haec diiudicati pulſus ſpecimina ideo tantum commemorauimus, quo appareat, quantum et in reliquis examinandis adhibuerit induſtriam Cl. Auctor, cuius rei quaedam conſectaria addimus. p. 119.

Monet

p. 147. Monet primo, non paucos morbos acutos exiſtere, quibus praeter celeritatis et duritiei variationem, notabilis pulſuum mutatio, nec in cruditate, nec in coctione accidat. Concedit, in acutis dari nouas pulſuum mutationes, quae tamen definitas a quibuſdam medicis prognoſes non confirmant, tum enim euacuationes criticae vel nullae ſunt, vel aliae, quam indicatae fuerunt. Euenire aſſerit et alias, quam ab his Viris indicatae ſunt, pulſus mutationes, quae tamen nec in diagnoſi, nec prognoſi ad certam normam reduci poſſunt, ideoque varias ſubiungit rariores in morbis pulſus varietates.

p. 161. Caput quintum *de damno, quod a neotericorum de pulſu placitis, medicina patitur*, agit. Contendit ergo, veram et tutam praxin Hippocraticam his inventis obſcurari, ideoque ea, quae Cl. BORDEU et de criſibus et de pulſibus, contra HIPPOCRATEM aliosque medicos, qui eius veſtigiis inſiſtunt, monuit, refellere conatur, v. c. in diebus criticis et aliis
p. 177. ad criſium praedictiones pertinentibus. Inprimis autem lectu digna eſt defenſio Ill. BOERHAVII, quam Noſter, eius doctrina enutritus, attente ſuſci-
p. 189. pit. Qua occaſione etiam de purgantibus in acutis febribus varia declarantur.

p. 207. Subnectit huic capiti generalem animaduerſionem de methodo medendi nonnullorum medicorum, quos ex Chiraciana ſchola egreſſos fuiſſe, dicit. *Inchoant*, inquit, *continuantque curam, venaeſectione perquam numeroſa; iterato exhibent vomitoria; quotidie hi, illi die ſaltem alterno, corpora purgant; ſic autem vt apozematibus ſuis, quo humores efficacius mouere ſolidaque ſtimulare potentius poſſent, aliquid tartari emetici perpetuo iungant, donec demum praetenſa ſua criticorum pulſuum ſigna inſurgant.* Recte itaque monet, non ordinatis naturae motibus, ſed iis perturbatis, ſequen-

tis

tis pulſus ſingulares varietates adſcribendas eſſe, Hippocraticam nempe ſcholam, quam illi medici reprehendunt, vere oſtendere, obſeruationum veritatem nullam eſſe, ſi medicus naturam perturbaverit et egregia aliqua Cl. BAGLIVII verba ſubiungit *)

Caput quintum *de lumbrico lato* exponit. Morbi quidam recenſentur, in quibus vehementiſſima quaedam purgantia, clyſmatibus emollientibus iunctis, aliaque medicamenta anthelmintica exhibita ſunt, quae hiſtoriam vermium nonnihil illuſtrant, ad certas tamen concluſiones non ducunt. p. 210.

Caput ſextum *de variorum medicamentorum virtute* agit. Viperarum curam variis in morbis laudat et exemplis illuſtrat, iure enim recentium viperarum Italicarum vitiliginem ceu ſcabiem atrocem pulmonisque vlcera curata, ſpinam ventoſam autem mitigatam eſſe narrat. p. 227.

Laudatur in Anglia elixir vitrioli in dyſpnoea et ſuppuratoriis pulmonum morbis, illud vero Noſter non propinare auſus eſt, et ob copiam aromatum, quae aeſtum augent, et ob vim acidi, lac coagulantem. Sed, dubitationibus his per amicorum litteras remotis, hoc medicamento in variis aegris ſummo cum fructu vſus eſt, exhibuit enim viginti vel plures guttas bis vel ter de die per plures menſes et per aliquot annos. Videtur vero in illa phthiſeos ſpecie inflammatoria et ſuppuratoria conuenire, in qua materies vniuerſi cruoris, in integros pulmones transſudans, colligitur, ſputorumque forma eiicitur, quod diatheſin hanc ſanguinis praecipue euincat. p. 239.

De

*) Sunt ex praxeos medicae Lib. II. cap. 12, in quo paradoxa recentium medicorum in deriſione criſium egregie proponuntur.

p. 251. De agarici laricis exiguis fruſtulis, ſubinde ſumtis, in compeſcendis ſudoribus colliquatiuis, aliisque nonnullis medicamentis pauca refert, vberius diſquirenda.

p. 263. Caput ſeptimum *finem quaeſtionis de ſenſibilitate et irritabilitate* addit. Contradixerat hac in re Noſter obſeruationibus Ill. HALLERI ex conſiderationibus variis corporis aegroti, nunc tandem huius, in viribus corporum internis declarandis, tentamina probat et meritis laudibus extollit. Etſi vero ex ea tantum parte acquieſcere videtur Cl. Auctor, quod HALLERUS non inuertere cogitet pathologiam inuentis ſuis, tamen hic quoque, in eum finem tentamina illa inſtituit, quo phyſiologia pathologiam illuſtret et confirmet.

p. 274. Caput octauum *de inoculatione variolarum* nonnulla proponit. Praemiſſa breui recenſione controuerſiarum de variolarum inoculatione, a ſe excitatarum, decem obſeruationes inoculationis, ſiniſtre cedentis, refert et ſingulis ſubiungit cauſſam mortis vel laeſiones, ex alia re, praeter inoculationem, repetenda, quamobrem ex ſimilibus rationibus patet, neminem ex naturalibus quoque variolis mori. Subiungit varia, quae fallacem inoculationem demonſtrare poſſunt.

p. 294. Tandem cum ex naturalibus variolis multi moriantur et cum hoc ex neglectu debitae curationis pendeat, duplex conſilium exhibet; primo, vt medici clinici patrio ſermone breuem, ſed ſatis dilucidam normam praeſcriberent, et non ſolum ſemiotices et medendi methodi variolis regulae paterent, ſed etiam vana et ſaepe noxia anicularum conſilia infirmarentur, quod etiam certius expectandum eſſet, ſi ea norma publica auctoritate confirmaretur: alterum

vt

vt leges condantur, quae variolarum contagium auertant; hae quidem difficultatibus non carent, Noſtro tamen et aliis non omnino impoſſibiles videntur.

XVII.

IO. ERN. GUNNERI Theol. et Phil. Doct. Dioeceſios Nidroſienſis in Norwegia Epiſcopi, Flora Noruegica, obſeruationibus praeſertim oeconomicis panosque Noruegici locupletata. Pars I. Nidroſiae apud Typogr. Vindingium et Hafniae apud Bibliop. Pelt. 1766. fol. Alph. 1. pl. 4. tab. aen. 3.

Quaecunque deſiderari poſſunt ab illo, qui tractus et regionis cuiusdam ſpontaneas plantas diſquirere, et tam in exterorum, quam inquilinorum commoda recenſere ſuſcipit, ea omnia non ſolum egregie impleuit, ſed et plura praeſtitit Cl. Auctor in hac flora, quam ad imitationem aliis merito commendamus. Et cum Danicae et Suecicae plantae variorum, inprimis LINNAEI et OEDERI ſtudio fuerint expoſitae, Noruegici autem regni divitiae hactenus fere incognitae manſiſſent botanicis, eo maiores gratias referre debemus Venerabili Viro, quod defectum hunc ſupplere et nouis acceſſionibus rem herbariam augere voluerit. Diu iam in itineribus ampliſſimis, tum terreſtribus, tum marinis, quae ad coetus ſanctiores viſitandos quotannis inſtituere debet, naturae dona vbique ac ſummo ſtudio perueſtigauit ipſe, aliosque conterraneos ad ſimilem operam nauandam excitauit, praecipue vero Eundem occupatum hactenus tenuit animale et minerale regnum, prout ex actis Nidroſienſis ſocietatis, cuius fundator quoque fuit, abunde patet, nunc autem

plantas quoque legit, et in patriae maxime commodum eas publice expoſuit, quas huc vſque vel Ipſe inuenit, vel ab aliis communicatas accepit. Non omnes itaque, quas haec terra alit, ſed modo 314. Prima parte plantas, et quidem nullo ſeruato ordine, recenſuit, reliquas parti poſteriori, et ſi quae poſt hanc detegerentur, actis Nidroſienſibus reſervare voluit Cl. Auctor; cuius inſtituti rationem Ipſe addidit: *non forſan deerunt*, ſcribit, *qui optarent, vt editio huius florae differretur, vſque quoad tanta plantarum facta fuiſſet collectio, vt ordine ſyſtematico poſſit prodire. Sed vero, ſi editio eius tam diu differretur, valde metuerem, ne fieri poſſit, vt vix, me vivo, in lucem emitteretur. Quo circa conſultius duxi, plantas Norwegicas ſenſim, prout mihi innotuerint, nulla ordinis habita ratione, palam facere.* Plantas autem non niſi illas recenſuit, quas vel Ipſe in itineribus ſuis et in praedii ſui, Berg ad Nidroſiam dicti, vicinia legit, vel ab aliis lectas vidit, enodauit, aut ſaltem nouo examini ſubiecit. Vbique Linnaeana nomina adhibuit, ſynonyma pauca, aſt ſelecta, adiecit, et eos inprimis citauit Auctores, qui delineationes dederunt, vicinarumque regionum, Daniae et Sueciae ſtirpes expoſuerunt. Plurimae enim ſunt tribus his regnis communes, aliquae tamen etiam propriae, quales ſunt plures fuci, primula integrifolia, ſilene armeria et aliae. Addidit vbique vernacula propria, Danica, quandoque et Lapponica, aſt et Germanica, Gallica, Anglica nomina, ex Auctoribus, ſaepe etiam citatis, collecta; loca porro natalia copioſe memorauit, et in quonam vel Ipſe, vel alii plantam inuenerint, ſollicite notauit, florendique tempus adpoſuit. Obſeruationes denique vberrimas propoſuit, quae vel ad plantarum cognitionem faciunt, vel praecipue vſum medicum ac oeconomicum concernunt. Vſus iam cognitos ex aliis

qui-

quidem repetit, plurimi autem noui ſunt, incolarum, propriisque Cl. Auctoris experimentis innixi, vti et ea, quae ad Pan Norwegicum pertinent, diligentiſſime expoſuit, et fere ſemper notauit, an ab animalibus, et quibusnam deuoretur, aut auerſetur planta.

His praemiſſis, ad ſpecialiora progrediamur, et ex fertiliſſima flora aliquos decerpamus flores, quo operis praeſtantia plenius cognoſcatur. *Oſmundae*, No. 1. *ſtruthiopteris* dictae, accuratam dedit et deſcriptionem et delineationem. Radix conſtat laminis nigro fuſcis, carnoſis, ſolidis, conuexis, infima parte fibroſis, frondes ſteriles pinnatae ſunt, pinnis mediis longiſſimis, ſuperioribus et inferioribus breuioribus, ſcapus cum fructificationibus non ante tempus autumni apparet, eiusque infimae parti vtrinque ſaepius adnaſcuntur minora quaedam folia, iis ſimilia, quae infimae ſtipitum ſterilium parti inſident. Fructificationes in racemum diſponuntur, cuius ſinguli rami exhibent quaſi ſpicam diſticham, articulatam, articulis primum ſubfuſcis, vel obſcure vireſcentibus contiguis, dein ſub forma plerumque ſubrotunda diſtinctis et fuſcis. Formantur autem hi quaſi globuli beneficio foliorum frondis fructiferi anguſti inflexorum et conuolutorum, primum ab ipſa fructificatione vix dignoſcendorum, poſtea vero ſponte dehiſcentium; quum quidem capſulae apparent copioſae flaveſcentes et globoſae, quas microſcopium docet eſſe membranaceas, nitentes, annulo geniculato, lineis transuerſalibus parallelis interſtincto, in circulo maximo cinctas, et capillari pedicello, frondi affixo, innixas; capſulis horizontaliter ruptis, ſemina minima flaua eiiciuntur. Tab. II ſiſtit *cicutam viroſam*, in omni ſua vegetatione, flore et ouario per microſcopium quoque delineatis. Radix, vt Cl. Auctor

ſcribit, bulbus rapiformis eſt, qui praeter fibrillas longiores numeroſas, etiam emittit plures radices fuſiformes; inuolucrum vniuerſale nullum, partiale polyphyllum, folioſis duodecim conſtans; huius autem foliola ſetoſa eſſe, ne microſcopii ope videre potuit. Inter *fucos*, quorum plures hic recenſuit, icone illuſtrauit *ſcoparium* ſiue *arboreum edulem* C. B. *P*. eumque dixit: *fucum hyperboreum fronde ſimplici pinnata, caule longiſſimo.* Caulem habet durum, ſubteretem, tres vel quatuor cubitos longum, craſſitie baculi, infima ſui parte ſaxo vel lapidi adhaerentem; frons ſimplex eſt, terminalis conſiſtentia veſicae bubulae, caule altior, vnum ad duos cubitos lata, pal-
No. 2. 3. mata. In *draba verna* petala bipartita, folia radicalia margine ſubcilicata, ciliis, vt microſcopium docuit, ſaepe bifurcis, et interdum verſus apicem vtrinque vno dente obſoleto notata; in *draba incana* ve-
No. 4. ro petala modo emarginata deſcripſit. *Polypodium, filix mas*, quo ab omnibus vilioribus commode diſcerni poſſit; icone expreſſam dedit bigam pinnarum, monuitque ſimul, huius faciem hilarem, et marginem laminarum vnguiformium integerrimum diſtinctionis praebere adminiculum; alias autem noxiasque inprimis filices, vt eſt *filix femina*,, auſtera et ſuſpecta facie externa, earumque laminas dentibus marginalibus, tanquam atro carbone notaſſe Deum
No. 5. optimum. *Anthoxanthum odoratum* facile quidem, dum floret, ſtaminibus et ſtylis duobus cognoſcitur; aſt autem ſtylis et germini vtrinque adſtat anthera erecta, oblonga, ſubfuſca, ſuperne integra, inferne bifida, et filamentum maxima parte antherae agglutinatum; mutata vero ſcena, filamenta tenuiſſima euoluuntur et e gluma flaueſcente producuntur longiſſima, vna cum antheris verſatilibus vtrinque bifurcis, vt pollinem in ſtigma vtriusque ſtyli poſſint dimittere. Stamina quoque propter longitudinem

ita

ita ſaepe ſibi inuicem implicantur, vt vnum filamentum, duabus antheris inſtructum, repraeſentent.
Ericae vulgaris calix exterior minimus eſt, interior No. 15.
vero coloratus et perſiſtens corolla maior; in foliis,
potiſſimum recentibus, ea ad baſin ſagittata eſſe, facile adparet. *Spergula arvenſis* omnium frequentiſ- No. 20.
ſime ſtaminum numero ludit, in eadem planta individuali plurimi flores quinque ad nouem, pauciſſimi
decem ſtaminibus inſtructi erant. In *piſo arvenſi* No. 76.
petioli tetraphylli qnidem ſunt, aſt infimi diphylli,
foliolis oblongis, hinc inde denticulatis; ſtipulae foliis maiores et inferne extus crenatae; vexillum magnum coeruleſcens, venis ſaturatioribus pictum, alae
obſcure purpureae, carina alba, vel leuiter purpuraſcens, facies eſt piſi ſatiui, ſed omnia minora. *Ca-* No. 89.
rex veſicaria tres profert ſpicas maſculinas, quarum
tertia magis diſtat a ſecunda breuiore, quam haec a
prima longiſſima terminali; femineae ſpicae duae
ſunt pedunculatae, flaueſcentes, capſulis ampullaceis, apice rariſſime bifido. *Gentianae amarellae* No. 95.
flores ſupremi habent corollam quinquefidam, reliqui omnes quadrifidam, eſtque maxime affinis *gentianae campeſtri.* In *lychnide dioica* flores herma- N. 123.
phroditi ſemel obſeruati. *Tamarix Germanica* perti- N. 152.
net ad monogynias et petala fert purpuraſcentia.
Cardamine hirſuta flores oſtendit paruos, albos, cau- N. 195.
les et folia parum hirſuta, ſtamina nunc quatuor,
modo aequalia, nunc ſex, duobus minoribus; ſemina matura longius diſſiliunt, quam in *impatiente noli me tangere* dicta, licet haec non ſit *cardamine impatiens.* *Thymus ſerpillum* in omnibus ſpeciminibus N. 233.
flores habuit purpureos, et cilia alba vtrinque ad
baſin omnium foliorum.

Verum, miſſis botanicis obſeruationibus, properamus ad eas, quae vſum variarum concernunt,

et ex vberrima harum meſſe quasdam etiam produ-
No. 1. camus. *Oſmundae ſtruthiopteris* radix tam cruda, quam
cocta pabulum caprarum, ouium, boumque fit ſoli-
dum et ſanum, modo non nimia detur quantitate,
No. 4. decocto etiam radicis vituli bene nutriuntur. *Polypodium, filix mas*, ſimilem habet radicem, eademque, foeno deficiente vel corrupto, eundem vſum praeſtat, immo priori, vnanimi oeconomorum conſenſu, praefertur; de hac, et in noſtris terris vulgatiſſima, planta ſcribit Cl. Auctor: *En egregium, in penuria foeni, remedium, quo rite adhibito, pecora non tantum ab interitu praeſeruari, ſed ſane et ſaginari poſſunt.* Feroenſes radices in cereuiſia coquunt
No. 9. contra calculum. *Polygoni viuipari* radices a pauperibus, inprimis Tungenſis in cibum et panem diligenter colliguntur, et ſemina cum lacte coquuntur.
No. 11. *Hippophae rhamnoides* infuſo vel decocto ligni, foliorum et florum Bingdalenſes aliique, loco decocti lignorum officinalium bono ſucceſſu vtuntur, viresque hydroticas et diureticas exſerere traditur. Oues et caprae folia auide deuorant, et a ſpinis probe ſibi
No. 13. cauere norunt. *Saxifraga cotyledon* repudiatur fere ab omnibus animalibus. Dalenſes foliorum decocto contra phthiſin tam hominum, quam boum, vtun-
No. 15. tur. *Erica vulgaris* in Norlandia, alio pabulo non ſuppetente, ad oues et equos alendos adhibetur, et novit quoſdam Cl. Auctor, qui ſolius ericae beneficio, ante minutim conſciſſae, et fecibus ſpiritus frumenti vel alio fluido maceratae, equos ſuos circa duos
No. 20. menſes ſatis bene paſtos, conſeruarunt. *Spergula aruenſis* auide quidem a capris, ouibus et equis, ſed non item a bobus appetitur, vt ſollicite expertus fuit Auctor, hinc et laudes ratione ſaginae boum eidem tributas, potius *ſpergulam pentandram*
No. 22. ſibi vindicare aſſerit. *Daphnis Mezere* corticem affectibus arthriticis externe applicant Dalenſes, iidemque ex cortice et baccis vnguentum contra vlcera

ca-

cacoethica parant. *Rumicis criſpi* radicis decocto No. 35.
non contra ſcabiem tantum, ſed et contra icterum
vtuntur Tranoenſes, radicem etiam recentem con-
tuſam externe contra ſcabiem vſurpant. *Stachys* No. 70.
ſyluatica, licet foetidiſſima, auidiſſime deuoratur a
bobus et vaccis, et in his lac gignit abundantius,
nec copioſiſſime comeſta lac vlla ratione reddit in-
gratum. Equi plantam vehementer abominantur.
Pedicularis paluſtris dyſenteriae boum, et hydropis No. 87.
ouium cauſa vulgo dicitur. Aſt, capris exceptis,
intacta relinquitur a pecoribus et iumentis, niſi val-
de famelica, vel aliunde aduecta, eandem cum
damno deuorarent; et in praedio Auctoris, eius-
que vicinia copioſe habitat, nec tamen per ſeptem
annos vlla ouis ibidem morbo periit, vel hydrope
laborauit. *Angelicae archangelicae* caulis crudus, No. 98.
ante floreſcentiam decorticatus, a Lapponibus et
Noruegis auide editur. Folia, etiam radix, in
puluerem redacta, et farinae admixta, a Norlandis
comeduntur. *Sorbi aucupariae* cortex ſalutare boum No. 99.
ouiumque pabulum, et folia quoque tempore au-
tumni in pabulum hiemale pecudum a bonis oeco-
nomis diligentiſſime colliguntur. Equi a nimio eo-
rum eſu pilos amittunt. *Anthericum oſſifragum* im- N. 136.
pune a bobus deuoratur et praeſertim tempore ver-
no ab iisdem valde adpetitur. *Myrica gale* paupe- N. 142.
ribus in Norlandia inſeruit loco lupuli, nec caput
tentare fertur, ſi decoctum probe fuerit deſpuma-
tum; decocto Norlandi cimices et pediculos pellunt,
et gemmis floriferis lanam luteo imbuunt colore.
Potentilla Noruegica pabulum praebet omni reſpe- N. 145.
ctu praeſtantiſſimum, hinc illam, in arenoſis prae-
ſertim, ſerendam eſſe ſuadet Cl. Auctor. *Sedi* N. 149.
acris decoctum, cum lacte paratum, a Nidroſienſibus
contra ſcorbutum vſurpatur. *Tamarix Germanica* N. 152.
in decocto contra ſcabiem a Dalenſibus adhibetur.

N. 166. *Anemonem nemoroſam* dyſenteriam boum producere
N. 184. Cl. Auctor quoque confirmat. *Eriophoron polyſtachion* primo vere omnia pecora expetunt, hinc et tunc diligenter a ruſticis colligitur, pappo autem exſiſtente, ab omnibus relinquitur intactum. In Dalia ſponſa ex pappo, lana ouilla admixta, ſponſo conficit chirothecas, et puluinaria infantum ruſticorum
N. 179. ex hoc, lana leporina addita, parari ſolent. *Conuallariae maialis* foliis et radice pulchro flauo colore
N. 191. veſtes tingunt Nummedali. *Alſine media*, recens contuſa, a ruſticis imponitur furunculis, et pone aures adplicatur ad inflammationes oculorum exſtinguen-
N. 207. das. *Lichenem parietinum* cum lacte coquunt Bedſtadienſes, et contra icterum hauriunt, illudque ſumme laudant remedium. Ope huius lichenis veſtes
N. 215. quoque luteo imbuunt colore. *Spiraeam vlmariam* adoleſcentes ruſtici in veſtibus gerunt, vt grato odore ſeſe commendent; ab aliis cereuiſiae induntur folia, cui et odorem et ſaporem gratum conciliant.
N. 306. Boues eandem auide deuorant. *Thlaſpi aruenſis* ſemina ſanguini coagulato reſoluendo et rheumatiſmis ſanandis inſeruiunt. Sed haec ſufficiant; quilibet vel ex his facile perſpiciet praeſtantiam huius florae.

XVIII.

XVIII.

BERNHARD IOSEPH SCHLEISS *der Weltweisheit und Arzeneygelahrheit Doctors, Churpfälziſchen Raths, geweſenen Feldmedici und würcklichen erſteren Phyſici der Stadt und Herzogthums Sulzbach, Abhandlung von Podagra. Nürnberg bey George Peter Monath.* 1767. 8. *2 Alph. 3 Bog. nebſt Vorrede.*

i. e.

Tractatus de podagra. Auctore BERNHARDO IOSEPHO SCHLEISS.

Diſpeſcitur hic liber a Cl. SCHLEISS, qui, vti ex praefatione primae partis apparet, ipſe huius morbi experitur crudelitates, in tres ſectiones, quarum prima pars, aegris podagricis ſcripta, veram et regularem, alteram anomalam et ſymptomaticam, et tertia retrogreſſam complectitur podagram. Prima pars continet, praemiſſa hiſtorica podagrae deſcriptione, eius cauſſas, remedia et diaetam podagricorum ac finitur medicis quibusdam concluſionibus, huc ſpectantibus. In altera parte varii morbi, qui podagram excitant, eamque partim comitantur, partim ſequuntur, vt chloroſis, ceſſatio menſtruorum, hydrops, malum hypochondriacum, ſcorbutus, lues venerea, aſthma, febres, colica, exanthemata ſpectantur. Tertia tandem agit de conuerſione podagrae in varias corporis partes, ventriculi labem, colicam, diarrhoeam, dyſſenteriam, inteſtinorum vlcera, calculum renalem, aſthma, catarrhum, tuſſim, phthiſin, tabem, anginam inflammatoriam, apoplexiam, paralyſin, oculorum et aurium, nec non dentium dolores, efficientis. Quae omnia partim ex ſuis, partim ex SYDENHAMI, LISTERI, ETT-

MULLERI, SENNERTI, BOERHAAVE, HOFFMANNI aliorumque obſeruationibus Noſter illuſtrat; plurima vero ex KRÜGERO et MUSGRAVIO deſumta ſunt. Quoniam vero haec vel ex aliis ſunt deprompta, vel nullam produnt nouitatem, eo breviores erimus, et more noſtro de ſingulis tantum videbimus.

P. I. p. 12. Regularis podagra, exeunte ianuario vel incipiente februario, potiſſimum aegros vexat, irregularis autem, tribus calidiſſimis aeſtatis menſibus exceptis, per totum annum apparet. Podagrae omnino cauſſis nominatis, proximam eius cauſſam ponit Noſter in inflammationem neruoſam, quae proficiſcitur a nimia fluidi neruei acrimonia, ſpiſſitudine et ſtagnatione, neruos ob nimiam expanſionem et irritationem, anguſtiam, rigiditatem et fere dilacerationem male afficiente. Quapropter inter cauſſas podagrae Noſter et refert nimium litterarum ſtudium, feminisque profluuium, profundas meditationes, ac quicquid neruos debilitare et fluidum nerueum partim imminuere, partim acre reddere poteſt. Quae hac in re explicanda obſcura fluidi neruei cognitio vetat, ea ex dolore, quem ſentiunt podagrici et aliis ſymptomatibus, nec non ex cauſſis, vt nimio veneris exercitio vinique abuſu, ac ex temperamentorum diverſitate, quae cernitur in aucta vel imminuta nervorum tenſione, illuſtrare Noſter annititur.

p. 126. Inter remedia podagrae opponenda, aduerſus quam nullum facile ſpecificum, ſecundum Noſtri opinionem, poterit reperiri, antequam fluidi neruei natura eſt detecta, conſideratur camphora, ac quaeritur: numne eius neruina vis ad huic morbo medendum aliquid conferre poſſit? Atque hoc Noſtro ideo in mentem venit, cum viderit, camphoram, externe applicatam podagricis aegris, facile ad interna viſce-

ra

ra pellere podagram. Narrat enim exemplum, vbi camphorae externus vſus podagram in ventriculum coniecerat, et cum medicus, retropulſionem podagricae materiei intelligens, camphoram ventriculo applicuerit, podagra pedes iterum occupabat. Porro vires electricae ac magneticae contra hunc morbum dignae cenſentur, quae diſquirantur.

Podagram anomalam dicit Noſter eum morbum, qui magnam quidem habet cum podagra conuenientiam, attamen ſecundum originem ac ſedem differt e. g. rheumatiſmum. Symptomatica vero ita definitur, vt ex alio morbo, qui partim adhuc adeſt, partim antea adfuerat, oriatur, v. c. podagra ex chloroſi, ceſſatione menſtruorum, hydrope, mittimus alios. Scorbutica podagra dum a Noſtro perſequitur, in ſcorbutum inquirit variaque de putredine ſecundum Cl. PRINGLE addit inſimulque miratur, ſcorbutum, morbum inprimis caſtrenſem, germanice *Schaarbock* appellari, cum tamen abdomen primum ab eo occupatur, ideoque ſuadet, ſcorbutum potius germanice *Schaarbauch* eſſe nuncupandum. Si aſthma ſymptoma eſt ſymptomatis diſſuadet venaeſectionem. Quod ſi vero a conuerſione podagricae materiae ad pectus ipſum proficiſcitur, ad venaeſectionem properandum eſſe monet. Febres ſequi ſaepenumero podagram, probat Noſter exemplo, vbi vir quinquagenarius, febre intermittente et per nonnullos annos reuertente, laborans, podagra, qua antea nec ille, nec eius cognati affecti fuerunt, ab iſta febre eſt liberatus, ac monet, in eiusmodi pertinacioribus febribus intermittentibus ſaepe attendendum eſſe arthritidem, ſiue per haereditatem, ſiue per inordinatam vitae rationem ortam, et, ſi inde proficiſcuntur, potius ad arthritidem, quam ad febrem in medela eſſe reſpiciendum. Dolores in inte-

P. II. p. 162.

inteſtinis in vniuerſum colicam, appellat Noſter, nec raro eam a podagra oriri, ideoque ſedulo in medela ad eam ſpectandum eſſe monet. Qua occaſione commemoratur exemplum pueri mortui, cuius aluus per quinque annos non fuit aperta, caeterum nulla, debilitate ac infirmitate corporis excepta, ſenſit incommoda. Dolemus vero, Noſtrum non plura dixiſſe de hoc ſatis ſingulari aegri ſtatu, ſectionisque relationem addere forte non potuiſſe.

P. III. Tertia pars metaſtaſin podagricam complectitur,
p. 332. ac primum quidem methodum, podagram in internas partes conuerſam, ad externas partes reuocandi, praecipue a MUSGRAVIO traditam, Noſter repetit. Tum ſingulae corporis partes, quas occupauit podagra ſpectantur. Atque in angina inflammatoria, quae partim cum, partim ſine tumore et aſthmate apparebat, a retrogreſſa podagra nata, applicationem cucurbitularum, vti HAENIUS iam laudauit, et per quos vlcuſcula externa excitauit ac ſubitaneum expertus eſt auxilium, imo, ſi opus eſt, tracheotomiam ſuaſit. In dyſenteria et vlceribus inteſtinorum externum vſum laudani liquidi SYDENHAMI, temporibus, naſo et linguae illiti, ad excretionem hanc moderandam, nec nimis promouendam, nec imprudenter ſedandam commendat.

XIX.

XIX.

Gli Atti dell' Accademia delle ſcienze di Siena detta de Fiſio-critici Tom. II. in Siena appreſſo il Bonetti nella ſtamperia del Pubblico l'anno 1763. 4to mai. Alph. 1. pl. 16. tab. aen. 9.

h. e.

Acta Academiae ſcientiarum Senenſis Phyſico-criticorum Tom. II. ad annum 1763.

De inſtituta academia Senenſi alia data ocaſione diximus cum Tomum primum in quo potiſſimum de inſitione variolarum obſeruationes tradebantur, indicaremus *). Nunc vero ad recenſionem ſecundi tomi progredimur, in quo ſequentia inuenimus.

1. *Tentamen obſeruationum ſuper res quasdam naturales in Prata et aliis locis, maritimis*, della maremma *ditionis Senenſis* Auctore IOSEPHO BALDASSARRI M. D. et Prof. Publ. Hiſtoriae naturalis. Iter in has partes ſuſcepit anno 1762 et primo cuprum, ſulphure et ferro mineraliſatum, deſcribit, quod in cuniculis ad riuum Merſa vicinis effoditur. Matricem inuenit et quarzum et terram argillaceam induratam, et vitriola, quae ibi generantur, partim ex ferro, partim ex cupro, vel ex his demum mixtis oriuntur. His et aliis foſſilibus, ibi inuentis, fuſius deſcriptis, nonnulla corollaria ſubiungit, v. c. aquam non ſolum in animalibus et vegetabilibus, ſed et in mineralibus partes, his formandis idoneas, cogere, quod non ſolum in ſtalactite, ſed et in aliis concretionibus regni lapidei probat. Metallicae cupri et pyritis

p. 1. p. 10.

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XII. Part. I. p. 145.

tis partes in molli et tenera argilla ita condenſantur, vt, accedente ſucco lapidifico quarzi, indurari poſſint. Arbitratur enim, quarzum et cryſtallum montanam habere baſin argillaceam, cui ſe iungit acidum minerale et terra quaedam ſingularis: inuenit enim particulas teneras quarzi, in terra argillacea natas, et cryſtallum montanam in ſimili terra argillacea. His ſubiungit varia de vitriolo albo et zinci ortu.

p. 17. Progreditur ad furnos deſcribendos, in quibus variae minerae, inprimis cupri, coquuntur: de horum autem fabrica pauca refert, ſed potius de regeneratione vitrioli in his furnis varia immiſcet. Paulo poſt terram viridem et coeruleam deſcribit, quae ex ſtillicidiis aquarum naſcuntur, et cuprum ſolutum vel corroſum praecipitatum viride et coeruleum, ceu veras cupri ochras exhibet, et ſententias variorum Auctorum ſuper hac re enarrat.

p. 31. Varia nunc de lacubus proponit, in quibus aquae ſulphureae ebulliunt, hae acidae indolis interdum clarae, interdum turbidae ſunt. Notatu vero dignum eſt, quod in his lacubus et calidae et frigidae aquae ſimili ratione ebulliant, cum magno ſtrepitu in vtrisque percepto, ex prioribus copioſi fumi albi, calidi et humidi ſurgunt, et aquae in easdem aperturas recedunt, ex quibus prodierunt. Etſi vero fermentationes frigidae et calidae a chemicis indicantur, tamen cum in vtrisque aquis ſimile acidum inueniatur ideoque ex particularum componentium indole haec res explicari nequeat, veram huius phaenomeni rationem Noſter definire non audet. Subiungit p. 41. porro alias minerarum, ibi inuentarum, deſcriptiones et ſub finem aliquas plantas, ibi creſcentes, deſcribit, ex quibus cardamine maior hellebori nigri folio, flore purpureo, radice nodoſa, noua videtur, attamen non ſatis deſcripta.

2. *Ana-*

2. *Analyſis phyſico chemica aquae mineralis, quae ex monte Senae vicino erumpit et aqua Borra appellatur.* Auctore EODEM. Hae aquae, quarum etiam BACCIUS et alii mentionem faciunt*) in curandis morbis grauioribus ante hac exhibitae, nunc ferme neglectae, ab incolis vicinis tantum in vſum ducuntur. Ex monte propullulantes, copioſum tartarum deponunt, quo aperturae ſaepe clauduntur, aliis tamen vicinis denuo apertis. Vera aqua thermalis eſt, etſi interdum non adeo calida proſiliat, clara et tranſparens eſt et ſulphuris odorem ſpargit, ſaporem ſalis marini refert, cui tamen aliquid lixiuioſi ſubeſt. Hinc diu detinetur in alcali minerali inquirendo et cum vegetabili comparando. In aquis ipſis triplex ſal, nimirum marinum, alcalinum et aliquod amarum ſingulare commemorat, ſalis tamen GLAUBERI mentionem quoque facit, ſimili ratione poſtea inquirit in ſpiritum acidum mineralem volatilem, in ochram ferri, ſal ſeleniticum, omnem tamen diſquiſitionem harum aquarum, vt nobis videtur, non abſoluit. p. 44.

3. *Analyſis thermarum St. Caſſiani.* Auctore Cl. OCTAVIO NERUCCI Prof. Publ. Med. Theoret. Senenſi. Prouocat ad ea, quae HOFFMANNUS de aquis medicatis in vniuerſum et de nunc deſcribendis Cl. BASTIANI propoſuerunt, quibus figmenta de ingredientibus variis partibus metallicis refelluntur. Etſi vero ex profundioribus cryptis ſcaturigines prodeunt, et perpetuus affluxus obſeruatus eſt, tamen ſuperiora terrae ſtrata, inprimis cretacea, non tamen ſemper alba, ſed coloribus variis tincta commemorat. Ex variis locis propullulant aquae quae duodecim balneis coercentur, ex quibus aqua, interno p. 79.

*) Prodiit de iis libellus ſingularis LEANDRI TERRUCCI Sienae 1647.

interno et externo vſui deſtinata et per embrochen quoque applicanda, depromitur.

p. 83. Summam aquae claritatem ſpiritui acido deberi, contendit Noſter, et quanquam inſipida videtur, aliquem tamen ſtimulum, ex hoc ſpiritu volatili pendentem, linguae imprimi monet, quod etiam de odore non vehementi quidem, ſed quodammodo ſulphureo, valet. In calida aqua ſpecifica grauitas, hydrometro inuenta, minor eſt, quam in fri-
p. 93. gida duobus circiter gradibus. Ex variis itaque tentaminibus inſtitutis concludit, ſedimentum, poſt euaporationem relictum, et terram alcalinam et aliam terram ſalinam continere, prior vero, cum ſale ammoniaco trita, odorem vrinoſum non prodit, altera cum ſale ſelenitico conuenit.

p. 100. 4. *Methodus vtendi aquis St. Caſſiani in Senenſi ditione.* Auctore IOSEPHO NENCI Med. Prof. Publ. Epiſtola latina eſt, quam ad amicum quendam ſcripſerat, cum ad aquas has ſe conferret. Volatili ſpiritu praeditas aquas viſcera penetrare et humorum concretiones ſoluere, in vniuerſum monet; in imbecillis nec validas euacuationes ſanguinis, nec purgantia fortiora ad praeparationem commendat, et porro oſtendit ab initio copiam aquae non ingurgitandam eſſe, parcam enim doſin ſufficere, quae ſi per aluum et renes non protinus tranſit, per euacuantia non ſtatim promouenda eſt; continuato enim et ſubinde aucto aquarum vſu, effectum tandem ſuccedere ſperat; validas purgationes interdum iis vtiles eſſe concedit, qui viſcera, lenta bile et viſcida pituita obſeſſa, habent. Optimum non raro eſſe affirmat, ſi aquae non ſubito tranſeunt, ſed quodammodo reſiſtunt, et humores reſoluunt, quando vero vel ex parte vel copioſe effluunt, tunc aegrum iure vitulino vel recenti lacte vti poſſe, quo vires inſtaurentur.

rentur. Externum quoque balnei vſum temperatum eſſe debere vrget, idque non tantum in ſucceſſiua immerſione corporis in balneum eiusque duratione, ſed etiam in embroche.

5. *Obſeruationes ſuper declinatione acus magneticae.* Auctore Cl. IOSEPHO ASCLEPI e S. I. Lector Matheſeos in Collegio Romano. Haec tentamina Romae inſtituta ſunt, obſeruationibus in tabulas diſpoſitis, variisque monitis paſſim ſubiunctis. p. 107.

6. *Reſponſio ad ſextam quaeſtionem, quam* Ill. NEUTONUS *in ſua optica propoſuit.* Auctore Cl. D. CANDIDO PISTOI. Reſorptionem lucis a colore nigro et augmentum caloris declarare annititur. p. 126.

7. *Porta harmonica.* Auctore Cl. MILLER. Proponit inſtrumentum, artificioſe conſtructum, ad ſonorum differentias recte definiendas inuentum. p. 132.

8. *Tentamen phyſico mechanicum de reſiſtentia murorum contra terrae concuſſiones.* Auctore ANTONIO LORGNA Prof. Math. in collegio militari Veronenſi. p. 155.

9. *Hiſtoria medica, ſiſtens deſcriptionem morbi, morte terminati, cum cadaueris ſectione.* Auctore FERDINANDO MANOTTI Doct. Med. ANDREAS ARRIGHI ſocius academiae Senenſis anno nonageſimo ſecundo ſeculi ſuperioris natus, procerae ſtaturae, corpore tamen gracili et fibra ſenſili praeditus, literarum ſtudiis maxime delectatus, ac anatomiae profeſſor, et his laboribus et cura aegrorum ſollicite ſuſcepta, corpus infirmum reddidit, p. 176.

 arthri-

arthriticis praeterea et nephriticis doloribus, nec non cephalalgia, cum ſenſu frigoris in capite, crebrius affectus, multis vel ſuo ſtudio inuentis vel aliis ſpecificis, ab impoſtoribus quoque laudatis, medicamentis ſine fructu vtebatur. Hic incidit tandem in morbum conuulſiuum, quo ita conficiebatur, vt maſticandi vi ſimul deſtitutus, victu tenui tantum conſeruandus eſſet. Vino tamen nimium vſus eſt, quo etſi morbus intendebatur, ſomnum tamen ſibi inde conciliari obſeruauit. Tam triſti morbo per diuturnum tempus tolerato, anno 1760 febriles motus acceſſere, hisque ſopitis, alia incommoda, ex gangraena partiali ad os ſacrum, nec emplaſtris, nec corticis Peruuiani vſu ſatis compeſcenda, quibus tandem menſe ianuario ſequentis anni confectus, diem obiit ſupremum.

p. 181. Ex ſectione cadaueris, quam Cl. Auctor non ſolum proponit, ſed etiam cum aliis Auctorum obſeruationibus confert et, notis additis, illuſtrat, ſequentia annotemus. In infimo ventre viſcera praecipua in vero ſitu ſine labe deprehendebantur, veſicae vero vrinariae cauum vlceribus obſeſſum; vreteres, valde dilatati, calculos quosdam ſat duros continebant, et in veſicula fellea copioſa, ſed prorſus nigra bilis inuenta eſt. In thorace auricula cordis dextra duplo maior, et pulmones poſterius accreti ac gangraenoſi inueniebantur. In capite dura mater caluae fortiter adhaeſit, et in falciformi proceſſu, intra hemiſphaeria dimiſſo, duo oſſicula impacta erant, quae Tab. VII. delineantur, maius, pollicis et vndecim linearum longitudinem referebat, oblongum in extremis acutum, alterum minus quinque linearum erat. Haec, etſi in ſubſtantiam cerebri impreſſa non erant, doloris tamen capitis, per viginti annos tolerati, cauſſae exiſtimantur.

10. *Mors*

10. *Mors repentina ex diſrupta ſplenica arteria*, obſeruatio Cl. IOSEPHI NENCI. Vir hypochondriacus vita ſedentaria cum animi contentione coniuncta infirmitates corporis vniuerſi ſibi contraxerat. Hic inter alia crebrius ſenſit dolorem tenſiuum ad lumbos, qui aliquoties venaeſectione ſat larga imminutus eſt. Etſi vero diaetae regimen recte ſeruabat, niſu tamen in corpore vertendo facto, ſubito mortuus eſt. In ſectione cadaueris pars aortae ad primam lumborum vertebram, et coeliaca non ſolum, ſed praecipue arteria ſplenica, aneuryſmate ad pugni magnitudinem diſtenta et tandem rupta, effuſa magna ſanguinis copia, mortis repentinae cauſſa exſtitit. p. 195.

11. *Deſcriptio grauioris capitis laeſionis, ad internas partes deductae.* Auctore Cl. ANGELO MUNCINI Prof. Chirurg. Vir quadraginta circiter annorum vehementi capitis percuſſione ita laeſus eſt, vt non tantum amplum integumentorum vulnus, ſed fractura caluae, a ſiniſtro latere ſuturae ſagittalis retrorſum tendens, fractis particulis depreſſis, obſeruaretur. Etſi vero debita cura per aliquot dies neglecta eſt, tamen, cum ab initio et ex naribus et ex vulnere magna copia ſanguinis effluxerit, chirurgus, qui poſt aliquot dies demum aegro opem tulit, oſſium partibus remotis, effluxum ichoroſae materiae temperauit, quo facto, et ſuppuratione bona ſuccedente, vulnus depuratum et cicatrice obductum eſt. p. 198.

Addit Cl. IACOBUS BORSELLI Med. Doct. p. 200. conſiderationem de inſenſibilitate menyngum, quae in hoc aegro et dilaceratae et in tollendis oſſibus maxime irritatae fuerunt; qui tamen profeſſus eſt, ſe nullum vnquam percepiſſe dolorem, etſi ſentiendi facultas primis poſt inflictum vulnus horis tantum ſuppreſſa, poſtea ſemper conſtans fuerat.

p. 203. 12. *Relatio de impacta pali parte ad infimum ventrem.* Auctore Cl. ANTONIO PHILIPPO LANDI. Palus, oliuae ſuſtinendae alligatus, viro triginta nouem annorum, ex hac arbore cadenti, ita impactus eſt, vt a genitalibus inter integumenta et muſculos infimi ventris ad vmbilicum vſque penetraret, ibique fractus, poſtea difficulter extrahi poſſet; hoc autem facto, et inflammatione, nimia ſanguinis miſſione, conſopita, blanda ſuppuratio ſucceſſit, et cauum, faſcia circulari abdomini applicata, compreſſum coaluit.

p. 207. 13. *Relatio de fractura tibiae et fibulae cum dislocatione malleolorum.* Auctore EODEM. Vir quadraginta ſex annorum melancholicus ex aedibus praecipitem ſe dederat, et praeter alias leuiores laeſiones, ſiniſtri cruris oſſa ſub genu tam vehementer fregerat, vt malleoli ſimul dimoti eſſent; inflammatione per ſanguinis miſſionem et purgantia antiphlogiſtica ſopita, oſſa diffracta et diducta ita tamen in verum ſitum reduci poterant, vt aeger plane reſtitui poſſet.

p. 210. 14. *Deſcriptio delirii, et detecti poſt mortem tumoris, in cerebro haerentis.* Auctore VINCENTIO GALLI Chirurg. Prof. Senenſi. Vir quadraginta annorum habitu corporis ſano praeditus, ſed vino nimium deditus, a cephalalgia vehementi, venaeſectione inſtituta, liberatus, breui poſt in eundem incidit morbum, ita vt, febre etiam accedente, vertiginoſus, loquendi et deglutiendi facultate deſtitueretur. Omnia auxilia tum fruſtra tentata ſunt, acceſſit potius delirium vehemens, et die nono morbi mortuus eſt. Calua remota, menyngum inflammatio et copia ſeri in ventriculis haerentis obſeruabatur, in dextro praeterea ventriculo tumor a thalamo

mo nerui optici vſque ad corpora ſtriata extenſus, oui gallinacei maioris magnitudine inueniebatur, cuius ſuperficies inaequalis, interna ſubſtantia vero denſa et cinerei coloris erat.

15. *Relatio chirurgica de hernia inteſtinali completa incarcerata, operatione recte curata.* Auctore EODEM. Vir viginti ſeptem annorum hernia ſcrotali eaque incarcerata laborans, aluo ſimul pertinaciter obſtructa, non niſi operatione chirurgica ſanari poterat, quam Cl. Auctor adminiſtrauit. Non ſolum vero ſeri copia, tumore inciſo, effluxit, ſed aliqua etiam pars inteſtini ilei liuida inuenta eſt. Inteſtinum tamen reponere auſus eſt Noſter, annulo non nihil dilatato, ſutura pellionum vulnus conſtrinxit et debito apparatu et faſcia muniuit. Alui quidem euacuatio non protinus ſucceſſit, febrisque potius aucta eſt, poſt largam tamen ſanguinis miſſionem et epithemata diſcutientia, abdomini applicata, non tantum aluus ſoluta, ſed etiam vera ſanatio die decimo quinto ſubſequuta eſt. p. 213.

16. IANI PLANCI Ariminenſis *de duplici tethyi genere et de manu marina ad* PIUM IANNELLIUM Senenſem, Academicum Phyſico criticum. Prima Auctoris Cl. obſeruatio verſatur circa *Alcyonium aurantium* PALL. *zoophyt.* p. 357. ſiue *Alcyonium* (*lyncurium*) *globoſum*, *fibroſum*, *flauum*, *verrucoſum* LINN. *Syſt. Nat.* Ed. XII. Deſcribit vero illud Cl. Auctor ſub nomine tethyi plerumque ſphaerici, malum aurantium Luſitanicum forma et colore referentis, quod horizontaliter diſſectum, fibras radiatas oſſeas oſtendit. Non vti DONATUS *) per- p. 217.

*) Vid. EIUSD. *ſaggio della ſtoria naturale marina dell' Adriatico* Venet. 1750. tab. 10. p. 60. Ex eo etiam hanc ſententiam adſumſit Ill. LINNAEUS in *Syſt.* l. c.

perhibet, in iuuentute tantum fixum eſt, et poſtea li-
bere per mare vagatur, ſed ſemper baſi ſua ſcopulis ad-
haeret; quae enim eiusmodi corpora ſoluta reperiun-
tur, ſemper in baſi lacerata deprehenduntur. Ob fibras
radiatas oſſeas hoc alcyonium ſimilitudinem quan-
dam cum belemnitis habet, licet haec petrefacto-
rum ſpecies magis oblonga ſit, vt itaque ex hac ob-
ſeruatione origo belemnitarum forte quodammodo
p. 219. illuſtrari poſſit. Secunda obſeruatione *Tethys coria-
cea* BOHADSCHII *) deſcribitur, ſeu *Aſcidia* (*pa-
pilloſa*) *ſcabra tuberculis coccineis* LINN. Haec penem
virilem cum ſcroto refert, et vt reliquae aſcidiae bi-
nas aperturas, quarum altera humilior eſt, habet.
Internae huius animalis partes, inprimis ventriculus,
aquam marinam continens, tunica muſculoſa inſtru-
p. 222. ctus, deſcribuntur et delineantur. Vltima tandem
obſeruatione deſcriptio *palmae* ſeu *manus marinae*
exhibetur, cuius etiam figura ſatis rudis adiecta eſt.
Eſt hoc *Alcyonium palmatum* PALLAS l. c. ſiue *Al-
cyonia exos* LINN. In eo tubulos perpendiculares
rectos aquam marinam continentes Cl. PLANCUS
reperit. Animalem naturam huius zoophyti plane
negat, et vti MARSILIUS, flores deſcribit ſex ſta-
minibus rubris conſtantes. Cl. GINANNI T. I.
Opuſc. poſth. **) p. 45. primum huius zoophyti
figuram exhibuiſſe Noſter autumat, qualem tamen
iam apud MARSILIUM et BARRELIER reperiri,
ex Cl. PALLAS libro citato patet.

p. 225. 17. *Obſeruationes de pluuia in vrbe Sena ab anno
1755 ad annum 1763 delapſa* tradit Cl. IOSEPHUS
ASCLEPI

*) Vid. opus EIUSDEM *de quibusdam animalibus ma-
rinis eorumque proprietatibus.* Dresd. 1761. Cap.
VII. tab. 10. f. 1. p. 129. Comment. noſtr. Vol. XI.
p. 517.

**) Vid. Comment. noſtr. Vol. V. p. 113.

ASCLEPI in tabulis ſecundum ordinem annorum et menſium adornatis.

18. *Problema geometricum ſolutum* a D. CANDIDO PISTOI. p. 235.

XX.

Inſtituts de chymie ou principes élémentaires de cette ſcience, préſentés ſous un nouveau jour. Par Mr. DE MACHY, M. Apothicaire, Demonſtrateur de chymie et Membre de l'Académie Royale des Sciences de Berlin. A Paris aux depens de Lottin le Jeune. 1766. Alph. 2. Pl. 14.

h. e.

Inſtitutiones chemiae, ſeu principia huius artis. Auctore Cl. DE MACHY. etc.

Ex tribus partibus librum hunc compoſitum deprehendimus: in prima parte chemia phyſica, in ſecunda chemia analytica, inque tertia chemia, artibus applicata, traditur. In chemia phyſica chemiam in genere eiusque obiectum et ſcriptores, opiniones veterum et recentiorum de origine et formatione corporum naturalium, porro formationem corporum, eorumque exiſtentiam et producta, motum eiusque effectus, fluiditatem, grauitatem et penetrabilitatem, nec non affinitatem conſiderat Cl. Auctor. In chemia analytica primo de operationibus et inſtrumentis agit, deinde de vegetabilibus eorumque analyſi, melle, cera et fuligine, nec non productis aquoſis, ſalinis, inflammabilibus et terreſtribus, porro de fermentatione et productis fermentationis, tum de animalibus, ſanguine,

vrina et putrefaction, nec non productis regni animalis exponit, tandem analyſin mineralium exhibet, atque originem et formationem mineralium, terras et lapides, pyrites et bitumina, acida in genere, vitriola, alumen et ſulphur, ſal marinum et nitrum eorundemque acida, ſemimetalla ac metalla, tandemque aquas minerales conſiderat. In vltima parte, chemia nimirum artibus applicata, varias methodos recenſet Noſter, quibus variae operationes chemicae, vt fermentatio et deſtillatio, cryſtalliſatio et praecipitatio, amalgamatio et calcinatio, fuſio atque vitrificatio inſeruiunt, quibus demum ſumma totius operis ſubnexa eſt.

Theoriam nouam hic proponere ſibi perſuadet Cl. Auctor, in qua tamen deprehendimus, vtiles in ea res verbis nimis prolixis et rationibus nimis hypotheticis explicatas eſſe, licet quoque alia, certe non pauca, ſint, quae breuiſſimis indicata, ampliorem longe expoſitionem deſiderare videantur. Audiamus igitur, quae ſint fundamenta, quibus noua haec theoria nititur.

P. I. p. 22. Nullum corpus, vt oſtendere annifus eſt Cl. Auctor, exiſtit absque *praeexiſtentia* aliorum corporum, nullumque ſe euoluit, niſi id, quod euolutioni inſeruit, *indifferens et fluidum* ſit. Fluidum hoc, dum fit corporum illorum pars conſtituens, mutationem patitur, quae ſimilis eſt fermentationi, qua facta, quatuor ſpecies partium conſtituentium producuntur. Itaque tria genera principiorum aſſumit Cl. Auctor, primo *materiam indifferentem et fluidam*, deinde *corpora iam formata*, quae eam ſibi aſſimilant, tandem *partes horum corporum productas*, fluidas nimirum, ſapidas, viſcoſas ſolidasue: ex quibus numerum inſimul productorum, per analyſin obtinendorum, patere, omniaque producta aquoſa, ſalina, lucida et ſolida eſſe, aſſerit. Materiam hanc indifferentem et

et fluidam in ſola aqua ſe reperiſſe, eamque ab atomis iam determinatis ſeu praeexiſtentibus per motum fermentatitium aſſimilari ſicque corpora produci, Noſter autumat. Materia haec indifferens et fluida, ſecundum Noſtri ſententiam, corpora alluit, ſeque per tubos, capillaribus ſimiles inſinuat, et euolutioni, incremento, conſeruationi et facultati producendorum corporum primorum, quae cauſam immediatam exiſtentiae corporum naturalium ſiſtunt, occaſionem praebet. Motus, quo id fit, *progreſſiuus* vocatur. Alius motus dicitur *centripetus*, qui cognoſcitur, ſi materia illa indifferens cum ſubſtantiis iam exiſtentibus ſe coniungit, duasque moleculas diſtantes adunat. Alius demum motus nuncupatur *centrifugus*, ſi moleculae vnitae ſeparantur, dum materia illa indifferens ſe ſubducit et aufugit. Sed haec ſufficiant; notiones fluiditatis, grauitatis, penetrabilitatis et affinitatis, a Noſtro explicatas, lubenter praetereamus; alia pauca tamen, hinc inde depromta, communicemus.

Oleum eſſentiale, quod nonnullae aquae deſtil- p. 211. latae continent, vel ſuſpenſum vel ſolutum iis inhaerere, lacteumque colorem, ab oleo ſuſpenſo pendentem, ſi oleum ſenſim ſeparetur, ceſſare, ſolutum vero oleum vel mediante acido, aquae inhaerente, vel eo ipſo, quod ad mixtionem olei pertineat, ineſſe, Noſter putat.

Spicula ſalina, in alcalibus fixis poſt deliqueſcen- p. 226. tiam deprehendenda, non ab acido aereo, ſed ab acido illo, quod partem alcali conſtituat, et ab inuolucro liberatum, in alcali ſuperſtes nunc agat, formari, aſſerit.

Extracta, quae aquae ope ex vegetabilibus obti- p. 234. nentur, partes quidem mucilagineas, reſinoſas, ſalinas, aliasque non mutatas continere, pro partibus tamen conſtitutiuis neutiquam habenda, producta deſtructorum vegetabilium eſſe, autumat.

p. 282. Spiritus vini, ſaepe rectificatus, a Noſtro pro optimo non habetur; laudatur vero et optimae indolis eſſe dicitur, qui calore leni primus prodit, odorem gratum habet, agitatus, nullam ſpumam excitat, aerique expoſitus, ſubito euaneſcit.

p. 296. Terram foliatam tartari, quae ſubſtantiis reſinoſis aliisque admixta efficit, vt copioſius in ſpiritu vini ſoluantur, has ipſas eo diſponere, vt poſtea ex ſpititu vini per affuſam aquam neutiquam praecipitentur, Noſter perhibet.

P. II.
p. 359. Terra quaeuis, in globo noſtro reperiunda, ortum, vt Noſter putat, deſtructioni vegetabilium et animalium debet, omnisque earum differentia provenire Ei videtur 1) a natura indiuidui, ex quo producuntur; 2) a modo, ſecundum quem formatae ſunt; 3) a loco, in quo deſtructio facta eſt; 4) a modo, ſecundum quem terrae, iam exiſtentes, vniuntur; 5) ab influxu aquarum et ſubſtantiarum ſalinarum in has terras. Prima terra, ſenſibus vbique obuia, ea Noſtro eſt, quae partibus vegetabilium deſtructorum, per lentam putrefactionem inuerſis, plena eſt, et humus dicitur. Praeter hanc ad tres tantum ſpecies attendit, nimirum 1) ad argillam; 2) ad terram vitreſcibilem; 3) ad terram calcare-
p. 361. am. Terra argillacea ex humo per aquam ſaepe
p. 366. abluta et ab acido magis liberata; terra vitreſcibilis
p. 368. per combuſtionem vel putrefactionem vegetabilium
ib. produci, terraque calcarea ab animalibus ortum ducere Noſtro videtur.

p. 376. Lapides diſſolutioni dictarum terrarum, per acidum vitrioli aut ſalis communis factae, ortum debere, Cl. Auctor aſſerit, eorumque ſex ſpecies enumerat 1) lapides argillaceos, ſi argilla ab acido vitriolico ſoluatur; ſic ſchiſtum formari; 2) ſin vero ab acido ſalis ſoluatur argilla, lapidem ſuillum oriri, putat; 3) lapides gypſeos, talcum et micam pro-

duci

duci dicit, ſi terra calcarea ab acido vitriolico ſoluatur; 4) ſpathi vero ſpecies, ſi eadem terra ab acido marino ſoluatur; 5) lapidem Bononienſem et ſpathum fuſibile formari autumat, ſi terra vitreſcibilis ab acido ſalis communis ſoluatur; 6) quarzum vero, cryſtallum montanam etc: ſi eadem terra ab acido vitriolico ſoluatur.

Pyrites in argilla formari, acidumque iis inhaerens vel vitriolicum vel ſalis communis acidum eſſe, iisdemque ſulphur nullum inhaerere, ſed, ſi pyrites in vaſis clauſis ignis ope diſquirantur, ob deſtructionem partium vegetabilium et animalium, pyritis inhaerentium, et ob producendum inde carbonem, cum quo vitriolicum acidum coniungatur, ſulphur demum produci, aſſerit. Pyrites ſulphureas vocat, quibus acidum vitrioli ineſt, arſenicales autem, qui acidum ſalis habent. p. 383.

Bitumina ex ſuccis vegetabilium reſinoſis et acido vitriolico vel acido ſalis, oriri, oſtendere annititur. p. 389.

Ex bituminibus interdum alcali volatile obtineri, ſed non niſi eo in caſu, ſi bitumina terra calcarea abundent, autumat; ſal vero acidum, ex iis obtinendum, plerumque indolis ſalis marini eſſe, raroque acidum ſulphureum obtineri, perhibet. p. 393.

ERNEST. GOTTLOB BOSE diſſ. inaug. de morbo miliari. Auctore et Reſp. *Gottfr. Frölich.* ib. 4.

Obſervations ſur l' anaſarque, les hydropiſies de poitrine, du pericarde pr M.M BOUILLET, pere et fils, à Paris. 8.

GEORGE FRIEDR. BRANDERS *kurze Beſchreibung einer ganz neuen Art einer Camerae obſcurae, ingleichen eines Sonnenmicroſcops. Augsb. 8. c. f.*

GUSTAV. DETLEV BRETTING diſſ. inaug. de ratione medicamentorum ad corporis humani conditionem accommodata. Lipſ. 4.

Thoughts ariſing from experience, concerning the preſent peculiar method of treating perſons, inoculated for the ſmall-pox. Relating to the preparation of the patients; the manner of the operation; the genuine nature of the diſeaſe and of ſome other eruptive caſes; the uſe of cold air; the effects of retarding or leſſening the eruption and purging after it is over. By W. BROMFIELD, Surgeon. Lond. 8.

Planches enluminées de l'hiſtoire naturelle de Mr. DE BUFFON; cahier des fleurs, à Paris. fol.

Academiae Caeſareae Leopoldino Carolinae naturae curioſorum bibliotheca phyſica, medica, miſcella, partim ſociorum munificentia, partim ipſius ſumtibus comparata. Quam nunc ab anno 1756 vſque ad annum 1766 continuatam ſiſtit ANDR. ELIAS BÜCHNER, Hal. Magd. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de antimonio variisque eius tincturis cum alcalinis menſtruis factis. Reſp. et Auctore *Diethelm Lavatterus.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. ſiſtens conſiderationem patholo-

gico-

gico practicam ſingultus. Reſp. et auctore *Io. Georg. Störzel.* ib. 4.

ANDR. ELIAS BÜCHNERI diſſ. inaug. de tartaro vitriolato et praecipitatione alcali fixi ab acido vitriolico. Reſp. et Auctore *Io. Iacob Vogel.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de duplici ſpecie exanthematicarum febrium in praxi bene obſeruanda. Reſp. et Auctore *Frid. Carol. Kloſe.* ib. 4.

DANIEL. CHRIST. BURDACH diſſ. de vi aëris in ſono. Reſp. *Io. Beniamin. Reiſig.* Lipſ. 4.

A new practical eſſay on cancers: to which is alſo added a new, more ſafe and efficacious method of adminiſtring Hemlock. By J. BURROWS, M.D. Lond. 8 mai.

Rifleſſioni fiſiologiche di LEOPOLDO MARC. ANTON. CALDANI, ſopra due diſſertazioni del S. LE CAT, Venetia. 8 mai.

Projet d'annéantir la petite vérole par M. ANTON. LE CAMUS, à Paris. 4.

Idem liber. ib. 12.

PETR. CAMPER epiſtola ad anatomicorum principem magnum ALBINUM, Groning. 4. c. tab. aen. (*de optima ratione conficiendarum tabularum anatomicarum.*)

FRANZ LUDEWIG CANCRINUS *Beſchreibung der vorzüglichſten Bergwerke in Heſſen, im Waldeckiſchen, am Harze, im Mannsfeldiſchen, in Chur-Sachſen und im Saalfeldiſchen, Frf. am Mayn.* 4. *c. f.*

ABRAHAM. CAPPADOCE diſſ. de menſium tardatione, L. B. 4.

MAURIT. ANTON. CAPPELLERII hiſtoria Pilati montis, in pago Lucernenſi ſiti, Baſil. 4. c. tab. aen.

IO. FRID. CARTHEUSER fundamenta materiae medicae tam generalis, quam ſpecialis. Tom. I. II. editio noua praecedente emendatior ac longe auctior, Francof. ad Viadrum. 8.

De

De vita ANTON. MUSAE BRASAVOLI commentarius hiſtorico medico criticus ex ipſius operibus erutus ab ALOYSIO FRANC. CASTELLANI, Mantuae. 8.

Oeuvres phyſiologiques ou traité des ſenſations et des paſſions en général et des ſens en particulier, ouvrage diviſé en deux parties. Par Mr. LE CAT, Tom. I. II. à Paris, 8 mai. c. tab. aen.

An eſſay towards an inveſtigation of the preſent ſucceſsful, and moſt general method of inoculation, by B. CHANDLER. Lond. 8 mai.

Recueil des pieces, qui ont ſervi à adjuger le prix, qui avoit été proposé par la Societé royale d'agriculture de Paris pour l'année 1766 et qui a été remporté par le Sieur CHARLEMAGNE. à Paris. 12.

Reflexions intereſſantes ſur la maladie nommée folie, ou extrait du Journal économique par Mr. CHEVALIER. ib. 12.

IO. NEPOM. CHMELSKY diſſ. inaug. de ſcorbuto exercitum Caeſareo Regium in Sileſia grauiter 1760 et 1761. afficiente. Prag. 4.

Dictionaire oeconomique, contenant l'art de faire valoir les terres et de mettre à profit les endroits les plus ſteriles; l'établiſſement, l'entretien et le produit des prés, tant naturels, qu'artificiels; le jardinage, la culture des vignes, des arbres foreſtiers et fruitiers et des arbuſtes; le ſoin, qu'exigent les bêtes à cornes et celles à laine, les chevaux, les chiens cet. la façon d'élever et gouverner les abeilles, les vers à ſoie, les oiſeaux de baſſe cour, de proie et de voliere; on y trouve un detail des profits et agrémens, que procurent les biens de campagne, objet, qui comprend la chaſſe, la pêche, la fabrication de filets, pieges cet. l'appret des alimens, la compoſition des liqueurs, confitures

tures et autres choſes d'office; une exacte deſcription des végétaux le plus propres à nous ſervir d'alimens, à favoriſer l'exploitation des biens de campagne, à decorer les jardins, des inſtructions pour prévenir les maladies et pour les guérir; la connoiſſance des plantes utiles à la teinture et à d'autres arts, le detail de leurs diverſes proprietés, leur culture et ſes moyens de les employer, avec une idée ſommaire de ce, qui concerne les droits Seigneuriaux et ceux des communautés et des eccleſiaſtiques, par rapport aux biens de campagne cet. Ouvrage compoſé originairement par Mr. NOEL CHOMEL. Nouvelle edition corrigée, augmentée et accompagnée de beaucoup de figures, à Paris. fol. Vol. 3.

Hiſtoire naturelle de l'homme conſideré dans l'état de maladie, ou la médécine rappellée a ſa premiere ſimplicité par Mr. CLERC, ib. Vol. I. II. 8.

THOM. COGAN de animi pathematum vi et modo agendi in iudicandis vel curandis morbis. L. B. 4.

GUILIELM. COOPER diſſ. inaug. de abortionibus, ib. 4.

ABRAHAM HERCULES COPPER diſſ. de chloroſi, ib. 4.

CASIMIRUS DA COSTA CAETANO diſſ. de ſtudio medico, ib. 4.

Traité des maladies du Poumon par Mr. COSTE, Doct. en médécine, à Paris. 12. Vol. I.

DADID CRANZ *Hiſtorie von Grönland, enthaltend die Beſchreibung des Landes und der Einwohner, Leipz. 8. m. K.*

IO. HENR. NEPOM. CRANTZ claſſis vmbelliferarum emendata, cum generali ſeminum tabula et figuris aeneis in neceſſarium inſtitutionum rei herbariae ſupplementum. ib. 8 mai.

IO. HENR.

IO. HENR. NEPOM. CRANTZ ſtirpium Auſtriacarum faſciculus III. Lipſ. ib. 8 mai. c. tab. aen.

Eiuſd. primarum linearum inſtitutionum botanicarum editio altera, continens characteriſticas omnium claſſium icones, additamenta nouorum generum et ſpecierum, in neceſſarium inſtitutionum rei herbariae ſupplementum. Auctore FRANC. XAVER. HARTMANNO, ib. 8 mai. c. tab. aen.

Catalogue ſyſtematique et raiſonnée des curioſités de la nature et de l'art, qui compoſent le cabinet de Mr. DAVILA avec figures en taille douce, de pluſieurs morceaux, qui n' avoient point encore été gravés, Tom. I. II. III. à Paris. 8.

HENR. FRID. DELIUS diſſ. inaug. ſiſtens nonnulla de ſecretionibus vna cum theſibus aliis chemico medicis. Reſp. *Io. Reuß*, Erlang. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de nonnullis circa aquas in tractu Baunacenſi. Reſp. *Tob. Alt*, ib. 4.

Eiusd. vorläufige Nachricht von dem ſale aperitiuo Fridericiano *oder eröffnenden Friedrichs-Salze. Hildburghauſen. 8.*

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för År 1767. Vol. XXVIII pag. 387
II. British zoology Vol. I. II. III 408
III. STRACK obſeruationes de morbo cum petechiis et qua ratione eidem medendum ſit 415
IV. HALLERI opera anatomica minora. Tom. III 426
V. VANDELLI diſſ. de arbore draconis ſ. dracaena 444
VI. CRANTZ de duabus draconis arboribus 446
VII. BERENS diſſ. de dracone arbore CLUSII 448
VIII. RETZIUS kort begrep af grunderne til Pharmacien at nyrtja vid enskylta Föreläſningar 450
IX. Eſſai ſur les maladies, qui attaquent le plus communement les gens de mer. Par G. M. 452
X. Hiſtoire de l'elephantiaſis. Par Mr. RAYMOND 455
XI. Diſſ. ſur une méthode nouvelle de traiter les maladies vénériennes par des lavemens. Par Mr. ROYER 460
XII. Expoſition anatomique de la ſtructure du corps humain. Nouvell. edit. Par Mr. WINSLOW. Tom. I—IV 463

XIII.

XIII. Hiſtoire et mémoires de l'Academie royale des ſciences de Paris année 1763. pag. 465
XIV. Traité des eaux minerales. Par Mr. MONNET 481
XV. La taille au niveau. Par Mr. POUTEAU 490
XVI. DE HAEN ratio medendi. Pars XI et XII. 496
XVII. GUNNERI flora Noruegica 513
XVIII. SCHLEISS *Abhandlung von Podagra* 521
XIX. Gli Atti dell'Accademia di Siena detta de Fiſio critici. Tom. II 525
XX. Inſtituts de chymie. Par Mr. DE MACHY 535
XXI. EIUSDEM procedés chymiques 540
XXII. Noua phyſico medica 543
XXIII. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1766. prodierunt 548
XXIV. Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1767 prodierunt 554

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XVI. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXI.
APVD IO. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Verhandelingen uitgegeeuen door de Hollandſche Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. Zeuende Deel eerſte Stuk 1763. tweede Stuk 1763. Te Haarlem by I. Boſch. 8. 2 Alph. 7 pl. cum 9 tab. aen.

i. e.

Commentarii ſocietatis ſcientiarum Harlemenſis. Tom. VII. P. I. et II.

In parte prima huius voluminis ſequentes continentur commentarii:

1.) *Diſquiſitiones in aequilibrium vectis, per varias transuerſim operantes vires acti*, Auctore Cl. I. T. HENNERT, ex latino translatae a Cl. BLASSIERE. p. 1.

2.) *Problemata ſuper niſu corporum, eorum praecipue, quae grauitatem habent imperfectam* Auctore EODEM, ex lingua Gallica translata a Cl. BLASSIERE. p. 20.

3.) *Continuatio diſſertationis ſuper cauſſis variarum in recens natis infantibus herniarum* Auctore Cl. PETRO CAMPER. Cum Cl. Auctor tractatum p. 58.

de cauſſis variarum in recens natis infantibus herniarum a. 1760 ſocietati traderet*), paulo vero poſt ex noſtris commentariis de rebus in ſcientia naturali ac medicina geſtis**) perſpiceret, Cl. PERCIVAL POTTIUM a. 1757 in relatione de ſingulari herniae ſpecie (*an account of a particular kind of rupture*) iam de eadem materia egiſſe, varias rationes refert, quibus, cum vterque tractatus adeo inter ſe conueniat, declarare auſit, ſe ex POTTII fontibus non hauſiſſe***). Inter quas ea attendi meretur; vbi priore tractatione dixit, ſe quidem a. 1756 meatum, ibi deſcriptum, negaſſe, hyeme vero eiusdem anni detexiſſe, adeoque ante POTTII communicationem. Meatum vero, per quem teſtes ad ſcrotum deſcendunt, iam prius cognitum fuiſſe, ex libro LUD. RENEAULME, qui a. 1727 ex Latina in Belgicam linguam translatus per I. VAN DER HULST prodiit****), probat, ibi vero praeternaturalem iudicari addit. BLANCARDUM*****) SWAMMERDAMUM******) et HALLERUM ipſum*******) idem

*) Vid. *Verhandelingen* Vol. VI. p. 235 ſequ. et Comm. noſt. Vol. XII. p. 269. ſeq.

**) Vid. Vol. IX. p. 55.

***) De hoc inuento in vniuerſum et lite hac de re inter POTTIUM et HUNTEROS orta confer Cel. IO. HUNTER *Medic. Comment.* I. p. 70 et 75 ſequ. vide Comment. noſtr. Vol. XI. p. 288.

****) Titulum huius libri non addit Cel. CAMPERUS. Eſt vero: *diſcours pour l'ouverture de l'ecole de Chir. avec une theſe, ſur ce titre: Eſſay d'un traité des hernies par* MICH. LUD. RENEAULME DE LA GARANNE. Paris 1726. 12. mai.

*****) In *inſtitutionibus chirurgicis* P. II. vide EIUSD. *Oper.* p. 385.

******) *Miracul. natur.* p. 7.

*******) In *Praelect. Boerhav.* T. V. P. I. p. 190. not. o. Confer quoque EIUSDEM progr. *de herniis congenitis* (vid. *oper. min.* T. III. p. 311. ſeq.) et *elem. phyſ.* T. VII. lib. XXVII. p. 413. ſequ.

idem ſenſiſſe. Ex POTTIO quaedam, quae cum ſuis conueniunt, transfert, et (Hunteriana enim inuenta non, dum haec ſcribebat, ad eum peruenerant), ſubſumit, illum aeque ac ſe inuentorem huius meatus iure dici debere. Iconem fetus ſex menſium adiecit; vbi quatuor diſtinctis figuris meatum hunc varia facie oſtendit, et, additis quibusdam exemplis, quae 1763 diſquiſiuit, concludit: hos meatus non hernias ſequi, ſed in infantibus recens natis ſemper adeſſe, et demum poſt duos vel plures annos ex aliis cauſſis concreſcere. In puellis ſimilis fere vagina et meatus adſunt, circa ligamentorum rotundorum exitum, a NUCKIO *diuerticulorum* nomine deſcripti. p. 66.

4.) *Tractatio de auditu piſcium ſquamoſorum* auctore EODEM. Cum inter Auctores multum de auditu piſcium ſquamoſorum fuerit diſputatum, eorumque plurimi eum negauerint, aliis ad organi auditus vel neruorum auditoriorum defectum, aliis ad linguam iis mutam prouocantibus; Cl. Auctor paulo ſtudioſius in eam rem inquirit, et ad quaeſtionem Cl. NOLLET: an piſcibus organa auditus data ſint? et an fluidum ad radios ſonoros excipiendos ſit aptum? ita reſpondet, vt primo de cerebro, neruis et organo auditus piſcium agat, et deinde ſuper modo audiendi eorum diſſerat. Vſus vero eſt potiſſimum ad hanc diſquiſitionem aſello, lucio piſce et raia, huicque deſcriptioni in vniuerſum duas tabulas aeneas adiecit, in quibus ſingulae partes deſcriptae eleganter delineantur. De rotundorum tantum piſcium organo hic loquitur, omnibus fere ſimili, cum planorum organa varient. Cranii ſuperiorem partem, ad ductum CASSERII, inſtrumento abſtulit. Caput vero medium longitudinaliter ſerra diuiſit, quo organa melius inſpiceret. Omiſſis, quae de ce- p. 79.

rebro horum piſcium marinorum in vniuerſum habet, quae cum deſcriptione cerebri piſcium nonnullo-
p. 94. rum, in aquis dulcibus viuentium, ab Ill. HALLERO exarata*), ſatis conueniunt, notamus: neruos piſcium neruis reliquorum animalium fere ſimiles eſſe. Primum par duplex eſt, craſſius ex lobi cerebri anteriore parte oritur, tenuius ex laterali: ſecundum par planum magis eſt, taeniaeque latae ſimile, quod ex fundo cerebri incipit, et ita procedit, vt dexter ner-
p. 95. vus ad dextrum, ſiniſter ad ſiniſtrum oculum pertineat, neque hi duo nerui ſe decuſſent, licet inter ſe vniantur. Tertium par ex corporibus pyramidalibus et quartum ex teſtibus ortum habet: quintum ex medulla oblongata et ſextum ex laterali parte corporum pyramidalium naſcitur. Inter tertium et ſextum ortum euidentem habet ſeptimum par, quod ſtudioſe Cel. CAMPERUS depinxit**): octauum tandem et nonum par ex medulla oblongata exeunt.
p. 99. Extra caput neruorum iter non proſecutus eſt. Piſcium ſquamoſorum plurimis duplex orificium narium eſt, alterum ſemper apertum, alterum valuula et canali ſubſequente mobili inſtructum, quo aquam in hoc orificio mouere, et odoratum per fluidum hoc communicatum, eo melius poſſint percipere. Sunt, qui his orificiis auditum tribuant, quod
p. 100. Cl. Auctor negat. Organon vero auditus expoſiturus, inprimis illud, quale in aſello piſce eſt, deſcribit, et varietates, in aliis piſcibus obſeruandas, addit. In hoc piſce, capite medio diuiſo, inuenit, organon auditus a cerebro ſeparari membrana flexili, pellucida, tremula, quae canalibus quoque ſemicircularibus annexa eſt. Conſtat vero illud primo ex cauo

*) Ill. HALLERI obſeruationes vide in *elem. phyſ.* T. IV. p. 595. et *oper. minor.* T. III. p. 191. vide Comment. noſtr. ſuperius p. 431.

**) Vid. Tab. II. fig. 1 et 2.

cauo amplo oſſeo, tribus canalibus inſtructo, qui in capſulis ſemicircularibus cartilagineis, inferius deſcribendis, ſedem habent. In ea quoque cauitate pons ſiue iugum oſſeum inuenitur, quod aperturam format, quae quidem ad ſecundam cauitatem ducit, membrana tamen obducta eſt. Secundo ex foſſa cartilaginea, nauiculae ſimili, membrana nigricante inueſtita, in qua oſſiculum auditus petroſum, nullibi annexum, continetur. Tria eiusmodi oſſicula in lucio piſce inueniuntur. In inuolucrum huius cauitatis neruus ſeptimi paris, ramis ſenſim minoribus, diſtribuitur. Tertio ex tribus canalibus ſemicircularibus cartilagineis, in quos rami paris quinti et ſeptimi intrant, qui etiam interius membranis tenuibus inueſtiuntur.

In altera ſectione Cl. CAMPERUS in modum p. 107.
audiendi inquirens, quaerit, an non tremor aquae, vel preſſione corporis, vel venti, vel per radios ſonoros, poſſit cum cranio communicari? et an non oſſiculum auditus liberum, vel nerui, tremore hoc poſſint affici, et exinde auditum producere? Prouocat ad experimenta cum cylindro metallico, chorda, vel campana, vt conſtet, motum tremulum aëris ſonum dare et cum corporibus elaſticis poſſe communicari, et, quo firmiora ſint corpora, eo fortiorem quoque ac clariorem eum fore putat, quod ex horologio portatili probat, cuius ictus eo clarius audiuntur, quo durior eius eſt baſis. Hunc tremorem aëris et fluidum tranſire, ibidemque auditum hominis efficere, vt ex Cl. NOLLET variis tentaminibus patet, aſſerit: an vero idem tremor aëris cum piſcibus ſquamoſis poſſit communicari, in eisque auditum producere, cum nec cranium eorum integumentis mollibus, nec organon auditus apertura et meatu externo ſint inſtructa, Auctor Cl. ipſe diſquiſiuit. Cum enim glaciem, pra- p. 106.
ta, aqua tecta, obducentem, ictu percuteret, plan- p. 114.

 tas

tas ſubiacentes valde motas vidit, ex quo colligit: corpora, in fluido libera, ictu moueri: hanc vim celeritati elaſticae, maſſa corporis auctae, reſpondere: vim eandem conuenire debere integumentis horum
p. 115. corporum. His ad piſces ſquamoſos applicatis, concludit: organa eorum tremore aquae affici, affectumque ſenſum auditus verum excitare.

p. 118. 5.) *Diſquiſitio herniae inguinalis duplicis* Auctore Cl. PAULO DE WIND. Haec hernia non inguinalis, ſed potius cruralis fuit. Obſeruauit vero eam Cl. Auctor in foeminae quadragenariae cadauere, quae in vtroque latere hoc morbo laborauerat. Hernia dextra pyri magnitudinem habuit, ſiniſtra nucis iuglandis. Oriebantur ſub ligamento FALLOPII iuxta vaſa cruralia, vbi haec vaſa inter et integumenta cutanea in pinguedine ſedem habebant, et hoc modo a bubonocele diuerſae erant. Dextra colore erat violaceo, deorſum latior, ſurſum in apicem abiens et ſub faſcia lata et ligamento FALLO-
p. 120. PII deliteſcebat. Inter varia, quae Cl. Auctor, abdomine aperto, inuenit, praeternaturalia ea merentur attendi: ventriculum ad tres digitos depreſſum, et arcum, quem colon transuerſum ſupra vmbilicum format, ſub vmbilico inuerſum fuiſſe: cum omento ſimul partem inteſtini ilei in ſaccum intraſſe, eamque ſphacelo corruptam fuiſſe: tandem ex compreſſione huius inteſtini nec flatus, nec faeces ad craſſa tranſire potuiſſe, ideoque tenuia valde tumida, et craſſa praeter modum tenuia viſa eſſe. Obſeruatio Auctoris hernias crurales in feminis frequentiores, in viris rariores eſſe, iam multorum aliorum ſcriptorum teſtimonio confirmata eſt.

p. 124. 6.) *Obſeruatio herniae vmbilicalis incarceratae,* Auctore EODEM. Femina 57 annorum, obeſa, hernia

hernia vmbilicali capitis magnitudine laborans, ante 20 annos paruam intumeſcentiam circa vmbilicum cum dolore ſenſerat, quae vero mox euaneſcens, mox rediens, ante aliquot ſeptimanas, non, vt antea conſueuerat, poſſet reprimi, vt adeo aegra, per quinque dies, ceſſantibus deiectionibus aluinis, vehementiſſimos perciperet dolores. Saccus ipſe valde p. 125.
inflammatus erat, clyſmatibus aliisque in et externis remediis fruſtra tentatis, tertia die ſphacelo corruptus, paulo poſt duo orificia ad palmam manus ampla, per quae et flatus et faeces, inſigni foetore exirent, oſtendebat. His orificiis turundas Cl. Auctor, cum vnguento digeſtiuo et Aegyptiaco applicauit, interpoſitis clyſmatibus, per quae ſphaceloſum ſeparabatur, et ſymptomata cedebant. Die 3. febr. infuſo p. 126.
ex rhabarbari ℈ij dato liquidae feces ex orificiis, et durae ano euacuebantur. Quotidie deinde balſamo LOCATELLI ſaccharo excepto propinato, paullo poſt, excretionibus inſuper aluinis rite ſuccedentibus, circa finem martii aegra ſanata eſt, orificio ſiniſtro hactenus pauliſper aperto, per quod flatus exeuntes magnum feminae adferunt ſolamen.

7.) *Obſeruatio ſuper hernia omentali ſecta* Auctore EODEM. Vir quidam, 35 annorum, iam inde ab p. 129.
anno decimo octauo hernia in inguine dextro laborabat, ad ſcrotum interdum tendente, quam vero reprimere potuit vſque ad annum 1760, vbi, inteſtino tantum cedente, omentum non poterat coërceri, ex quo, cum vomitu frequentiori, doloribus vehementiſſimis afficeretur. Medio vero maii a. 1761 p. 130.
inteſtinum rurſus prodiens, ſcrotum ita tumidum reddidit, vt, eo etiam retrogrediente, ad capitis magnitudinem veniret, nec aeger vlli officio praeeſſe poſſet. Operatione ab aegro conceſſa, eam Noſter cum chirurgo et alio ſocio ſuſcepit. Sacco, vt p. 131.

 decet,

decet, diſſecto, omentoque deorſum et a latere ſo-
luto, id, brachii infantis craſſitiem aequans, annu-
lo accretum inuenit. Hoc, acu curua cum duo-
bus filis, cera obductis, ligato, in ſaccum ſcrotum-
que iterum locauit, reſecta quadam ſacci parte.
Vulnus linteis carptis expleuit, faſciaque com-
primente, quae crucis figuram habebat, firmauit.
Poſtero die, maſſa hac, intra ligaturam, cum aliqua
haemorrhagia reſecta, aeger melius ſe habuit. Haec
omenti pars, in aqua a ſanguine liberata, puram
pinguedinem oſtendens, librae pondus habuit, quod
p. 134. Auctor Cl., icone adiecta, illuſtrat. Poſtea aeger in-
ſultu febrili noctis tempore, qui vero diei ceſſaret,
afficiebatur. Suppuratione facta, turundas vnguen-
to baſilico cum praecipitato rubro et alumine
p. 135. vſto quouis die applicuit. Die 16 iul. filis ſolutis,
vulnus paullo poſt occalluit, vt, aeger reſtitutus, fa-
ſcia per aliquod tempus relicta, officiis fungi poſſet
conſuetis.

p. 136. 8.) *Obſeruationes pleniores ſuper cauſa et effectu motus maris* die 1 nou. 1755. Auctore Cl. I. FR. DRYFHOUT.

p. 215. 9.) *Hiſtoria naturalis piſcis* Kin-yu *ſiue* cyprini aurati, Auctore Cl. IOB. BASSERO *).

p. 247. 10.) *Tractatio plenior de contagio bouino, comparata cum obſeruationibus, quae in* commentarios Societatis Tom. VI. Part. II. p. 955. *inſertae ſunt* **), Auctore Cl. I. ENGELMANN. Pertractat Cl. Auctor paulo curatius hoc contagium, ita, vt ex variis phaenomenis ad ſigna eius anamneſtica, diagnoſti-

ca,

*) Exſtat iam in EIUSD. *opuſcul.* T. II. Lib. II. p. 75. vid. Comment. Vol. XV. p. 77.

**) Vid. Comment. noſtr. Vol. XII. p. 285.

ca, et prognoſtica tranſeat, ex his ad cauſſam conclu-
dat, et ſimul in naturam eius et indolem inquirat, et
remedia tandem conuenientia commendet. Signa p. 250.
haec fuſius enarrat, et obſeruationibus, quas ipſe
inſtituit, copioſis illuſtrat. Ex ſignis his et ſympto- p. 260.
matibus in variis aegris variis, prognoſes for-
mat, ad actionum potiſſimum vigorem attendens:
bonam auguratur, ſi actiones iuſte reſpondeant, ſi
minus, malam. Criſes, per abſceſſus et tumores ſub- p. 263.
cutaneos, ex obſeruationibus ſuis non inuenit, mul-
to minus vt RAMAZZINI et LAYARD diem cri-
ticum certum conſtituere valet. Sanguinem, e ve-
na miſſum, nec in initio contagii, nec in ipſo eius
progreſſu vllam inflammationem indicare. Ex ſe- p. 266.
ctione cadauerum vehementiam morbi, eiusque cauſ-
ſam et indolem clarius pateſcere, ex quibus colligit,
cum febre aliqua putrida conuenire, aliorumque
contagiorum conditionibus, cum hoc comparatis,
ſtatuit: venenum hoc contagioſum ſubtiliſſimam p. 278.
eſſe materiam, quae, breui per totum corpus per-
currens, etiam firmiſſimam beſtiam peruertat: ſin-
gularem eius eſſe naturam, nec cum grauedine epi-
demica, nec cum variolis, vel cum peſte, aut
purpura conuenire; optime vero conferri poſſe p. 288.
cum morbillis, licet effectus non idem ſit, quod ve-
ro ex diuerſa hominum et beſtiarum fabrica declarat.
Ad cauſſas occaſionales et praediſponentes acce- p. 295.
dens, eas in paſtum, potum vel aërem ponit, ad
quas varias officinas, glutini coquendo vel exſiccan-
do dicatas, refert, nec non eas, vbi pigmentum cae-
ruleum, Berolinenſe dictum, paratur, vel coria tra-
ctantur, vel vbi denique candelae ſebantur, quibus
omnibus aër admodum inficiatur. Nunc ad reme- p. 310.
dia, quae fuſius pertractat, tranſit, nimirum, quae
potiſſimum efficaciam veneni contagioſi vel infrin-
gant, vel prorſus deſtruant. Praecipit itaque, 1. vt
cor-

corpora boum ita adaptentur, ne contagium facile excipiant 2. vt aër, agri, ſtabula vel aqua a contagio putrido purgentur 3. vt contagium, initio eius, ſi vel noſtra, vel proxima infecta ſint, domicilia, ſtatim ſupprimatur. 4. vt a bouibus, ſi ſigna inſtantis contagii iam adſint, vlterior contagii propagatio auertatur, vel vt venenum eiiciatur prius, quam ad viſcera nobiliora perueniat. 5. vt, beſtiis iam decumbentibus, quid ad conſeruandam earum vitam faciendum ſit, excogitetur. 6. vt, morbo ſuperato, eae ab exulcerationibus, vel aliis morbi ſequelis, tu-
p. 311. tae reddantur. Regimen aptum perſequitur, pabulis iuſto ordine parandis, et excretionibus, vel mo-
p. 316. tibus rite inſtituendis. Inſitionem veneni contagioſi, etſi a multis commendetur, diſſuadet. Venaeſectiones largas non probat, parcas vero vel in raninis, vel ad canthum oculi, vbi inflammatio clarius prodeat, inſtituendas eſſe, ſic et purgantia dra-
p. 332. ſtica non commendat. Cum vero, contagio praeſente, veraque eius indole incognita, ſpecifica non dentur, ea, quae in primas vias, quaeque in ſecun-
p. 339. das agant, ordine recenſet. Morbo iam graſſante, ſuadet, vt 1. debiles vires roborentur, 2. partes inflammatae, valdeque ſenſiles, vt ventriculus, inteſtina cet. liberentur 3. vt materia putrida reſoluenda per excretionem expediatur magis, quam impediatur 4. vt aër purgetur, et foetor, quantum fieri pot-
p. 342. eſt, expellatur. Nec minus ea explicat, quae, poſt conualeſcentiam, contagii regreſſum, vel alia incommoda,
p. 344. morbum ſequentia, auertant. Problemata tandem, ex ſupra dictis ſoluenda, adiecit, cum appoſitis emendationibus obſeruationum Tom. VI. Part. I. inſertis.

p. 350. 11.) *Obſeruatio eclipſis lunae* d. 8. maii 1762 Lugduni *inſtituta* a Cl. IO. LULOFS.

12.) *Ob-*

12.) *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 17 oct. 1762 Lugduni facta ab EODEM. p. 353.

13.) *Obſeruatio eclipſis lunae* d. 1 nou. 1762 ibidem ab EODEM inſtituta. p. 358.

14.) *Epiſtola ſuper iride lunae ad Secretarium huius Societatis* Auctore Cl. I. VAN LIER. p. 361.

15.) *Relatio vulneris inteſtinalis, per cauſſam internam letalis*, Auctore Cl. IAC. VAN EEMS. p. 366.
Quamquam haec vulnera iamdudum ab HIPPOCRATE et multis aliis, ob inteſtinorum fabricam ſingularem, neruorum copiam, motumque continuum cet. letalia iudicata ſunt; fuere tamen, qui ea curationem admittere aſſererent, quibus Cl. Auctor aſſentitur ſub his conditionibus, vt corpus ſit robuſtum et bene formatum, vt cauſſa ſit externa, vt denique chirurgus vulnus manu poſſit tractare. His abſentibus, curationem nullam fuiſſe ſequenti exemplo probat. Infans quadriennis iam inde a partu p. 368.
valde debilis, non, ob acrimoniam abundantem, iuſtum incrementum capiens, magnam ciborum copiam, cum aliquo dolore in genis rubris, auide ingerens, quem dolorem etiam in ſpina, manu tacta, ſentiebat, menſe ian. morbillos feliciter ſuperauit. Paullo vero poſt, d. 7 febr. Noſter iterum accerſitus, eum, ſanum praeterea, ſed cum abdomine indurato, vbi aeger tactum circa vmbilici partem ſiniſtram ferre non poterat, inuenit. Signis herniae p. 370.
nullis, pulſu paullo celeriore, reſpiratione et ſomno non praeternaturalibus, emplaſtro ex mucilaginibus totum abdomen obtexit, antiphlogiſticis ſimul, et lenibus purgantibus ſine effectu adhibitis. Poſt aliquot dies humor flauo virideſcens ex cute ad vmbilicum exſtillare coepit, quem bilem puram Cl. Au-

ctor

ctor agnouit. Hac via incognita, rhabarbarum in infuſo dedit, effectu bono quidem, ſed hac praeternaturali excretione craſſiore nunc facta et, cibo conſueto ex ſolanis reſpondente, non impedita. Duritie non ceſſante emollientia adhibuit, vt, ea emollita, bonam criſin, ex ſuſpicione exulcerationis internae, ſperare poſſet. Noſtro abſente, chirurgus adveniens, iniectionem in vmbilicum cum ſumma fiducia boni euentus commendauit. Hinc Cel. ALBINO cum alio chirurgo in conſilium vocatis, iniectio ex decocto hordei cum melle roſarum, cum ſpleniis hoc decocto imbutis et emplaſtro defenſiuo ſuperimponendis, probata eſt. Balſamo ARCAEI cum paululo mercurii praecipitati rubri, item extracto cicutae fruſtra adhibitis, ſplenia madida aqua vulneraria, vino diluta, ex auctoritate Cel. ALBINI, applicata ſunt vmbilico, ad aprilem vſque et maium, vbi aeger in dies marceſcebat, ſymptomata vero continuabant, excepto abdomine, quod mollius factum ſubſidebat. Inflammatio circa vmbilicum viſa, emplaſtro conueniente euanuit. Symptomatibus fine maii prioribus factis, vomituque vehementi accedente d. 18.
p. 377. ian. macie periit. Abdomine diſſecto, omentum nullum prodiit, partibus circa vmbilicum firmiſſime nexis. Inteſtina tenuia ſana videbantur; ſed in ieiuno dilatatio, ſacci ad inſtar, cum orificio admodum paruo, circa circum calloſo, cumque vmbilico communicante, deprehenſa eſt. Infra hanc dilatationem inteſtina tenuia paullo ampliora, craſſa vero collapſa erant. Cum ex his cauſſa morbi, eius ſymptomata, et mors poſſent declarari, reliqua non tetigere.

p. 380. 16.) *Obſeruationes de tranſitu veneris per diſcum ſolis*, in eius initio, medio et fine inſtitutae Bataviae d. 6. iun. 1761. a IO. MAUR. MOHR.

In

In altera parte huius voluminis continentur:

1.) Cl. DAVID diſſertatio *de imminuendo aut ſupprimendo feminarum lacte*, quae praemium a ſocietate ad annum 1760 et 1761 propoſitum reportavit. Cum haec diſſertatio lingua Gallica ſcripta ſit, verſio Belgica hic adiecta eſt. De ipſo hoc opuſculo iam alio loco ad Lectores retulimus *). P. II. p. 1.

2.) Cl. BALLEXSERD diſſertatio *de educatione phyſica infantum*, qua Cl. Auctor praemium, a ſocietate ad annum 1762 propoſitum, adſecutus eſt. Cum illam etiam alio loco indicauerimus, notamus tantum et huic diſſertationi verſionem Belgicam additam eſſe **). p. 77.

3.) Cl. CAMPER diſſertatio *de regimine infantum* Latina lingua conſcripta, cum verſione Belgica ***). De puerorum educatione ad ſeptimum vſque aetatis annum Cl. Auctor diſſerit. Primo capite, quod *de liberis procreandis* agit, oſtendit: ad ſanam robuſtamque prolem gignendam multum facere patris vitam moderatam et matris conſtitutionem ac victus rationem: vinum grauidis noxium eſſe, quia peſſimum generet acidum: ventriculi debilitatem fetus puſillos reddere: theam propter aquae calidae abundantiam nocere, praeſertim ſi pinguedinoſa ſimul magna copia ingerantur: lac vberius ad p. 356.

*) *Diſſertation ſur ce qu'il convient faire pour diminuer ou ſupprimer le lait des femmes*, à Paris. 1763. vid. Comment. Vol. XII. p. 343. ſequ.

**) *Diſſertation ſur l'education phyſique des enfans*, à Paris. 1762. vid. Comment. Vol. XI. p. 626. ſequ.

***) Quamquam Cel. Auctor vtpote ſocietati adſcriptus praemium propoſitum reportare non potuit, tamen haec diſſertatio ob praeſtantiam ſuam digna ſocietati viſa eſt, quae hic imprimeretur.

ad mammas affluere, quando vegetabilibus et lacte matres veſcantur, quam dum laute viuunt.

p. 363. Ex capite ſecundo, quod *de recenter natorum cura* inſcribitur, ſequentia notamus. Cum varii itineratores afferant, barbararum gentium pueros, ex neglecta funiculi vmbilicalis deligatione et cura, frequentius noſtris pueris herniis vmbilicalibus laborare, Cl. Auctor non ſolum rationibus docet, ligaturam funiculi nihil ad cicatricis firmitatem efficere, ſed et hoc probat exemplis multorum puerorum Aethiopum, in quibus vmbilicum optime formatum vidit. Hinc vmbilici vitia, in his pueris frequentia, potiſſimum durioribus adſcribit laboribus, quibus illi adſtricti ſunt. Balneum frigidum ſi immerſio fiat in cubiculo pro anni tempore calido, infantibus vtile iudicat. Inter vitia, quae in recens natorum corporibus obſeruantur, primum eſt hernia cerebri, quae ex defectu oſſificationis in quodam cranii loco oritur. Eiusmodi itaque loca debilia ſpleniis firmari debent, ne cerebrum cartilaginem, defectum oſſis replentem, propellat. Differit deinde de labiorum palati, genitalium et pedum vitiis. Quando palatum ſuperius deficit, quale caput Cl. Auctor conſeruat, infans protinus moritur. Loco vuulae aliquando rima in iſthmo faucium adeſt, quae tamen nec loquelam, nec deglutitionem impedit. Eos, quibus vrethra ab inferiore parte penis aperta eſt, proli gignendae aptos eſſe Cl. Auctor iudicat. Cranium poſſidet 5 pollices latum, 6 altum, 8 longum, cuius ſumma pars carinam refert. Naſus Aethiopum in vtero iam compreſſus eſt. Paruus vero in iis et depreſſus apparet, quoniam maxillae longiores ſunt, quam in reliquis hominibus. In infantum veſtitu inprimis attendendum eſt, vt abdomen obtegatur, et modice conſtringatur, cum inteſtina mollibus partibus condantur. Aegide etiam latera fulcienda

ſunt,

ſunt, ne coſtae teneriores nutricum manibus laedantur. Aegides ex pannis iis, qui ex balaenarum cirrhis fabrefactae ſunt, Cl. Auctor praefert. Cunarum mobilium vſum non reiicit, quoniam et corpori modicam agitationem et animo quietem conciliant. Omiſſis, quae de habenis ductoriis, de ceſticellis (*fallhüte*) cet. habet, ad thoraces tranſimus, quos CAMPERUS damnat, ac, ſi ſpina inclinare incipit, plane abiicit, et naturae libertatem concedit, vt infans reſtituatur. Omnia enim, quae remediorum titulo veniant, vitium peius reddere autumat. Kyphoſis vero externa remedia requirit. Machinas etiam, ab ANDRY aliisque eum in finem excogitatas, vt infantes venuſte ſedeant, incedant cet. inutiles eſſe oſtendit.

Tertio capite, *de victu infantum* Cl. Auctor diſſerit. Pulmentum, quo in ſuis infantibus vſus eſt, commendat ex pane biſcocto triticeo, in aqua in pultem ſpiſſam cocto. Huius ſufficiens quantitas igni imponatur, et calefactae ſaponis Veneti paullulum addatur, cuius amarities ſaccharo temperetur. Deinde affundatur lactis bubuli, frigidi, puri q. ſ. vt ſorberi poſſit. Puls vero, ſemel calefacta, ſi non aſſumitur, abiicienda eſt, cum recocta citius in acorem tranſeat. Si acidi, in primis viis praeſentis, ſigna adſint, ſaponis et ſacchari quoque copia augeatur. Infantibus ablactatis, lactis in coena potiſſimum vſus conuenit, cum farinaceis et ſimilibus cibis parati. Ad prandium farinacea et carnis aſſatae paruam quantitatem commendat. Plures deinde regulas diaeteticas exhibet. Circa ſcorbutum monet, eos, quorum dentes ab infantia carioſi ſunt, raro, ſi vnquam, in phthiſin pulmonalem incidere, et contra phthiſicos integris et albiſſimis gaudere dentibus. Pueris vinum, ſed parca doſi, vt antiſepticum, ſtimulans et roborans remedium concedit, et acetum quo-

P. 395.

P. 417.

quoque, inprimis ex vino paratum, cibis immiſcere iubet. Potus aquoſus diſpoſitionem ad calculum imminuit; poſt theae enim vſum longe pauciores calculoſi vbique inueniuntur. Caffeae infuſi vſus rhachitidem non magis, quam reliqui calidi potus, qui corpus relaxant, producit.

p. 424. Quarto capite *de infantum diſciplina* Cl. Auctor exponit. Saltatio non ante ſeptimum annum diſcenda eſt: ceterum Cl. Auctori nulla aptior videtur eſſe exercitatio. Equitationem vero et artem gladiatoriam non ante pubertatis annos permittit.

p. 435. Quinto capite *de vitiis infantibus propriis* diſputat. Exponit primum de ſtrabiſmo, qui vel propter parentum vitium, vel conuulſiones, vel infortunium, ſed frequentiſſime propter malam conſuetudinem accidit. Infantum oculi dum in lucem eduntur, non omnibus numeris abſoluti ſunt, cum in multis pupilla clauſa ſit membrana ſic dicta pupillari. Reperit tamen Cl. CAMPERUS in multis, in ipſo partu mortuis, pupillam ſatis amplam, in nonnullis vero vueam integram. Veroſimile itaque ei eſſe videtur, infantes ſimulac nati ſint, non diſtincte videre poſſe, ſed lumen tantum a tenebris diſcernere, artemque videndi vſu tantum, eodemque modo diſcere, quo a natiuitate coeci poſt cataractae curationem. Eo vero tempore potiſſimum infantes ſtrabones fiunt, quo ambobus oculis obiecta examinare incipiunt. Si hoc vitium haereditarium eſt, vel ex conuulſionibus ortum, nullam curationem admittit; ſi ex malo habitu, difficulter corrigitur. Nonnulli bono cum effectu obiectum, quod a latere oculos attrahit, tollunt, atque aliud ſubſtituunt coloribus variegatum, quod e directo inſpicere cogantur. Nucum nutamina perforata alii oculis praefigunt. Vidit tamen Cl. Auctor ex eiusmodi machinae vſu, infantes viſum ita torquere, vt vnico tantum

tum vtantur oculo. Naturae itaque ſtrabiſmus committendus eſt, donec adoleuerint. Idem fere de p. 445. balbutie ſentit, quae raro vel nunquam ex linguae vitio oritur, cum nec nimia linguae longitudo, nec eius defectus loquelae integritatem tollant. Iam ad ſpinae inclinationem ſiue ſcolioſin tranſit. Oritur ex Cel. Auctoris mente hoc vitium, ſi, vel ex malo habitu, vel propter aegidum nimiam conſtrictionem, ſpina in eandem partem diutius inclinatur, quam par eſt. Contunduntur enim cartilagines elaſticae inter vertebras ſitae, vertebrae ſuperioris corpus adhuc cartilagineum comprimitur, et deſtructa lamella intermedia, inferiori innititur; ex qua re nutritio impeditur, et vertebra triangularem formam acquirit, totaque ſpina incuruatur, vt ex hac incuruatione gibber in oppoſito latere naſcatur. Errant itaque ii, qui gibberoſam partem comprimunt, cum ala depreſſa magis attolli debeat, quo cartilagines ſenſim elaſticam naturam recuperent, aut ſcolioſis augmentum impediatur. Idem de collariorum, aliarumque machinarum vſu valet, quae remedia omnia vitium peius reddunt; qua propter Cl. Auctor potius ſuadet, vt naturae vitium hoc committatur, et tantum caueatur, ne infantes corpus diutius in eamdem partem inclinent, vel pondus magnum vno brachio eleuent atque circumferant. Claudicatio- p. 451. nis vitium in Belgia frequentiſſimum eſſe, ex Cel. CAMPERI obſeruationibus Franequerae inſtitutis, patet, vbi inter *2671* incolas *96* claudi reperiuntur. Cauſſa huius vitii praecipua modus eſt, quo infantes brachiis geſtantur. In eo enim ſitu pedibus tantum a nutrice retineri poſſunt, dum ſe mouent, ex qua re facile vnus vel ambo articuli coxarum laeduntur. Hinc, feroſa affluente colluuie, in caueam articuli caput femoris prorſus expellitur, vitio, dum infans incedere incipit, in dies increſcente. Hoc

vitium nulla ratione vnquam ſanatur, ſed tantum omnis cura eo directa eſſe debet, vt corpus ſubleuetur, ne ſpina quoque diſtorqueatur et nutritio luxati pedis plane impediatur. Hoc vitium nunquam partum impedit, qui contra facilior inde reddi videtur, cum peluis in eiusmodi feminis maiorem amplitudinem habeat.

p. 460. Sexto tandem capite Cl. Auctor diſquirit, *vtrum variolarum inſitio infantibus adminiſtranda ſit*, et concludit, variolarum inſitionem ſummopere commendandam eſſe, ſi, conueniente aetate, fit.

Obſeruationes meteorologicae Schwanenburgenſes ad annum 1761.

II.

Eſſays medical and experimental on the following ſubjects, viz. I. The Empiric. II. The Dogmatic. Or, arguments for and againſt the uſe of theory and reaſoning in phyſick. III. experiments and obſervations on aſtringents and bitters. IIII. On the uſes and operation of bliſters. V. On the reſemblance between chyle and milk. By THOMAS PERCIVAL, M. D. F. R. S. — London, printed for I. Iohnſon and B. Davenport. 1767. 8. pll. 16½.

i. e.

Diſſertationes et experimenta ex re medica de obiectis ſequentibus: I. Empiricus. II. Dogmaticus. Seu argumenta pro et contra vſum theoriae et ratiocinii in medicina. III. Tentamina et obſeruationes de adſtringentibus et amaris. IIII. Super vſu et operandi modo

modo veſicatoriorum. V. De ſimilitudine inter chylum et lac. Auctore THOMA PERCIVAL.

Duae priores diſſertationes dilucide admodum et copioſe docent, quantum detrimenti redundaverit atque hodienum redundet in ſcientiam medicam, cum vel exercitium artis ſyſtematibus arbitrariis aut hypotheſibus ſuperſtruitur, vel theoria in eadem plane contemnitur et negligitur: ex quibus omnibus demum colligitur, eam eſſe ſectandam normam, vt ſobria nec vllis ſyſtematum hypotheſibus, ſed naturae tantum phaenomenis innixa meditatio, adiuta ab experientia, cum propria, tum lectione Auctorum et cauta eorum diiudicatione acquiſita, medicum artem facientem ducat, atque in dubia etiam et incognita via lucem eidem ac filum ariadneum praebeat.

Sequens tractatio, quae fere dimidiam totius libri efficit partem, narrationem exhibet et experimentorum, quae cum ſingula repetere nequeamus, potiora ſaltem in iis obſeruata et concluſiones, inde a Cl. Auctore deductas, addituri ſumus. Inter varias corti- p. 72.
cem Peruuianum praeparandi methodos decoctum prorſus reiicit, quod in eo ſubſtantia quaedam aromatica perit, et decompoſitio fit partium gummoſarum ac reſinoſarum. Infuſum, cum frigida aqua paratum, aeque efficax eſſe, ac id, quod ope calidae paratur, experimenta vberrime demonſtrant. Infuſum ſpirituoſum efficax quidem cenſendum eſt, at propter calidam indolem ſatis conuenienti doſi exhiberi nequit: in quibusdam tamen morbis neruoſis idem cum vino rubro leuiori, quale Anglis commune Luſitanicum (*red port-wine*) eſt, paratum, p. 74.
omnino conducit. Commode etiam infuſis corticis

huius aromatica ad augendam eiuſdem efficaciam adduntur, inter quae cortices aurantiorum primum locum obtinent. Magis autem ſoluit aqua frigida corticem chinae, ſi infuſum ope triturationis paratur, ad quam praeſtandam machina Comitis DE LA
p. 75. GARAYE vtiliſſima cenſetur. Extractum corticis iisdem, quibus decoctum, vitiis laborat, quibus accedit, quod raro ab empyreumatis ſuſpicione liberum ſit. Calx viua, cum cortice Peruuiano in infuſo coniuncta, plane diuerſa phaenomena Cl. Auctori exhibuit ab iis, quae Cl. MACBRIDE *) tradidit. Saepius repetita decoctio et infuſio corticis vires pe-
p. 87. nitus exhaurire non potuit, quod iam Cl. FULLER miratus eſt, quamquam multum abfuit, vt idem experimenta tam diu continuarit, quam Noſter fecit. Ad determinandam diuerſitatem, quae eſſet in variis menſtruis, corticis viribus extrahendis idoneis, experimenta capta ſunt, et patuit, vinum Rhenanum in digeſtione extraxiſſe plurimum, paullo minus ſpiritum vini gallici, minus adhuc aquam, cum puram, tum aceto vini remiſtam, minimum ſpiritum vini rectificatum.

p. 90. Alia experimenta euicerunt, amara plura plus communicare aquae frigidae infuſae, quam calidae,
p. 91. et infuſa eorum frigida magis eſſe amica ſtomacho; quid quod in praeparandis coriis cortex quercus frigido infuſo ſatis efficax reddatur. Sequentia experimenta demonſtrant, acida et adſtringentia ſeu amara, ſibi inuicem iuncta, mutuo alterutrius vim deſtruere et indolem nouam acquirere, vti fit in ſalibus alkalinis et acidis, inter ſe coniunctis. Inde diuerſa ratio antiſepticorum pateſcit. Cl. PRIN-
p. 107. GLE **) aſſeruit, corticis in puluere vſum in imbecillis ideo ſuſpectum eſſe, quod in ventriculo fermen-

*) V. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 340.
**) V. Comment. noſtr. Vol. II. p. 405.

mentationem ſubeat: eius autem incommoda magis ponderi et moli ipſius adſcribenda eſſe Noſter docet, cum ex allatis experimentis perſpicuum ſit, corticem non adeo facile fermentationi obnoxium eſſe. Ex obſeruationibus tamen amici cuiuſdam ſuadet, melius exhiberi puluerem eiuſdem in potionibus, p. 109.
quam in bolo aut electuario, quia in priori caſu adiuncta aqua aromatica magis diluitur et facilius digeritur, quod in altera exhibendi ratione non aeque poterit exſpectari.

Cum acida vim amarorum et adſtringentium, et haec rurſus vim acidorum infringant, facile patet, horum vſum magnum eſſe in morbis primarum viarum, et ideo Cl. PRINGLE erraſſe, cum iiſdem minimum vel nihil vtilitatis in ictero adſcripſerit. E p. 112.
contrario acida praeſentiſſima antidota cenſenda ſunt aduerſus effectus nociuos ſcammonii, colocynthidis et tithymali, quae aceto vini corriguntur: p. 113.
quorſum et alia venenatae acrimoniae vegetabilia ab Auctore noſtro referuntur, et experimenta Cl. DOBSON memorantur in cane facta, cui opium porrectum eſt, cuius effectus elixirium acidum vitrioli ſuſtulit. Vbi bilis corrupta morbos acutos concitat, corticis vſus ex narratione Cl. HILLARY ideo locum non habet, quia ille, ſub quacumque forma exhibitus, ab aegrotis retineri non poteſt: ad quod incommodum p. 117.
leuandum ſuadet Noſter, vt cum acidis vegetabilibus combinetur, quae ſimul putridam indolem bilis corrigant et vim antiſepticam corticis intendant.

Cum perſpexerit Cl. Auctor, indolem adſtringentem et amaritiem in vegetabilibus diſtinctas eſſe proprietates, ad eas magis determinandas varia in- p. 118.
ſtituit tentamina, quae tamen non adeo ſucceſſerunt, vt res omnis iiſdem confecta ſit. Patet tamen ex iiſdem, quod ante iam dixerat Cl. Auctor, p. 106.
neque guſtum, neque nigredinem ab adiunctis mar-

 tiali-

tialibus contractam, neque virtutem indurandi partes animales, ſiue ea coniunctim, ſiue ſeparatim ſu-
p. 124. mantur, praebere indicium certum virtutis adſtringentis in corpore viuo; id quod potiſſimum theae exemplo probatur, qua occaſione longius a ſcopo digreditur Cl. Auctor, et multa lectu digna de commodis ac noxis, theae vſui tribuendis diſputat. Adſcribit iſtius vſui differentem hodie et mitiorem, quam olim, inflammationum intermittentiumque febrium rationem; at nec debilitatem, neruoſam potiſſimum, ab eadem inductam, reticet. Theam viridem magis noxiam putat neruoſo ſyſtemati, quam boheam, quod partes ſubtiliores narcoticae ipſa praeparatione herbae in hac magis diſſipantur, quam
p. 129. in illa. Commendat autem vſum eiuſdem ob ipſam vim ſedatiuam in morbis acutis et inflammatoriis, aliisque caſibus conuenientibus. Hanc digreſſionem ſequitur alia de vi adſtringente corticis Peruviani, quam neque adeo magnam, neque adeo timendam putat, ac ipſa multis videtur. Experimentis cum felle taurino putreſcente inſtitutis, cognouit Noſter, vere ipſum efferueſcere cum acidis et mutare colorem ſyrupi violarum in viridem, quod vtrumque Cl. MACBRIDE *) negauerat: hic vero deceptus fuit, aut quod non diluit fel taurinum, aut quod experimenta cepit, antequam ſal alkalinus euolutus fuerit, aut poſtquam idem iam euaporauerit. Ex ipſis autem experimentis iſtis iterum apparet, acida praeſtantiſſimum eſſe remedium ad corrigen-
p. 146. dam bilis putredinem: maiorem tamen laudem deberi vegetabilibus, quam mineralibus, quoniam illis ſimul ineſt vis demulcendi et blande aperiendi
p. 148. euacuandique, qua acida mineralia carent. Patet autem etiam, qualia nimius abuſus acidorum damna in deſtruenda bilis efficacia indeque inducenda cacochy-

*) V. Comment. noſtr. l. c.

cochymia et cachexia producat, et ratio morborum infantilis aetatis, ab inertia bilis atque acore in primis viis oriundorum. Tandem experimenta quaedam cepit Cl. Auctor ſuper natura et indole atramenti, quod Cl. LEWIS dixerat eſſe ferrum extri- p. 150.
catum ab acido ſuo in ſtatu maxime attenuato ac diviſo, et coniunctum cum peculiari ſpecie materiae contentae in vegetabilibus adſtringentibus. Noſtri vero tentamina euincunt, ferrum non extricatum, ſed coniunctum cum acido et certa proportione materiae adſtringentis ex vegetabili regno, atramentum conſtituere. Curioſum prae reliquis nobis viſum eſt experimentum 36, vbi infuſum corticis Pe- p. 152.
ruuiani cum aqua deſtillata frigida paratum, cum immerſum eſſet in illud ferrum politum, poſt tres horas parum nigri coloris contraxerat: cum vero idem ferrum in aliud infuſum corticis, ſeruata eadem proportione cum aqua communi fontana frigida factum, immitteretur, minus quam duorum horarum ſpatio multo intenſior color obſeruatus eſt, quod ſali ſelenitico, quo ſcatebat aqua iſta non deſtillata, adſcribendum eſt.

Progredimur ad tractationem quartam de vſu veſicatoriorum eorumque operandi modo. Ad p. 170.
vtramque claſſem medicamentorum, quae tam in ſolidas, quam in fluidas partes agunt, pertinere videtur hoc remediorum genus. Sed quaeritur, vtrum exſerant effectum irritando tantum ſuperficiem corporis, an facta reſorptione particularum, ortoque inde ſtimulo? Experimenta BAGLIVII, p. 171.
quae in animalibus cepit, quorum venis iugularibus immiſit tincturam cantharidum, nihil probant, cum mitiſſima fluida, vt lac, per eiuſmodi viam in ſanguinem inducta, pernicioſos monſtrent effectus. Triſtiſſima ſymptomata vſum imprudentem internum

cantharidum ſequuntur: hinc plurimis vero ſimile viſum eſt, pares, at mitiores, effectus ab eorum vſu externo per reſorptionem proficiſci, hisque virtutes earum ſalutares deberi: et quum, BAGLIVIO Auctore, ſanguinem colliquent, ſi eidem admiſceantur, inde virtutem reſoluendi atque attenuandi pendere. Obſtant autem huic theoriae varia non exi-
p. 173. gui ponderis. Non enim in omnibus caſibus ab iisdem motus humorum intenditur, quin inflammatio ſaepe leuatur pulſusque tranquillior redditur. Exi-
p. 174. gua praeterea cantharidum pars impar eſt tantis effectibus producendis, cum partim nimis diluatur a fluidis corporis, partim impediatur a muco parietes vaſculorum obliniente, quo minus perfecte vim ſuam exſerat. Repugnare quidem videtur actio earum in vias vrinarias: ſed ad hanc obiectionem reſpondet Cl. Auctor, peregrina quaecumque, in ſanguinem inducta, cum aſſimilari nequeant, exire per colatoria et excretoria organa; volatilia quidem per ſuperficiem pulmonum et cutis, fixiora autem, quor-
p. 176. ſum et cantharides pertineant, per vrinae vias. Eadem valent de vi reſoluente cantharidum: neque enim mercurius, exigua doſi ſaliuae profluuium excitans, reſoluendo agit, ſed, partiali ſtimulo glandulis ſaliualibus applicato, quod ſanguis, ipſo ſaliuationis tempore miſſus, teſtatur, non reſolutus, ſed denſus deprehenſus. Neque vero cantharides vllam chemicam ad fluida animalia relationem habent, quod experimenta, cum ſanguine eiuſque ſero inſti-
p. 179. tuta, Cl. Auctorem docuerunt. Symptomata grauiora, applicationem veſicatoriorum ſequuta, magis iniuſto morbi ſtatui falſaeque indicationi adſcribenda ſunt, quam illis ipſis ex ſua indole tribuenda: eadem enim incommoda ab aliis epiſpaſticis aut cauteriis, minus opportune in vſum vocatis, eueniunt. Stranguria a nonnullis non reſorptioni, ſed conſen-

ſui inter cutim viasque vrinarias adſcripta eſt: at prior ſententia ideo probatur, quod nulla alia exci- p. 182.
tantia externa eumdem effectum produnt; porro quod frequentior potus hoc incommodum praecavet, et tandem, quod effectus hic fere ſemper conſpicitur, ſi vertici, recenter raſo, applicatur veſicatorium, non aeque, ſi hoc, elapſis viginti quatuor horis, factum fuerit: in priori enim caſu, ablata cuticula, facilior redditur reſorptio.

Indicantur veſicatoria cum in morbis ſolidarum, p. 184.
tum fluidarum partium. Priores ad tres claſſes referri poſſunt: cum actio fibrarum motricium vel generatim vel partialiter nimis debilis, aut irregularis, aut partialiter nimis intenſa eſt. In priori caſu agunt vt ſtimulantia languidorum ſolidorum, vt nervina, quae vires vitae ſuſtinent, et vt ea remedia, quae ſalubres excretiones promouent. Spectant huc febres lentae neruoſae, in quibus vero tunc de- p. 187.
mum locum habent, cum corpus ſtimulis iam aſſuefactum eſt, aut nerui non praeter modum ſenſiles ſunt: alioquin augent ſpaſmos, neruoſumque ſyſtema turbant. Porro in augmento febrium inflammatoriarum, cum languor et affectus ſoporoſi accedunt, vt et in petechiis malignis, et variolis malignae indolis: item in apoplexia et paralyſi, potiſſimum particulari, vbi maiorem vſum praeſtant, ſi in eo loco, in quo ſiti ſunt nerui, ad partem affectam p. 192.
tendentes, applicantur, quam ſi ipſi parti affectae applicata fuerint. Vero ſimile inde eſt, in gutta ſerena opem ab iis exſpectari poſſe, ſi prope foramen ſupra orbitale applicentur, per quod tranſeunt nerui, ad retinam pertinentes. In tympanite MEADIUS eadem commendat: abſit tamen neceſſe eſt laeſio inteſtinorum. In rhachitide a BOERHAAVIO ma- p. 193.
gni habentur. Sic etiam in humoribus ſcirrhoſis glandularum reſolutionem multum iuuant. Quod ſecun-

ſecundam claſſem morborum ſpectat, in motibus conuulſiuis vt ſtimulantia et antiſpaſmodica agunt. In conſideranda tertia claſſe diſſenſus Auctorum occurrit, cum HOFMANNUS, BAGLIVIUS, PRINGLE, HUXHAM et WHYTT eorum vſum in febribus inflammatoriis reprobent, SYDENHAMIUS autem, GLASS et LIND eadem commendent.
p. 202. Vtraque ſententia ita comparari poteſt, vt abſtinendum ſit ab iiſdem, cum inflammatoria diatheſis totum corpus tenet, nec vnam prae reliquis partem infeſtat: at cum inflammatio caput, pulmones cet. petit, tum eorundem ope vaſa liberare oportet, febrem infringere et celeritatem pulſus minuere.
p. 204. Conducit ergo remedium hoc in phrenitide ſymptomatica ſeu delirio febribus bilioſis, malignis, aut inflammatoriis ſuperueniente, in quo ex mente Cl. WHYTT tum demum opem fert, cum membranae tantum cerebri, non autem ipſa eius ſubſtantia, affi-
p. 212. ciuntur, cuius tamen ſententiae contrarium ipſe Cl. Auctor vidit; in ophthalmiis, in quibus tamen hirudinibus actionem ipſius iuuandam eſſe monet; in haemorrhagia narium, hinc forte etiam in haemoptoe; in angina inflammatoria: in peripneumonia vera; in variolis, cum membrana pituitaria affecta eſt, ex mente HUXHAMI; in tuſſi humida, Auctore Cl. WHYTT; in inflammatione hepatis, ventriculi et inteſtinorum, in ileo et dyſenteria, ſuadente Cl. PRINGLE; in morbis rheumaticis et arthriticis, Auctoribus HOFMANNO, PRINGLE, CULLEN et HUXHAM. Quod vero virtutem veſica-
p. 218. toriorum in fluida attinet, ea ab effectu in ſolida pendet: accelerando enim contractionem vaſorum praecauent ſtagnationem humorum, et, excitata inflammatione in ſuperficie cutis, humorum euacuationem praeſtant. Vt euacuantia ergo agunt in febribus neruoſis; in variolis aquoſis, in iiſdem mali-
gnis,

lignis, cum materia nimis craſſa et ad ſuppurationem, et ad reſorptionem euacuationemque per vrinam inepta eſt; in conuulſionibus infantum, in quibus quippe natura, ſaepius medelam per vlcera efficiendo, humores ſuperabundantes expellit.

Accedimus ad tractationem vltimam de ſimilitudine inter chylum et lac. Cum res ſit difficillima, comparare ſibi eam copiam chyli, quae ſufficiat experimentis in eodem capiendis, ſubſiſtendum eſt in indole ac proprietatibus eius a priori, quod dicunt, determinandis. Atqui res eo redit. Chylus, variis digeſtionibus in ore, ventriculo et inteſtinis peractis, mutatur in fluidum reſorptioni per vaſa lactea p. 229. idoneum, quod procul dubio conſiſtit ex oleo, mucilagine, aqua, parte coagulabili et aere fixo. Olei et mucilaginis praeſentiam color albus demonſtrat. Coagulabilem partem adeſſe ex eo colligit Cl. Auctor, quod inſignis copia lymphae, quae ipſa eius indolis eſt, alimentis noſtris admiſcetur, ipſaque mucilago in alimentis latens eiusmodi proprietatem plus vel minus exhibet. Extricatur autem pars iſta p. 230. ope fermentationis, quae fit in primis viis, quod quidem varia proportione fit pro varietate alimentorum aſſumtorum, vti vacca pabulo tenuiore nutrita lac exhibet, ex quo caſeus praeparari nequit. Aeris fixi praeſentiam Cl. MACBRIDE *) euicit. Comparemus nunc has partes conſtituentes cum illis, quas lac nobis praebet. Sunt eae oleum, muci- p. 231. lago, ſaccharum, aqua et aer. Mucilago partem coagulabilem ſiſtit, quae caſeum praebet, et ſaepe cum ſero ſanguinis comparatur, a quo tamen eo differt, quod non coagulatur calore. Saccharum, in parte aquoſa latens, euaporatione et cryſtalliſatione detegitur. Aerem ineſſe experimenta ſub antlia pneu-

*) V. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 349.

p. 232. pneumatica docent. Ex his liquet, vnius eiuſdemque indolis eſſe partes, vtrumque fluidum conſtituentes: neque tamen ipſa ideo exactiſſime conuenire liquet, quod neſcimus proportionem ſingularum inter ſe. Ad phaenomena igitur confugiendum eſt. Videmus, lac ſeruare indolem alimentorum, adeoque proprietates aduentitias chyli: ergo etiam natiuam huius indolem remanere debere in chylo patet. Lactis etiam copia proportionata eſt copiae chyli. Subſtantia ſaccharina ex lacte obtinenda, et ſpiritus inflammabilis fermentatione et deſtillatione ex eo parandus, et aceſcens eius qualitas demonſtrant, vegetabilem naturam chyli in mammis non mutari. Chylum vero non mutatum circulationem in corpore abſoluere, ipſe per venam ſectam emiſſus et in variis morbis per colatoria corporis egrediens teſtatur. Videtur etiam aliquid tribui oportere laxitati vaſorum mammalium et ſuctioni, quae reſiſtentiam tollendo impetum fluidi ad haec loca faciliorem reddit. Omnium vero maxime ſimilitudinem hanc probat obſeruatio in puella, octo annorum facta, quae aſcite et anaſarca vniuerſali affecta, bis paracentheſin ſuſtinuit, vbi quaque vice inſignis copia humoris, lacti cum aqua remiſto ſimilis, educta eſt, qui igne coagulari non patiebatur, ſed repoſitus tenuem cremorem, et paucis diebus poſt acorem guſtu et olfactu percipiendum exhibuit. Puella haec cum ante morbum iuſto voracior fuerit et appetitui nimis indulſerit, probabile videtur, poſt plenum paſtum ſub exercitio violentiori corporis vas quoddam lacteum ruptum fuiſſe. Ipſa tamen rite poſtmodum conualuit.

III.

III.

Recherches ſur le tiſſu muqueux, ou l'organe cellulaire, et ſur quelques maladies de la poitrine. Par Mr. THEOPHILE DE BORDEU, Docteur en Médecine des Facultés de Paris et de Montpellier. On y a joint une diſſertation du même Auteur, ſur l'uſage des eaux de Baréges, dans les ecrouelles. A Paris, chez Pierre Franç. Didot le jeune. 1767. 12. Singula diſſertatio abſque praefatione plagg. 9½ continet.

i. e.

Meditationes ſuper contextu mucoſo ſiue organo cellulari et quibusdam pectoris morbis, Auctore THEOPHILO DE BORDEU. Accedit diſſertatio Auctoris eiuſdem de vſu aquarum Baredginenſium in ſcrophulis.

Ampliorem in priori opere Cl. Auctor explicationem ſententiae ſuae de contextu celluloſo exhibet, quam olim in diſſertationibus duabus, quibus titulus: *an omnes corporis partes digeſtioni opitulentur* *)? et: *vtrum Aquitaniae minerales aquae morbis chronicis* **)? breuius propoſuerat.

Principium tractationis Cl. Auctor facit demonſtrando texturam fibrillae minimae, quae ſi ab aliis p. 2. ſui generis ſeparetur, ſpeciem quandam glutinis conſpectui offert, quam ſi oculo armato intuearis, inuenies ex corpuſculis paruis ſibi ſuperimpoſitis, nullo ſeruato ordine, magis aut minus mollibus et tranſparentibus compoſitam; quae cnm parum omnino differant a corpore mucoſo plantarum, arriſit

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. III. p. 266.

**) V. Vol. IV. p. 289.

p. 3. ſit noſtro nomen *contextus mucoſi*. Contextum
hunc prima ſtamina corporis animalis ſuggerere,
docent obſeruationes in ouis incubatis inſtitutae.
p. 4. Nomen autem cellularum non inuoluit organicam
diſpoſitionem filamentorum mucoſorum, aut diſtri-
butionem eorum in veſiculas inter ſe communican-
p. 6. tes, ſed tantum areolas vacuas ex irregulari concur-
ſu horum filamentorum, dum ipſa partim fibras am-
biunt, partim ipſis interiacent, oriundas. In hoc
ergo contextu neque vaſa, neque fibroſum quicquam
adeſſe poſſe apparet: ſed humoribus transmittendis
p. 9. ceu ſpongia aptus eſt. Commodius ille demonſtra-
tur, ſi mufculum gelare facimus, quam ſi aerem
immittimus: tum enim cellulae diſrumpuntur. Nu-
p. 10. tritur contextus iſte, accedente ſucco nutritio, ex va-
ſis huc delato, adeo vt noua ſubinde eiuſmodi fila-
mentorum ſtrata prioribus ſuperimponantur: ergo
non ipſae fibrae, ſed contextus eas iungens nutri-
mentum ſuſcipit, neque diuerſa pro varia corporis
menſura partium magnitudo maiori numero fibra-
rum adſcribenda eſt, neque diuerſum robur, ſed ſo-
li maiori minoriue abundantiae, ſitui et conſiſten-
p. 17. tiae contextus celluloſi. Ratio nutritionis lentis
cryſtallinae, cuius inuentionem Cl. PETIT medi-
co debemus, egregie hoc aſſertum confirmat. Con-
p. 18. gruere etiam videtur cum eo nutritio oſſium, ex
mente Cl. DUHAMEL applicatis laminis peracta,
quas perioſtei productiones dicit, quae vero pro-
prie contextus mucoſus ſunt, et ſtructura ſquamoſa
epidermidis; vnguium praeterea ortus, quorum la-
minae exactiſſime referunt lympham concretam et
igne coactam, nutritio dentium et ligamentorum
cartilaginoſorum, vertebris interiectorum. Omnes
ideo partes ope ſubſtantiae celluloſae nutriuntur:
vt autem hoc non vno eodemque modo fiat, di-
verſitas fibrarum, quibus illa applicatur, et diſpoſi-
tio

tio variorum organorum, eas conſtituentium, efficit, quae a varia diſpoſitione fibrarum neruearum proficiſci videtur, quod exempli loco diſtributione neruorum in muſculo illuſtratur. Hanc theoriam cicatricum geneſis optime explicat. Quae ab Auctoribus adducuntur morborum fibrarum ſpecies, rigiditas nempe, laxitas, ſiccitas, debilitas cet. pendent tantum ab imaginatione, aeque vt infinite parvum aut punctum mathematicorum: ſi quis iis locus relinquendus, hi morbi potius contextui cellulari adſcribendi forent, quam fibris ipſis.

His in genere praemiſſis, contextum celluloſum corporis humani per partes conſiderat Cl. Auctor. Sunt quaedam membranae, quas ex illo ſolo conſta- p. 32.
re nemo negat, et quae adiacentes partibus vicinis ab iisdem, praecipue in iis locis, vbi maxima eſt frictio, laeuitatem quandam ſeu polituram acceperunt. Demonſtrat autem Noſter, peritonaeum non fuiſſe ab initio ſaccum communem, in quo reconditae fuerint partes, in abdomine ſitae, ſed contextum mucoſum, qui interiorem faciem muſculorum abdomi- p. 34.
nalium et viſcera ipſa obduxerit, cuius partes ſucceſſu temporis inter ſe concreuerint. Pleurae eadem ratio eſt. Pia mater cum praecedentibus conuenit, ſed in eo differt, quod non, vti peritonaeum v. c. in hepate et pleura in pulmonibus in totam viſceris, quod ambit, ſubſtantiam immergitur et ibi demum euaneſcit, ſed, poſtquam cum vaſis cerebri in illud ingreſſa eſt, ſe reuoluit, neque ad interiora vſque procedit. Dura vero mater tendineo muſcu- p. 41.
loſa membrana eſt, perioſteo ſimilis, neque huc referenda. Quod ad viſcerum in his ſaccis contextus celluloſi contentorum qualitatem ſpectat, ea non p. 42.
adeo regularis ſtructurae ſunt, quam muſculi; contextus quippe celluloſus minus ordine diſpoſitus, minus organiſatus eſt, quod veteres ſub denomina-

tione *parenchymatis* ſignificare voluerunt. Fruſtra etiam recentiores formam determinatam texturae viſcerum adſcribere tentant: vltimo enim ſemper ad pulpoſum quid, nec vaſculoſum, nec veſiculoſum, recurrendum eſt.

p. 43. Alia pars contextus celluloſi, eaque attentione digna, eſt integumentum illud commune corporis, quod cuticula et cute remotis, conſpicitur, et plerumque tunicae adipoſae nomine inſignitur. In tres partes diuidi poteſt, quarum prima caput et collum, altera pectus et abdomen, et tertia extremi-
p. 45. tates amplectitur. Ea pars, quae truncum ambit, affigitur muſculis ſubiacentibus, iisdem vaginas largitur, et vbique per interſtitia ipſorum altius ſe demittit, adeo vt in abdomine cum peritonaeo, in pectore cum pleura communionem ſubeat, quod tamen frequentius per ambages et multiplices flexus, quam recta via fit. Magis autem immediate cum peritonaeo in parte poſteriori abdominis communicat, ſiquidem vagina celluloſa inteſtini recti aeque ab
p. 51. hac tunica, ac a peritonaeo oritur. In pectore celluloſus contextus craſſiſſimus et laxiſſimus eſt in regione mammarum, neque hic adeo coniungitur
p. 52. cum pleura, quam in progreſſu ſuo ſub axillis. Ea pars, quae collum et caput inueſtit, perforato muſculo cutaneo colli, ſuper partes propinquas ad laryngem et pharyngem tranſit, ibique cum productionibus pleurae iungitur. Glandulae lymphaticae colli prope in eodem contextu celluloſo ſuſpenſae haerent. Cranium ſub galea tendinea eodem
p. 54. contextu celluloſo obtegitur, qui per ſuturas in adultis aliquam, in iunioribus autem et fetibus magis inſignem per oſſa ipſa et perioſteum cum dura matre communicationem habet. Contextus celluloſus faciei rarior eſt, et in omnes eius cauitates, ad oeſophagum, nares, vbi membranam pituitariam for-

format, et orbitas extenditur, vbi penitus cum dura matre coniungitur. Ex communicatione hac pleurae cum contextu cellulari colli et faciei patet conſenſus pectoris cum partibus iſtis, quem fere diſpoſitioni vaſorum adſcribere ſolent. Contextus cellularis extremitatum multum differt a praeceden- p. 56.
tibus: format enim in iiſdem membranam tendineam, quae tamen in femore craſſior eſt, quia maior ibi vis eſt muſculorum et oſſis ipſius. Eadem his vaginis origo fuiſſe videtur, quam ſupra de membranis, cauitates inueſtientibus, adducta eſt. Com- p. 59.
municat hic contentus cum eo, qui peritonaeum et pleuram conſtituit: vnde etiam commercium patet, quod intercedit extremitates atque truncum.

Hac contextus celluloſi diuiſione generatim ex- p. 63.
poſita, euincitur filamentorum eius ad ſeruandum aequilibrium in motu neceſſitas atque vtilitas, ad quam praeſtandam multum facit neruorum et vaſorum actio. Praeter iſtum vero *tonum* et *cohaeſionem* p. 65.
proprietas ſingularis illius in *penetrabilitate* ponenda eſt, in qua videtur eſſe poſitum magnum momentum tranſpirationis inſenſibilis. Hae ipſae tamen proprietates nonnihil refraenantur reſiſtentiis quibusdam, quae proficiſcuntur a ſtricturis nonnullis ipſius contextus: quae quamuis variis in locis conſpicuae ſint, vt in extremitatum articulis, in digitis manuum et pedum, cet. vna tamen prae reliquis notari meretur, quae per medium corpus ad ipſius longitudinem decurrens ipſum in duas partes diuidit, et a Cl. Auctore nomine *rhaphes* inſignitur. Strictura nempe ſeu plica cutis inter femur vtrum- p. 68.
que, quae proprie hoc nomen gerit, protenditur antrorſum in vtroque ſexu ad os pubis, quod cartilagine diuiditur; ſuper hanc diuiſionem conſpicitur linea alba, et, aperto abdomine eius, cauitatem diuidi videmus meſenterio; diaphragma tum antrorſum

verſus ſternum, tum poſterius ad ſpinam dorſi in duas partes diuiſum eſt. Pectus per mediaſtinum diuiditur. Trachea ſignum diuiſionis aeque ac glandula et cartilago thyreoidea, cartilago cricoidea et epiglottis ſeruant. Oeſophagus et pharynx poſterius decuſſatione fibrarum diuiduntur. Linguae diviſio iam veteribus innotuit. Maxilla inferior ſemper lineam eminentem, diuiſionis veſtigium, ſeruat. Palatum, oſſa maxillaria, naſum, labia, media linea diuidi, notiſſima res eſt. Muſculi ſuperciliorum et frontales diſtinguuntur ſtrictura quadam intermedia cutis. Oſſa cranii et totum encephalum in duas partes aequales diuidi quiſque nouit. Spina dorſi diuidit poſteriorem corporis partem, adeo vt ſtrictura cutis, eam tegentis, incipiat verſus protuberan-
p. 72. tiam occipitalem et protendatur ad os coccygis. Eadem linea intermedia diuidit inteſtina omnia; pari modo vterus et veſica diuiduntur. Vaſa omnia ita diſponuntur, vt ratione exortus, arterioſa partem ſiniſtram, venoſa dextram corporis partem reſpiciant. Nonnullae partes exemtae videntur ab hac diuiſione: ſed hae forte penitus huic, aliae oppoſitae parti aſſignate ſunt, vt v. c. hepar ad dextram, pancreas ad ſiniſtram partem pertineat. Haec doctrina de partitione corporis inſeruire poteſt variis phaenomenis phyſiologicis et pathologicis explicandis. Praeter motum autem tonicum, quem adiuuare contextum celluloſum ſuperius indicatum eſt, multum ipſe confert ad actionem diaphragmatis explicandam, quoniam in eo concurrunt ſacci duo inſignes ab eodem formati, pleura et peritoneum: quumque duodenum magna eiuſdem copia cingatur, accedentibus ſimul et in eodem ſe diffundentibus neruis gaſtricis, inde patefit, cur diaphragma et viſcera abdominalia adeo magnum conſenſum habeant cum reliquis partibus corporis.

Ex

Ex iis phaenomenis pathologicis, quibus aſſerta haec comprobat Cl. Auctor, annotabimus tantum, p. 81. mutatum faciei ſtatum in variis morbis ex affecto per conſenſum eiusdem contextu cellulari explicandum eſſe; hunc ipſum ſaepe, v. c. in tumoribus ſub p. 85. axillaribus poſt ſuppurationem in digitis, viam et ſedem metaſtaſis praebere, et quae ſunt reliqua.

Sed procedimus ad vberiorem applicationem theoriae huius ad cognitionem curamque morborum illuſtrandam. Poſtquam enim ſatis copioſe de p. 94. neglecto HIPPOCRATIS apud nos ſtudio conqueſtus eſt Cl. AUCTOR, commentatur in quaedam eiusdem loca, quae, praeſuppoſita hac theoria, facilem et adaequatam explicationem admittunt. Concernunt ea morbos pectoris et faucium, et nos cum repetere ſingula nequeamus, quae ab Auctore noſtro tradita ſunt, in excerpendis quibusdam ſubſiſtemus. Sic abhortatur de abuſu purgantium in pleuritide, p. 122. quibus nimirum ſputa critica, quibus morbus ſoluitur, ſupprimuntur et aeger praecipitatur. In angina inflammatoria reprobat BOERHAAVIUM, p. 147. quod venae ſectionem largiorem eamque repetitam et purgantia ſuaſit, neque tamen locum venaeſectionis, neque tempus purgationis indicauit; imo vltimum remedii genus in hoc morbo ſuſpectum omnino putat, et miratur, neque hunc, neque commentatorem eius, SWIETENIUM, emeticorum habuiſſe rationem, quae tamen magis adaequata eſſe huic morbo ſtatuit, quam purgantia et miſſionem ſanguinis, idque ſcriptorum nonnullorum teſtimoniis et propria experientia confirmat. Forſan erro- p. 152. ri huic ortum dedit elaterium, quod veteres in hoc morbo commendant; quod tamen magis ſurſum, quam deorſum purgaſſe ex DIOSCORIDE patet.

Sedem inflammationis ponit in parte mucoſa p. 173. ſanguinis, producta motu violento, et eiusdem in-

 dolis

dolis cum eo contextu mucoſo, quem principium nutritionis eſſe in initio huius operis euicerat; hanc ipſam efficere veram plethoram partialem in multis morbis, praecipue in iis contextus celluloſi; in quibus nimirum ſe, in ipſo hoc contextu, irregulariter expandat; huic adſcribendam eſſe materiam coctionis, ſuppurationis, cicatricis, ortumque concretionum polypoſarum; forte huius vſum eſſe poſſe in depurando ſanguine, vti ichthyocolla vinum depuratur, atque ipſam, praeſtito ſuo vſu, ſeparari ab ipſo
p. 180. per ſe et excretiones in corpore conſpicuas. Alia eſt peculiaris ſententia Cl. Auctoris de variis regionibus linguae, variarum partium morbos indicantibus, ita vt planum apici linguae proximum denotet clauiculam aut partem ſuperiorem pulmonum; quod ſequitur, latius, pulmonem medium et latus pectoris mammam verſus; imum denique dolorem verſus diaphragma. In hoc problemate tamen (pro eo enim ipſe Cl. Auctor hanc opinionem venditat) maximam difficultatem parit confuſio ſignorum iſtorum cum ſignis morborum abdominis, ex lingua per-
p. 191. ſpiciendis. Vberrime diiudicat doctrinam BOERHAAVII de peripneumonia, eamque putat effici ab accumulata quadam copia muci in contextu cellulari, quae iam GALENI ſententia fuit; ſtatuitque illam vix non ſemper ſequi decubitus catarrhales ad
p. 194. pectus. Diſtinctio in veram et ſpuriam ipſi inſufficiens videtur; non enim niſi gradu vtramque inter ſe differre perſuaſum ſibi habet. Simili modo de eryſipelacea et phlegmonoſa, pleuritide vera et ſpuria et pleuroperipneumonia iudicat: ſerum nempe abundans in pectoris celluloſo contextu defluxionem ibi excitare poteſt cum vel ſine dolore et febre.
p. 202. Suus etiam in hoc morbo emeticis, iuſto tempore da-
p. 205. tis, locus relinquendus eſt, aeque ac diaphoreticis.
p. 210. Quod topica ſpectat, magis ſuadet Cl. Auctor veſica-

catoria pone aures, quam in ipſo loco affecto appli- p. 214
canda eſſe. Caute etiam praecipit, ne in morbis catarrhalibus pectoris inconſulto motus febriles ſupprimantur, quibus velut auxilio natura vtitur ad coquendum et ſuperandum morbum. Vti vero in omnibus, ita praecipue in pectoris morbis hoc prae- p. 224.
ceptum maximopere commendat, naturam, quo vergat, ducendam, non autem eidem, quocumque demum modo illud fiat, vim inferendam eſſe.

Paullo diutius forſan iuſto haeſimus in recenſione ſyſtematis Cl. Auctoris, quo pleniorem eiusdem notionem Lectoribus noſtris traderemus. Eo breviores eſſe poterimus in indicando altero tractatu, quippe qui idem eſt, quem olim Academia chirurgica praemio dignum iudicauit, quaeſtione *de charactere, ſpeciebus et curatione tumorum ſcrophuloſorum definiendis* propoſita, cuius ideo recenſionem alio iam tempore *) exhibuimus. Iam vero, cum non omnium ſit, comparare ſibi integram iſtam collectionem ſcriptorum, in quibus de praemio hoc obtinendo certatum eſt, laudabili conſilio ſeparatim hunc tractatum recudendum curauit Cl. Auctor, eumque priori diſſertationi de contextu celluloſo iunxit, ita tamen, vt numerus paginarum ſingularis ad ſingulam tractationem pertineat, adeoque, qui poſteriori indigeant, opus non habeant priorem ſimul coëmendi. Dicata eſt haec diſſertatio parenti ipſius, Cl. ANTONIO DE BORDEU, aquas Baredgienſes amplius quadraginta annos dirigenti, ſimulque noſocomii militaris in eodem oppido conditi praefecto; ipſique praemiſſa praefatio, in qua cura et ſolertia in aquis iſtis commodo publico vtilioribus reddendis enarratur et iuſtis laudibus extollitur.

*) Comm. noſtr. Vol. IX. p. 63. ſeqq.

IV.

OCTAVII NERUCCI Phil. et Med. in Senenſi Lyceo Medic. Theor. Profeſſ. hiſtoria febris epidemicae Senenſis ann. 1766 et 1767. Cui accedit oratio pro ſtudiorum inſtauratione. Senis 1767. apud Aloyſium et Benedictum Bindi. 8. pl. 5.

Aeſtate anni *1766* poſtquam, ſegetibus laete virentibus, repentina rubigo omnes propemodum ſuſtulerat fruges, quarum ſumma inopia homines miſere tenebantur, febris quaedam putrido biliosa, epidemica, maligna ab initio in noſocomio, paulo poſt per totam vrbem graſſari coepit, cuius natura inſimulque cauſſa proxima penſitatis et aliorum cum obſeruationibus collatis, methodum huic medendi et modum eius praecauendae Cl. Auctor tradit. Huic frugum inopiae accedebat et hoc, quod et vina, diu bene conſeruata, maximam partem hoc anno in doliis corrupta ſunt reperta. Id quod num eidem rubigini ſit tribuendum? aliis diiudicandum Noſter relinquit.

p. 2. Erat haec febris primum leuioribus ſtipata ſymptomatibus ita, vt praeter corporis laſſitudinem et nauſeam, fere omnibus communem, nihil haberent aegri, de quo primis ſeptem diebus conquererentur. Circa ſeptimum diem, petechialibus maculis aut exanthematibus aut miliaribus ſubito erumpentibus, augebatur febris cum ſymptomatibus, hypochondrii dextri grauis et ad tactum moleſta ſenſatio atque tenſio, ſingultus frequens, ſtranguria accedebant, aluus bilioſa et aeruginoſa cum lumbricis teretibus interdum emittebatur, interdum erat obſtructa, nec niſi clyſmatibus, reſpondebat. Sanguis e vena miſſus mollis et rutilans inueniebatur.

Cauſſa

Cauſſa huius morbi proxima eſt colluuies putrido bilioſa, in primis viis collecta et ad ſanguinem delata. Hanc diatheſin putridam Cl. Auctor ab eodem aeris vitio, quo infelix rubigo, deriuat; quod in defectu acidi vitriolici, in aere verſantis, cernitur, et a quo vegetabilium vegetatio et animalium vitae conſeruatio maximam partem ita oriri videtur, vt, aere ob illius acidi inopiam in alcaleſcentem naturam conuerſo, corpora omnia ad putridam hanc fermentationem ſuſcipiendam diſponantur. Quam ſuſpicionem eo magis fouet Noſter, quo coloratiorem et molliorem ſanguinem fere in omnibus inuenit, qui auctam ab alcaleſcente aere chyli ſanguificationem in pulmonibus indubitato prodit. Quomodo autem ab alcaleſcente aere augeri poſſit ſanguificatio, dum diſquirit Noſter, ſanguificationem chyli nec ab attritu, nec ab intima eius mixtione pendere, ſed in particularum ſpectari ſolutione, quae in eiusdem chyli compoſitionem potius, quam in continuitatem eius inducitur, aſſerit, docteque ſanguinem vt fluidum aggregatum et mixtum diſtinguit. Chylus enim, ex animali eductus, aceſcit et difficillime putreſcit, ſanguis e contrario facile in putredinem abit, minime vero aceſcit. Ex hoc phaenomeno colligit, acidum balſamicum, per ſanguificationem e chylo extractum, ſanguinis putredinem arcere et praecauere. Quamobrem conuerſio chyli in ſanguinem videtur Noſtro cerni in expoſita compoſitionis ſolutione, quatenus ex particulis, chylum conſtituentibus, eius portio acida extrahitur. Quemadmodum aer externus humida exſiccat corpora, ſic inſpiratus aer attrahit chyli, per pulmones transeuntis, acidam partem, qua exhalante, ſanguificationem fieri, indeque ab alcaleſcente aere ipſam ſanguificationem augeri et ita ab aerei acidi defectu contagioſos morbos oriri poſſe, et aliis conſentientibus, probat. p. 4.

p. 13. Praecipua ſeu proxima itaque horum putridorum morborum cauſſa, in aerei acidi defectu poſita et nonnullorum graecorum et latinorum Auctorum exemplis illuſtrata, ad alias occaſionales progreditur Noſter. Quibus adnumerat victum prauum, inediam, moerorem, nimium veneris exercitium, mittimus alias. Quamquam vero famem maligni et contagioſi ſequuntur morbi, vti morbi caſtrenſes militum ſunt, tamen ab eorum partibus non eſt Noſter, qui rentur has febres ſolummodo ab inedia proficiſci, cum et diuites, hoc neutiquam preſſi defectu, nec vllis vitae commodis deſtituti, in hos morbos inciderint.

p. 17. Non aequabant in omnibus morbi vis, progreſſus, duratio et finis. Temperamento bilioſo praediti anteaque hepatis vitio laborantes morti erant proximi. Abſceſſu enim gangraenoſo apud horum plurimos in oſſis ſacri formato regione poſt decimum quartum diem morbus recte iudicabatur; vrina vero turbida graueolens, ſudores totius corporis, aluus bilioſa, abſceſſus ad parotidem imperfectam ſubminiſtrabant criſin. Defuncti vero hepatis vel ſtomachi vel inteſtinorum, inprimis tenuium vel pulmonum inflammatione, metaſtaſi ab hepate ad pectus ſubito facta, interimebantur. Interdum autem in cadaueribus ventriculus et inteſtina, putrida bile lumbricisque ſine vllo internae inflammationis veſtigio repleta, inueniebantur. Pauci, ictero accedente, conualeſcebant et duo adoleſcentes haemorrhagia narium iuuabantur.

p. 18. His pertractatis, ad methodum his febribus medendi venit et a venaeſectione incipit. Quam non ſemper neceſſariam in hoc morbo cum aliis iudicat, ac ſi inſtituitur, primis morbi diebus atque magna cum circumſpectione eam ſuaſit. Quantum ea enim prodeſt morbis, ab inflammatoria ſanguinis diatheſi

atheſi pendentibus, tantum obeſt iis, qui a putrida humorum colluuie, ac inprimis quidem ab alcaleſcente bile, proficiſcuntur, ob horum ſangninem reſolutum et illorum ſanguinem denſum et craſſum. Non temere profecto Noſter venaeſectionibus, minus recte inſtitutis, et debilitatem aegrorum magis magisque augentibus, criſes imperfectas, quae ab Hippocraticis criſibus plane differunt, tribuit.

Venaeſectione itaque parum vel prorſus non a p. 25.
Noſtro adhibita, cum in primis viis, ac praecipue quidem in hepate morbi ſedem eſſe non dubitaret, laxantia anthiphlogiſtica cum clyſteribus, ex chamomillae floribus, nitro et melle compoſitis, cum magno fructu dedit, praemiſſis interdum vomitoriis ex ipecacuanha paratis. Qui enim ab initio vſque ad finem morbi alui deiectionibus, aeruginoſam bilem prodentibus, laborabant, facilius conualuerunt, nec tantam morbi vim ſunt paſſi, quantam ii qui, aliam experiebantur criſin. Olea e. c. amygdalarum dulcium et narcotica cum aliis prorſus reiicit. Caeterum, diaeta animali plane repudiata, victum vegetabilem ſuaſit et propinatis antiſepticis remediis, e. c. radice ſerpentariae Virginianae, herba ſcordii, chamemaeli floribus et cortice Peruuiano, adhibuit interdum ſemen ſantonici ad vermes expellendos, nec non ad ſedandum pulueres ex nitro camphora et ſuccino albo. Ad vires ſuſtentandas praefert in hoc morbo hauſtum vini generoſi omnibus cardiacis et commendat aeris liberioris acceſſum et ſtragulorum induſiorumque munditiem.

Nec raro, relictis ſcybalis et corrupta bile, tu- p. 35.
mor tympaniticus cum ſingultu atque cum et ſine vrinae ſuppreſſione apparebat. Qui vrinae ſuppreſſione laborabant, omnes propemodum interierunt, qui vero absque ea tympaniticum tantummodo habebant tumorem, externo aeque ac interno aquae gelidae vſu ab hoc tumore breui ſunt liberati.

Tan-

p. 39. Tandem de reuerſione huius morbi quaedam addit. Ex quibus haec duo potiſſimum notamus, febrem tertianam, epidemice graſſantem, huius morbi acerbitatem multum imminuiſſe ipſumque, non ſeſe, vlterius ventris fluxu ſoluiſſe, ſed per ſudorem finiiſſe. Ad eum praecauendum laudat acida vegetabilia ac mineralia.

p. 45. Huic tractationi annexa eſt oratio de moderatione ingeniorum in diſciplinarum ſtudiis, in qua oſtenditur, quantum detrimenti in omnibus omnino diſciplinis ſemper attulerunt et quantum quotidie adhuc iis officiunt quaedam fictae a phantaſia potius, quam a recta ratione ſtabilitae hypotheſes, quae literis maximo ſunt impedimento.

V.

Abhandlung über eine beträchtliche Anzahl Erdarten, aus Sr. Majeſtät deutſchen Landen etc: und von derſelben Gebrauch, für den Landwirth. Auf Befehl der Königl. Churfürſtl. Cammer dem Druck übergeben. Hannover, bey Iohann Chriſtoph Richter. 1769. 8. *Pl.* 20.

h. e.

Tractatus de pluribus terris, quae in germanicis Regis Angliae prouinciis reperiuntur, deque vſu earundem, in commodum eorum, qui rem oeconomicam exercent, conſcriptus. Iuſſu Camerae Regio Electoralis typis mandatus.

Auctor huius libelli peritiſſimus ille Hanoueranus pharmacopoeus, Cl. ANDREAE, tractatum hunc in ſectiones ſeptem diuidit, quarum prima modum terras diſquirendi tradit; altera de corporibus, quae

quae terris iſtis immixta ſunt, agit; tertia tercentum fere terrarum ſpecies earumque partes contentas deſcribit; quarta characteres et diuiſiones terrarum variarum, nec non nomina earundem definita vna cum tabula generali et inſtructione, terras in vſum agriculturae impendendi exhibet; quinta vſum terrarum, quatenus eundem nonnullae praefecturae regiae electorales indicarunt, commemorat; ſexta ſummam ſcriptorum quorundam, quae de vſu ac vtilitate margae agunt, vna cum animaduerſionibus Cl. Auctoris communicat; ſeptima demum de terris, quatenus aliis vſibus, praeter oeconomicum, inſeruiunt, agit. Ex his nonnulla hinc inde decerpere liceat.

Colores terrarum, vt oſtendit Noſter, particu- p. 1.
las martiales plerumque ineſſe, ſignum dant, licet non negandum ſit, terris etiam, quae nullum colorem exhibent, interdum partes martiales inhaerere. Ad figuram terrarum attendens, Noſter notat, eam flocci pendendam non eſſe: ſic enim tophum fiſtuloſum, indolis calcareae, ſoli ſeu terrae ſolidae compactae cohaeſionem melius imminuere, quam lapidem calcareum vulgarem, autumat. Terra, tactu pinguis, vel macra vel aſpera oſtendit, vtrum argillaceae, an calcareae vel arenoſae indolis ſit. Durities et pondus itidem attendenda ſunt: quo durior enim et ponderoſior marga eſt, eo minor quantitas eiusdem ad emendandos agros requiritur. Ad ſaporem et odorem vix adeo reſpicit Noſter; id vero perquiſiuit, an terrae lapidisue ſpecies citius vel tardius in aqua dilabantur. Ex repentina enim comminutione coniicit, non opus eſſe, vt eiuſmodi terra, quae aratris ſubigenda eſt, diu ante in agros devehatur, quod tamen ſuadet, ſi terra tarde in aqua dilabitur, quo eadem aëri diu expoſita, ſenſim ſenſimque ob ſolis, pluuiae et frigoris actionem dehiſ-

cat;

cat; ſicque ad vſum praeparetur. Terras praeterea, quas diſquiſiuit Noſter, olea, terrarum fulloniarum more, attraxiſſe, neque eadem in aqua reddidiſſe, neque etiam phlogiſton, neque ſalia exhibuiſſe, perhibet.

p. 9. His praemiſſis, notat Noſter, in terris, quibuscum examen inſtituit, ſe reperiſſe terram calcaream, partes martiales, gypſum, terram argillaceam et arenam. Vt autem de his partibus certior quis fieret, primo ſpiritum ſalis adfundere, factae ſolutioni lixiuium alcalinum addere, ſuadet: ſic enim terra calcarea praecipitatur. In eandem poſthac ſolutionem puluerem gallarum indere, praecipit, vt ex oborto colore rubro particulae martiales manifeſtentur. Quod ſolutionem cum ſpiritu ſalis reſpuit, cum ſolutione alcalina coqui iubet, quo ex tartaro vitriolato, per euaporationem obtento, gypſum ineſſe, cognoſcatur. Quod adhuc reſtitit, aquae ope elutriari iubet. Hoc enim modo argillam et arenam ſeparari, et argillam ex tenacitate, lubricitate et induratione per ignem, arenam vero, ſi tactu diſquiratur, ex aſperitate, ſique cum ſale alcalino per ignem fundatur, ex vitreſcibilitate cognoſci, conſtat.

p. 19. Corpora, quae terris admixta reperit Cl. Auctor, fuerunt ſpatum, oolites, tophus, glacies mariae, ſelenites, mica, dendrites. Spatum Noſter pro lapide calcareo depurato habet, qui ab aqua ſolutus, in rimis ac fiſſuris lapidum calcareorum concreſcit. Si vero aqua, particulis calcareis impraegnata, in cauernis maioribus, guttatim per earum rimas transſtillet et exuaporando exſiccetur, ſtalactiten oriri; ſique per ſtrata arenae vel argillae macrae fluat minores particulas obducendo, ooliten producere; ſique demum eiusmodi aqua, terrae ſuperficiem inundet, ibidemque aut ramulis, aut radicibus, aut foliis cet. accreſcat: tophum formare eam autumat.

Micam

Micam Noſter ab argilla originem duxiſſe, pingui tamen et tenaci indole orbatam, aſſerit.

In tertia ſectione tercentum fere ſpecies terrarum lapidumue, in Electoratu Hanouerano reperiundorum, deſcribuntur, de quibus autem, cum nos non tangant, nihil communicamus. p. 23.

In ſectione quarta terras definit Noſter et inprimis ad margam attendit. *Marga* Ei dicitur, ſi partes aequales calcis et argillae inter ſe inuicem mixtae ſunt, miſcela *margae calcareae* nomen accipit, ſi tres partes calcis ad vnam argillae ſunt, ſin vero tres partes argillae ad vnam partem calcis ſunt, miſcela *marga argillacea* vocatur. Si ad tres partes margae vel margae calcareae, vel margae argillaceae vna pars gypſi eſt, *marga gypſea*, vel *gypſeo calcarea*, vel *gypſeo argillacea* vocatur. Pari quoque ratione marga *arenacea*, vel *arenaceo calcarea*, vel *arenaceo argillacea* dicitur, ſi vna pars arenae admixta eſt. Quodſi vero partes aequales arenae et margae inter ſe inuicem mixtae ſunt, marga haec ad diſtinctionem *margae arenaceae* a Cl. Auctore *Sandmergel* vocatur. Quódſi demum vltra tres partes calcis cum argilla commixtae ſunt, miſcela haec margae nomen non accipit, ſed *calx argillacea* vocatur et vice verſa, ſi vltra tres partes argillae ad calcem admixtae ſunt, miſcela *argillae calcareae* nomen habet. Idem quoque de arena dicitur, v. g. *arena calcareo argillacea* vocatur, ſi maior copia argillae, quam calcis cum arena commixta eſt. p. 204.

Quod ad vſum harum terrarum attinet, ad corrigendum ſolum ponderoſum, frigidum et humidum calx laudatur, quo cohaeſio ſoli imminuatur, ipſumque ſolum calidius reddatur et exſiccetur, herbae autem inutiles impediantur. Similes fere affectus, debiliores tamen, edere dicitur marga calcarea eiusque varietates, hisque debiliores a marga eiusque p. 208.

varieta-

varietatibus et debiliſſimos ab arena prouenire, Noſter aſſerit. Ad corrigendum ſolum leue et aridum et ad augendam eiusdem denſitatem indolemque frigidam humidamue marga argillacea eiusque varietates, marga ipſa cum varietatibus ſuis commendatur. Argilla autem effectus magis exiguos vel ſaltem tardiores edere dicitur.

p. 210. In ſectione quinta communicat Cl. Auctor relationes praefecturarum, quae de vſu terrarum in corrigendis agris pratisque exponunt, de quibus autem nihil decerpere licuit.

p. 247. In ſectione ſexta nonnulli libri, de marga agentes, recenſentur, eorumque ſumma traditur. Recenſentur nimirum 1) *commentatio* Cl. SEIP *de marga*, in tertia, quarta et quinta parte collectionum vtilium, quae Hanouerae prodierunt, reperiunda; 2) *commentatio de marga eiusque vſu*, in parte 17. 18 et 19. Nouellarum Altonauienſium anni 1769 reperiunda; 3) nonnullae obſeruationes de marga in *muſeo ruſtico et commerciali*, quod anno 1764 Londini prodiit; 4) BURMESTERI *diſſertationes duae de marga eiusque hiſtoria naturali et vſu oeconomico*, Londini 1754 impreſſae; 5) tandem ea, quae in *agriculturae fundamentis chemicis*, Auctore I. G. WALLERIO, Vpſaliae 1761 occurrunt.

p. 287. In ſectione ſeptima oſtendit Cl. Auctor, quaenam emolumenta praeter oeconomica a deſcriptis terris exſpectanda ſint. Sic nonnullas terras argillaceas, ſi aëri exponantur, vel ante expoſitionem cum ſulphure calcinentur, ad producendum alumen; alias calcareas, ſi calcinentur et cum argilla vulgari miſceantur, ad generandum nitrum; alias ad calcis viuae gypſique calcinationem vtiles deprehendi, alias argillaceas fullonibus inſeruire poſſe; alias itidem argillaceas, ſi cum ſilicibus calcinatis, vel arena miſceantur, ad effingenda vaſa figulina varia, aliasque demum in vſum pictorum adhiberi poſſe, autumat.

VI.

VI.

ALBERTI V. HALLER hiſtoria ſtirpium indigenarum Heluetiae inchoata. To. I. II. III. Bernae ſumpt: Societ: typographicae 1768. fol. Praefat. et praemitt. pagg. 58. To. I. pagg. 444. To. II. pagg. 323. To. III. cum addendis et indice pagg. 204. tab. aen. 48.

Helueticarum ſtirpium enumeratio, quam Ill. Auctor, an. 1742 edidit, non mutato tantum titulo, auctior, ſed nouum potius, omnique ex parte perfectiſſimum opus et hinc Helueticarum plantarum hiſtoria abſoluta potius quam inchoata prodiit, ita, vt prius opus huic fundamenti loco quidem, aſt multis modis locupletatum mutatumque fuerit; id quod ex comparatione vtriusque ſatis et abunde patebit. Antequam vero hanc ſpecialius inſtituamus, quaedam ex praefatione repetamus.

Quae de Heluetia et inprimis Alpium ſitu et naturalibus donis accurate expoſuit Ill. Auctor, cum ad nos preſſe non pertineant, lubenter omittimus et modo monemus, Heluetiam pene omnes regiones, ab vltima Lapponia et Spizbergia ad ipſam vſque Hiſpaniam repraeſentare, et hinc in exiguo ſpatio numeroſiores plantas exhibere, quam ea regna, quorum catalogos herbariorum hactenus accepimus; et tamen magna pars Heluetia diuitias ſuas nondum aperuit, et ex auſtrali ac boreali parte, ex alpibus Rhaeticis aliisque, ex Italiae vicinis tractibus, illisque, qui circa lacus Tranſalpinos ſiti ſunt, vt Lugani, ex Turgouia, agro Solodorenſi, Friburgenſi e. ſ. p. noua et vberrima meſſis reportanda eſſet, ſi et has regiones botanices periti viſitare vellent atque poſſent. Cum itaque tanta ſit Heluetia in producendis plantis felicitas, plures omni tempo-

re exſtiterunt viri, qui in haec naturae dona inquiſiverunt. Hos omnes chronologico ordine recenſuit, cuilibetque laudes et merita ſua tribuit Ill. Auctor et, BRUNFELSIO, RHELLICANO, et TRAGO nominatis, C. GESNERUM principem ſtirpium Helueticarum Auctorem cognouit, eiusque labores copioſius deſcripſit et denique dixit: *neque multa poſteris addenda reliquiſſet, neque* CLUSIUS *vnquam tot alpinarum ſtirpium detectarum gloria inclaruiſſet, niſi* GESNERI *codices intercidiſſent;* addidit his ARETIUM aliosque, a BAUHINORUM autem obitu ad SCHEUCHZEROS parciſſimos Heluetiorum in re herbaria labores inuenit. Poſtea coaetaneos ſuos commemorauit, qui ſunt: CAPPELER, BENEDICT STAEHELINUS, de quo ſcripſit: *candidiſſima anima, ſui commodi negligens, totus inquirendis rei naturalis theſauris addictus; in ſtirpibus, per patriam ſuam detegendis adeo felix Eius induſtria fuit, vt a* VAILLANTIO *pro prodigio ſit habitus*, etc. ſuccedit EMANUEL KOENIG, IOH. GESNERUS, LE CLERC, DUVERNOI, HUBERUS, HOFERUS, GAGNEBIN, MIEGIUS, DE SAUSSURE, WARNERUS DE LA CHENAL, SCHINZIUS, DICKIUS, DE COPPET, CLARET, NEUHAUS, TRIBOLET, POTT, et RICOU, qui omnes ad hoc opus aliquid contulerunt; immo ſyluarum cuſtodes, quos etiam nominauit, alpes occidentales, et loca, hominibus literatis inacceſſa, adierunt, plurimasque pulcherrimas plantas inde reportarunt et Auctori tradiderunt. Denique de ſe ipſo dicit Ill. Auctor, deque illis laboribus, per quos ſtuduit perfectiſſimum hoc opus colligere, cuius prima initia 1728 fecit et ad annum vſque 1761 continuauit, cumque non ſperaret, in patriam reuerſurum eſſe, 1742 enumerationem edidit, aſt poſtea inſigni contentione et labore in ſupplendis indigenis plan-

plantis laborauit, vt per propria alienaue itinera pene omnes viderit, ab aliis nominatas, atque trecentas et quinquaginta ab Eodem primo fere detectas addere potuerit. Hinc numerus omnium eſt 2486, inter quas 1674 flore perfecto, ſiue ſtaminibus veris, reliquae flore imperfecto, ſiue ſtaminibus deſtitutis praeditae.

Non ſolum autem de augendo plantarum numero ſollicitus fuit, ſed etiam characteres emendauit, genera maiora in ordinem redegit, nomina ſpecifica fere vbique noua fecit et multis modis hiſtoriam hanc et vniuerſam rem herbariam locupletauit. De quibus nunc ſpecialius agamus. Perfectionem methodi in eo poſitam eſſe, dudum declarauit Ill. Auctor, vt ſimiles plantae cum ſimilibus ponantur, diſſimiles ſeparentur, hinc et nunc neque ex ſexus ratione ſimillimas plantas ſeparauit, gramina aliasque claſſes naturales lacerauit, neque ob vnicam aliquam notam plantam, caeterum ſimiles, diuulſit, et in ordinibus conſtituendis numero proportionem praetulit. Has, a ſe Ipſo ſancitas leges, in priori quidem opere iamiam obſeruauit, attamen methodum ſuam in multis mutauit, emendauit et ad maiorem perfectionis gradum perduxit. Ita plantas inuerſo ordine nunc recenſuit et, flore compoſito praeditae, quae in priori opere vltimum occupabant locum, nunc primum acceperunt; ita et plantae, ad eandem claſſem pertinentes, eodem plerumque modo tranſpoſitae fuerunt, vt e. gr. *verbena*, quae vltima in ſua claſſe erat, nunc facta fuerit prima. Plures, antea ad apetalas relatas, nunc petaloideis adpoſuit, vt eſt *Fraxinus*, de quo ſcribit: *cum* To. I. *in aliis plantis ſubinde, neque perpetuo petalis deſtitu-* p. 228. *tis, genus et claſſis a petalis ſumatur, vt in Portula,* DILL. *etiam Fraxinum inter petaloideas ſtirpes repono, etſi noſtra ſpecies petala nulla fert:* porro *Stella-*

 ria,

ria, *Rhamnus* cum *Frangula*, *Vitis*, *Hedera*, *Potamogetton* et aliae. *Cruciatas* nunc finit *Trapa*. Claſſis ſexta, *Iſoſtemones*, omnium maxima eſt, huiusque plantae fere omnes aliter fuerunt diſpoſitae; iuvabit huius breuem indicem appoſuiſſe. Sunt itaque *Iſoſtemones*

1. Polypetalae flore difformi, *impatiens*, *viola*.
2. Dicarpae, *aſclepias*, *peruinca*.
3. Cucurbitaceae, *bryonia*.
4. Solanaceae, *ſolanum*, *phyſalis*, *mandragora*, *belladonna*, *hyoſcyamus*, *verbaſcum*, *ſtramonium*.
5. Aſperifoliae, *cynogloſſum*, *ſcorpiurus*, *heliotropium* etc.
6. Vaſculiferae
   a) vniloculares, *primula*, *aretia*, *androſace*, *anagallis* etc.
   b) biloculares, *cuſcuta*, *plantago*.
   c) triloculares, *conuoluulus*, *polemonium*.
   d) quinqueloculares, *azalea*.
   e) fructu molli, *aquifolium*.
7. Coronatae, *opulus*, *viburnum*, *ſambucus*, *caprifolium*, *rapunculus*, *campanula*, *pimpinella*, *ſamolus*.
8. Stellatae, *rubia*, *galium* etc.
9. Vmbelliferae, *eryngium* et reliquae.
10. Epicarpiae, *circaea*, *ribes*.
11. Pericarpiae
    a) fructu molli, *rhamnus*, *vitis*, *hedera*, *rhus*, *berberis*, *euonymus*.
    b) fructu ſicco, *ſtaphylaea*, *parnaſſia*, *rorella*, *ſtatice*, *linum*, *telephium*, *corrigiola*, *potamogetton*.
12. Calyciflorae, *ſalicaria*, *peplis*.

Cum autem integram tabulam ordinum et generum, quam Ill. Auctor operi praemiſit, hic repetere non poſſimus, claſſes tamen et ita methodi Halleria-

lerianae fundamentum adhuc addamus. Sunt itaque plantae Claſſis I. flore compoſito, II. didynamiae, III. difformes polypetalae ſeu papilionaceae. IV. cruciatae. V. meioſtemones. VI. iſoſtemones. VII. diploſtemones. VIII. polyſtemones. IX. liliaceae. X. ſatyria. XI. ſpathaceae. XII. gramineae. XIII. apetalae. XIV. caulifoliae. XV. epiphylloſpermae. XVI. muſci. XVII. lichenes. XVIII. filamentaceae. XIX. fungi.

Ratione generum magnam porro animaduertimus vtriusque operis differentiam; de his Ill. Auctor ita ſcribit: *genera magis et magis ſentio plurima* Praef. *artificialia eſſe, neque vllam legem dari, ex qua defi-* p. 22. *nias, quantum diſcriminis ad duo genera ſeparanda ſufficiat. In iis ergo aliquam iudicii mediocritatem ſeruavi, vt* LINNAEUM *ſaepe ſecutum, deſererem, ſi quando non ſatis certae notae mihi ſeſe offerrent, ex quibus affines ſpecies ſepararem. Minutiis, nectariis, punctis, ſetis minus tribui.* Quo itaque genera, nunc ab Ill. Viro aſſumta, innoteſcant clarius, plurima, ſi non omnia, proferamus, quae reſpectu prioris operis vel mutata, vel nouiter conſtituta, vel etiam accuratius definita fuerunt.

Hyoſerin ad *lapſanam* reduxit, et ſemina nuda To. I. pro charactere aſſumſit; *rhagadiolum* autem ſemini- p. 3. bus, in eodem flore centralibus, pappo coronatis, et radialibus nudis ſeparauit. *Taraxaci* difficile ge- p. 23. nus, vt ſimplicius redderetur, ſeparauit ab eo quae plumoſo pappo ſunt et quae facile cum *picride* manere poſſunt, ac calicem foliis imis reflexis, pappumque ex ſtylo pro nota conſeruauit. *Doronici* et *ar-* p. 36. *nicae* genus conſeruauit denuo; *doronico* calicem in duos foliorum ordines dilatatum et ſemifloſculorum ſemina non papppoſa, floſculorum autem pappo coronata; *arnicae* ſimilem quidem calicem, aſt omnia ſemina, pappo coronata, tribuit; ſcripſitque: LIN-

NAEUS *neſcio, quomodo nomina inuertit et veras arnicas ex ſua definitione doronica vocauit, cumque iſta ſpecie reliquit, cui euidenter character eſt doronici noſtri, a radiorum ſeminibus nudis petitus. Filamenta quinque in tubo florali non potui in ſiccis reperire, cum accurate in arnica officinali inquirerem, niſi quinque linearum originem velis, quae in petalum continuantur.*

p. 53. *Bellidaſtrum* edit. I. nunc *arnicae* fecit ſpeciem. *Abſinthium* ab *artemiſia*, vt in H. Goett. fecerat, denuo diſtinguit lanata placenta, et cum haec *andryalae* characterem conſtituat, cur non etiam *abſinthii?*

p. 58. *Carpeſium*, antea ad *tanacetum* relatum, pro peculia-

p. 63. ri genere aſſumſit. *Gnaphalium* et *filaginem* LINN. vltimo ſeruato nomine, coniunxit, nec enim ſexum, nec calicis figuram conſtantem eſſe et plura LINNAEI *gnaphalia* calicem acutum habere, monuit. Omnibus ſpeciebus commune eſt, diductis foliis fila

p. 69. agere. *Centaurium*, nouum genus, quo retulit plantas, calicis foliis ſimplicibus ſubrotundis non ſpinoſis, qualia quidem habent *rhapontica* VAILL. ſed ea radiato flore differunt. Conſtituit genus *centaurea rhapontica* LINN. et cum haec in officinis idem

p. 71. nomen gerat, illud quoque retinuit. Sub *carduo* ſpecies pleraſque *cardui* et aliquas *lappae* et *ſerratulae* LINN. comprehendit, ac in receptaculo ſetas, inque ſemine pappum et ſquamas calicinas ſimplices ſine erecto, pro charactere elegit. Alias *cardui*

p. 73. et *ſerratulae* LINN. ſpecies *cirſium* continet, pappo plumoſo a *carduo* diſtinctum. Monuit etiam: *a ſpinis characterem ſumere non licet, quae per lentos gradus decreſcant, et pleraque cirſia in calice tomentum habent, alia parcum, alia vberius. Arctium perſonata* et *ſerratula tinctorum* LINN. factae ſunt *cardui* ſpecies et de vltima dixit: DILLENIUS *ſerratulae genus ex ſquamis calicis appreſſis, cuſpidatis conſtituit,* EUM LINNAEUS *ſecutus ob cylindricum florem*

et

et nudum receptaculum; GMELINUS *ob nudum re-*
ceptaculum ſeparabat; mihi cylindrica figura floris vari-
abilis, neque reliquae notae certiores videntur; nam ſer-
ratulae tinctorum receptaculum ſetis diſtinguitur. Ser- app.
ratulae autem nomen nouo generi impoſuit, vel To. III.
rhaponticoides VAILL. quae *centaurea crupina* p. 183.
LINN. eodem inſigniuit, eidemque tribuit folia ca-
licina lanceolata, absque appendice, qualia ſunt in
ſerratula, *cardui* ſpecie. *Iaceae* quoque nouum ge-
nus, ex noua planta, cum *centaurea nigra* hactenus p. 80.
confuſa, dixitque: *hoc nomen, quod in libris botanico-*
rum vacat, impertior plantis calice inermi ciliato, qua-
les ſunt cyani ſquamae, ſed omnibus floſculis fertilibus.
Cyanum, *calcitrapam* et *rhaponticum* porro retinuit, ib.
et aſſerit: *nobis non magis videtur iuſtum, has plan-*
tas, calice diuerſiſſimas, in vnum congregare, quam
carduos, lappas, cirſia, carlinas, quae ſint floſculis
omnibus androgynis. Aſterocephalum cum *ſucciſa* p. 88.
nunc coniunxit, quae antea diſtinguebat, et *pule-* p. 97.
gium ad *mentham* reduxit, poſtquam agnouit, et dif-
formem florem eſſe, et galeam leuiter emarginatam
et calicem quinquefidum; *ſtachyden aruenſem* autem p. 100.
pro ſingulari genere exhibuit nomine *trixago*, et
ſcripſit: *ſtachydis genus, valde alioquin arbitrarium,*
his plantis liberamus, quae a mentha modice differant:
labium ſuperius multo breuius ſubrotundum, parum ſub-
rectum, integrum, figura floris magis bilabiata, barba
recta, protenſa, tripartita, medio ſegmento latiori, non,
vt in ſtachyde, emarginato; calix campaniformis, in
fauce villoſus, profunde quinquedentatus, obſcurius bi-
labiatus, dentibus ariſtatis, tribus ſuperioribus ſurſum
reflexis, duobus inferioribus rectis, tubus exiguus, ca-
lice breuior. Sideritidem a *betonica* nullo modo ſepa- p. 114.
rare potuit, hinc coniunxit et definiuit calice bila-
biato, galea adſurgente, ſuperne contracta vndula-
ta, etiam inciſa, alias integra, etiam ſerrata; barba

p. 182. trifida, medio ſegmento emarginato. *Eruum* et *lentem* ſeparatim conſeruauit, nonnullas vero *erui* LINN. ſpecies ad *viciam* amandauit; in hac enim claſſe, cuius pars princeps fructus eſt, neque calicem fructui praeferre et ob ſolum calicem *lentem* et quasdam *vicias eruo* adiungere, neque ad ſtigma reſpicere voluit Ill. Auctor. *Eruo*, quorſum *eruilia* LINN. ſiliquam tetraſpermam, ob ſemina tumentia quaſi articulatam; *lenti*, quae *eruum lens* LINN. ſiliquam latam diſpermam, et *viciae* ſiliquam longam teretem vel compreſſam, ſeminibus modice in tumo-
p. 191. rem ſiliquam eleuantibus, tribuit. *Aphacam* nunc
p. 198. quoque *lathyri* fecit ſpeciem. *Eruca*, proprium genus, de quo ita: *antiquum nomen viſum eſt reſtituere plantis, quae calice fere erecto ſunt, glandulas habent quatuor, duas circa ſtamen breuius, duas inter longiora ſtamina et germen, et quarum ſiliquae, teretes aut tetragonae, cornu deſtituuntur, in quo ſinapi ſit character et braſſicae, etſi enim ſtylus aliquis de ſumma ſiliqua prodit, non ideo cornu eſt.* Huc itaque retulit: *braſſicam campeſtrem, et erucaſtrum, ſiſymbrium ſtrictiſſimum, tanacetifolium, tenuifolium, et arenoſum* LINN. Etiam *ſiſymbrium* BARRELIERII *et ſylueſtre* LINN. huc pertinebunt, eruntque varietates modo *braſſicae erucaſtri*, quam Ill. Auctor nominat *erucam caule hirto, foliis hirſutis ſemipinnatis, pinnis ſubrotundo dentatis.* Planta namque BARRELIERII in horto culta quatuor glandulas habet et *ſiſymbrium ſylueſtre*, *braſſicae erucaſtri* ſimillimum, perhumile, vix quatuor vnciarum vidit. *Eruca* e contrario edit. I. p. 553. propoſita, quae eſt *braſſica eruca* LINN.
p. 201. nunc facta fuit *ſinapi foliis radicalibus pinnatis, hirſutie incanis, ſiliqua cornu ſuo breuiori.* *Eryſimum*
p. 207. antea cum *ſiſymbrio* combinatum, nunc quidem reſtituit, aſt monuit: *genus eſſe artificiale non bonum, calicis foliola minus deorſum gibba, florem minus caryo-*

phyl-

phylleum, *glandulas modo duas ad vtrumque latus ſtaminis minoris*, *modo inter maiora duas*, *duas circa minora; ſed eae minutiae non videntur genera dare vtilia; ſiliqua quadrangula in nonnullis*, *in aliis teres; nobis a ſiſymbrio glandulis differt, ab heſperide calice. Radicula* DILL. ob fructum, vt partem principem, cum *ſiſymbrio* ſtare nequit, is enim breuiſſimus eſt, erectus, teres, non curuus, obtuſus, vt paulum toris ſeminum ab *alyſſo* differat; hinc genus hoc reſtaurauit et ad illud *ſiſymbria* tria priora edit. I. p. 548, ſiue *ſiſymbrium amphibium* LINN. reduxit. LINNAEUS enim ex tribus illis Hallerianis ſpeciebus vnam fecit, nunc autem HALLERUS No. 1. et 2. quidem combinauit nomine *radiculae foliis integris aut pinnatifidis*, *petalis calice longioribus*, tertiam vero, habitu proſtrato et flore exiguo diuerſam, conſeruauit nomine *radiculae foliis pinnatis*, *pinnis dentatis*, *petalis calice breuioribus*. In *naſturtio* praeter *thlaſpi* et *lepidii* ſpecies etiam *cochleariam* LINN. coniunxit et aſſerit: *difficillimam harum plantarum eſſe diſtinctionem, vt etiam aliam viam, quam olim,* LINNAEUS *ingrediatur*, *et numerum ſeminum*, *quo vſus fuerat*, *nunc negligat. Mihi ſignum*, *a ſtylo deſumtum*, *ſufficere videtur*, *cum ſilicula latior*, *anguſtior*, *vel paulo magis turgida vel planior*, *non perinde videntur certa eſſe. Noſtro ergo naſturtio breuis ſtylus eſt*, *et calix deorſum non gibbus*, *petala aequalia*, *patula*, *ſiliquae valuae duae oblongae*, *ſemina vtrinque aliquot.* Plantas, *naſturtio* ſimiles, ſed longo ſtylo inſtructas, genere *lepidii* ſeparauit. A *myagro* alterum edit. I. p. 536. ſiue *paniculatum* LINN. remouit et genus *rapiſtri* nomine, cum TOURNEFORTIO inde conſtituit, fructumque rotundum monoſpermum, ſimili ſemine praeditum eidem tribuit. In *lyſimachiae* genere LINNAEUM quidem ſecutus fuit, et fructu, in decem valuas diuiſo, ab *anagallide* differre

p. 211. p. 217. p. 224. p. 278.

conceſſit, aſt in flore inſignem characteris diuerſitatem adeſſe ſimul monuit; ita in *lyſimachia nemorum* calix ad baſin diuiſus, ſegmentis acutis anguſtis, corollae ſegmenta ex rotundis lanceolata, ſubtiliter ſerrata, ſtaminum circulus barbatus breuiſſimus et fructus ouatus eſt; in *lyſimachia nummularia* ſtamina in circulum piloſum coaleſcunt, aſt calicis foliola cordata, baſi ampliori reduplicata habet et hac nota a reliquis ſpeciebus inſigniter differt; *lyſimachia vulgaris* calicis ſegmenta ouato lanceolata, ſtamina in tubum circa ſtylum coalita et ſtylum longe de flore eminentem; et *thyrſiflora* calicem ad baſin in peranguſta ſegmenta diuiſum, corollam exiguam, in graciles, pene ſubulatas lacinias profundiſſime ſectam et ſtamina cum tuba longe de tubo
p. 282. floris erumpentia oſtendit. *Gentianae* genus, vt antea, retinuit, addit autem: *multiforme eſt genus, neque tamen ſwertiam ſeparare licet, ob ſimilia fere ornamenta, quae ſunt in gentianis. Vaſtum tamen genus egeret diminutione; pneumonanthes* genus vix admitti poſſe, ex ſumma adfinitate cum *gentiana punctata* LINN., cuius ſtamina quoque in longis fila-
p. 296. mentis antheras coalitas ſuſtinent. De *aquifolio* nullam mutandi nominis cauſſam inuenit, floresque nec ſexu, nec petalorum numero variare, omnes potius, quas diſquiſiuit, eandem fabricam habere, aſſerit, vidit praeterea bicollem cum ſtaminibus fructum ſuccreſcere, eumque polline ſeminali conſper-
p. 303. ſum eſſe. *Phyteuma* et *iaſione* LINN. *rapunculi* nomine coniunxit, etſi in priori petala ipſa in cornu conueniunt, in *iaſione* antherae et in *rapunculo* petala immatura in cylindrum circa tubam coëunt, non ita in *iaſione*, etſi antherae magis connatae ſunt in *iaſione*, in *rapunculo* magis vngues ſtaminum coaleſcunt, etſi denique in *iaſione* circa florale capitulum numeroſa folia in calicis communis ſpeciem colliguntur,

guntur, in *rapunculo* aliquanto minus euidenter,
nam et iſti plerique folia ouata ſub ſpica florali ha-
bent. Erit itaque *rapunculus* fructu bi-aut trilocu-
lari, coronato, calice quinquefolio et petalis quin-
que in origine ſua coaleſcentibus, plerumque, dum
flos immaturus eſt, in incurui tubuli ſpeciem circa
tubum coniunctis, poſtea reflexis et patulis. *Rubeo-* p. 319.
lam cum *aſperula* et *tordylii* ſpecies cum *caucalide* p. 323.
combinauit. Huic inuolucra ſunt varia, ſemina
aculeata et flores alii interiores mares aequalibus pe-
talis, alii exteriores androgyni maiores, inaequali
corolla praediti. In *tordylii* veris ſpeciebus ſemen
non aculeatum eſt et, ſi floſculi omnes fertiles chara-
cterem huius conſtituant, *tordylium latifolium*, quod
*caucalis foliis aſperis pinnatis, pinnis ſerratis, inuolu-
cris ouato lanceolatis* hic dicitur, certe eſſet ſeparan-
dum. Aſt dudum notauit Ill. Auctor, *tordylium* ſic-
cis locis meros flores mares gignere, in humidis an-
drogynos: ſpecies ſemine plano rotundo, ſint mar-
gine granulato vel laeui et petalis cordatis inaequa-
libus, nomine et genere tordylii conſeruauit. *Liba-* p. 361.
notis RIV. nec cum *ſelino*, nec *athamanta* coniungen- p. 325.
da et a *caucalide* villo ſeminis molli, a *dauco* inuolu-
cro non laciniato diuerſa, diſtinctum genus manſit.
Myrrhis, *ſcandix* et *chaerophyllum* genera ſunt valde p. 327.
quidem ſibi ſimilia, ſemine tamen in duo diſtin-
guenda; *chaerophyllo* ergo ſemina roſtrata non ſul-
cata, *myrrhidi* ſemina euidenter ſulcata tribuit, aſt
monuit Ipſe; conſultius eſſe et haec coniungere,
cum per *chaerophyllum aureum* confluunt *ſcandix an-
thriſcus* LINN. in edit. I. ad *chaerophyllum* relata,
nunc facta et dicta fuit *caucalis vaginis lanuginoſis,* p. 325.
folio triplicato pinnatis, ſeminibus roſtratis. Occaſio- p. 345.
ne *bupleuri falcati* monuit, hanc ſpeciem oſtendere,
ab inuolucris characterem ſumi non poſſe, modo
enim vtrumque inuolucri genus habet, modo vni-
cum,

eum, eaque integra, diuiſa, lata, acuta, omnimodo
p. 345. diuerſa. *Siſon* LINNAEI cum *ſio* coniunxit, et
p. 354. *cicutam viroſam* huc denuo reduxit. *Selinum*, *atha-*
mantam et *ſelinum* LINN. comprehendit et a *peuce-*
dano vix differt, niſi calicis proprii defectu, hinc et
p. 365. *peucedanum Alſaticum* huc reuocauit. *Frangulam*
rhamno adpoſuit et eſſentialem characterem ſumſit
a calice campaniformi, qui exigua petala producit;
ſubeſſe tamen diſcrimen monuit in calice erecto
campaniformi ſemiquinquefido, petalis rhomboideis
minimis, ex interuallis ſegmentorum calicis enatis,
tuba ſimplici et emarginata, ſexu coniuncto in eo-
p. 381. dem flore et bacca dipyrena. *Alſine*: nomine nunc
denuo omnia et ſeptem illa comprehendit LIN-
NAEI genera, ſcilicet *alſinem*, *arenariam*, *ſtellariam*,
ſpergulam, *ſaginam*, *moehringiam* et *holoſteum*: ſcri-
pſitque, *cum mihi methodus naturalis ſola placeat, non*
potui hoc genus diuellere, etſi enim aliqua commoditas
in hac diuiſione eſſe videtur, tamen non poteſt vllo mo-
do alſine tenuifolia ab altera ſimillima diuelli, quarum
vna penta- altera decaſtemon eſt. Ita genus alſines ex-
pungetur. Porro ſtellaria ab arenaria non magis dif-
fert, quam lychnides quadrifidae a bifidis, quas LIN-
NAEUS *coniunctas relinquit, aut drabae petalis inte-*
gris et bifidis. Spergula ab arenaria ob ſolas tubas
non videtur ſeparari poſſe, cum ſpergula ſegetalis, are-
nariae torfaceae nodoſae adeo ſimilis ſit. Tetrapetalam
alſinem fugacem a ſimillima alpina pentapetala ſeparare
non ſuſtinui, neque ob ſola ſtamina moehringiam a ſa-
gina, quare genus naturale cum TOURNEFORTIO
p. 393. *conſeruaui.* Genera, in quae *lychnides* diuiduntur,
artificialia quoque eſſe concedit, cum tamen facilli-
ma, eaque conſtanti nota diſtinguantur, hanc op-
portunitatem negligendam eſſe, Ipſi non videtur,
retinuit hinc *ſaponariam*, aſt eidem *gypſophilam* ad-
didit et in *viſcagine cucubalum* et *ſilenem* coniunxit;

priori

priori duas, poſteriori generi tres tubas pro charactere tribuit et addidit: LINNAEUS *plantis, quarum petala ſunt abſque auriculis nomen facit cucubali, auriculatis ſilenes; ſed cur ſaponarias a reliquis ſpeciebus ob eandem notam non ſeparat? cur non gentianas? et lychnidem alpinam veris auriculis deſtitutam et dioicam auriculis magnis ornatam? poteſtne veſicaria lychnis a been toto genere ſeparari? Agroſtemma* cum *lychnide* tubis quinque conuenit, et hinc Ill. Auctor nunc modo *ſaponariam*, *viſcaginem* et *lychnidem* retinuit. Ita et de *ſedi* genere priſtinam ſeruauit ſen- p. 408.
tentiam nec *ſemperuiuum* a *ſedo* ſeparare voluit; *nam neque ſimplicem ſtaminum numerum habet, neque deſtituitur nectariis Linnaeanis, neque licet ob numerum ſolum genera diuellere; glandulis ſquamisue multa ſeda carent, neque illa a ſemperuiuo abſunt;* et de *rhodiola* p. 411.
ſcripſit: *ſimilitudo ſumma non magis ſinit a ſedis remouere, quam valerianas, lychnidesue ſexu diſtinctas a reliquis. Tetralix* edit. I. p. 418. nunc *ericae* eſt p. 432.
ſpecies, eademque *ericam carneam* et *herbaceam* LINN. ſimul comprehendit, et priorem pro adulta planta, alteram pro hiberna iuniore flore habuit.

Oxycoccum quoque cum *vaccinio*, *helianthemum* p. 436.
cum *ciſto*, et *luteolam* cum *reſeda* coniunxit. *Meſpi-* T. II.
lum, *ſorbum*, et *crataegum* LINNAEI *meſpili* nomi- p. 2.
ne combinauit, fuerunt enim ex ſolo tubarum et ſe- p. 11.
minum numero ſeparata; omnibus eſt fructus bac- p. 30.
catus, absque cartilagineis loculis, in quibus ſemina nidulantur. *Fragariam* CRANZII nunc quoque p. 44.
aſſumſit, et eo nomine *fragariam*, *potentillam*, *tormentillam*, *ſibbaldiam* et *comarum* LINNAEI comprehendit, *quae*, vt dixit: *ipſa natura vetat ſeparari. Fragariam cum pentaphyllis retinet ſimillima eſculentae ſpecies ſterilis fructu ſicco; tormentillam ſolus petalorum numerus non poteſt auellere, neque ſtaminum numerus in ſibbaldia. Comari placenta carnoſa non plus valet,*

p. 60. *valet, quam in fragaria, neque minora petala. Atra-*
genen a *clematide* nunc ſeparauit; *ficariae* genus
nunc porro conſeruauit, cum calix triphyllus, peta-
la plura octona inuoluat, et in *ranunculo* idem folio-
rum calicis et petalorum numerus eſſet in omnibus
ſpeciebus quinarius; partium enim rationem plus
valere, quam ſquamarum minutias, hic iterum af-
p. 82. firmauit Ill. Auctor. *Trollium* ab *hellebori* ſpeciebus
nunc remouit, licet nec bonum nomen ſit, nec tu-
bulis cauis deſtituatur; petalis et ſiliquis numeroſis
p. 83. tantum differt. Ita et *iſopyri* et *antherici* Sui genus
88. conſeruauit, reliquas autem *antherici* LINN. ſpecies
p. 100. ad *phalangium* reduxit, de quo ſcripſit: *a ſcilla non*
video, vt diſtinguatur, ab ornithogalo poteſt ſtamini-
bus non triſulcis ſeparari; petala patula non poſſunt
p. 103. *inter characteres recipi. In ornithogalo* LINNAEUS
characterem ſtaminum excludit, ſed addit, initium petali
erectum eſſe, idemque perſiſtere; ea nota perobſcura eſt.
p. 120. *Muſcari* ad *hyacinthum* nunc retulit, licet enim co-
rolla differat, conſentit tamen vterque fructu, ex
tribus globis compoſito, tuba ſimplici, flore breuio-
ri, ſtaminibus etiam flore breuioribus; poros melli-
p. 123. feros reperire non potuit. *Leucoium* cum *galantho*,
propter ſummam in tota vtriusque plantae facie
ſimilitudinem, coniunctum reliquit. *Satyriorum*
p. 131. characteres et genera reformauit. Notemus nunc
modo ex ſtaminibus genera conſtituiſſe, horumque
quatuor ſtabiliuiſſe. *Orchis*, qua *orchis*, *ſatyrium* et
ophrydis ſpecies pleraeque vniuntur, duo habet ſta-
mina filamentis conſpicuis et in ſtaminibus proprii
cuculli exſtructi ſunt, in breui columna membrana-
cei, velo quaſi clauſi, quod fiſſum ſuo tempore, an-
theras dimittit; antherae non ſunt capſulae, ſed
filum conuolutum in globi ſpeciem, quod vndique
ſphaerulas ſpermaticas ſibi adnatas habet. *Epipactis*,
quorſum *helleborine*, *ophrys*, *nidus auis* et *limodorum*

TOURN-

TOURN. vel *ſerapias* et aliae *ophrydis* ſpecies LINN. reuocantur, ſtaminea columna ab *orchide* differt; ex germine ſcilicet firma, carnea, ſemicylindrica columna erigitur, quae gerit ſuperne ex filamento articulatum, fungoſum, ſubrotundum corpus, duabus foueis exſculptum, in quibus ſedent absque filamentis immerſae duae antherae, anterius ſibi propiores, poſterius remotiores, nunquam quicquam filamenti ſimile habentes, ſed velum, quo lacerato, tota cohaerens antherae maſſa exit. *Calceolus* TOURN. et pe- p. 158. talorum numero differt, et columna media, quam LINNAEUS tubam vocat, ab antheris eſt diſtincta et ad illius latera duo vngues ſolidi diuergentes, triangulares, ſub quorum ſingulo anthera ſeſſilis, transverſim lata, deorſum bilocularis, ſepto diuiſa haeret. *Corallorhiza* denique, a LINNAEO ad p. 159. *ophridem* relata, valde quidem adfinis eſt *epipactidi*, antheris quatuor autem diuerſiſſima. *Schoe-* p. 179. *num album* in edit. I. genere peculiari propoſuerat, quem nunc ad *ſcirpum* amandauit, et *ſchoeni* et *ſcirpi* ſpecies quasdam *mariſco* ſuo addidit; monuit etiam: *ſchoeni nomen non bonum eſſe, nimis ſimile ſchino et graece iuncum ſignificans.* In charactere etiam a LINNAEO receſſit, et in nulla *ſchoeni* ſpecie ſex petala reperit; immo aliquot ſpecies ita differunt, ne poſſint coniunctae manere. A *ſcirpo* ariſtarum defectu ſeparatur. *Cyperoidem* et *vluam* cum p. 182. *carice* coniunctas reliquit. In graminibus genera nunc aliqua ſuis nominibus inſigniuit et partim Linnaeana, partim noua adhibuit; in generum quoque conſtitutione frequenter ab aliis receſſit ſimpli- p. 201. ciſſimam ſecutus rationem, neque ſexu vſus fuit, cum maſculos verorum graminum flores fere eliſis et abortientibus ſeminibus floſculorum interiorum tribuat. *Phalaridem*, *oryzoides* dictam, cum MIEGIO Act. Helu. To. IV. p. 317. pro ſingulari gene-

re

re aſſumſit, et *homalocenchrum* quoque appellauit. Ex *andropogonis* illis ſpeciebus, quarum flores fertiles calicem nullum, ſteriles autem calicem bifolium habent, nouum genus conſtituit nomine *phoenix*, et
p. 203. ex *cenchro racemoſo* LINN. alterum *tragus* nomine; cuius characteres ſunt: locuſtae quadriflorae, cuique folliculo calix vniglumis, maximis et aſperis pilis ciliatus, mucronatus, in forte roſtrum productus, folliculus quisque biglumis, glumis inaequalibus, petala perexigua bina; vnus folliculorum plerumque imperfectus, imaginem tantum floris et gracile
p. 217. foliolum calicinum habet. *Seſleriam* SCOPOLI quoque retinuit, duasque ſpecies deſcripſit, a *cynoſuro* multum diuerſas, forte *poae* generi inſerendas. Calicem habent vniuerſalem bifolium aequalem mucronatum, glumam floralem exteriorem amplam compreſſam, mucronatam, tridentatam, quae in ſinu ſuo complectitur alteram glumam graciliorem obtuſius tridentatam. Dixit alteram ſpeciem, quae *cynoſurus coeruleus* LINN. eſt, *ſeſleriam locuſtis trifloris, imbricatis, flore tricorni,* alteram *ſeſleriam locuſtis quinquefloris diſtichis flore bidentato.* *Poam* et *brizam* LINN. combinauit, priori ſeruato nomine; a *feſtuca* quoque aegre ſeparari poſſe monuit. Ariſtae enim in vtraque et reperiuntur et deſunt, glumarum obtuſa figura in *poa* non perpetua eſt, et margo membranaceus ſiccus in *feſtucis* vulgo reperitur; vix ſupereſt, niſi habitus minus teres, perpetuo diſtichus, obtuſior. A *briza* nullo vero ſigno diſtinguitur. Locuſtae in his cordiformes, ſed *briza eragroſtis* lanceolatas habet, neque haec a *poa eragroſtis* diuelli poteſt, neque ab aliis diſtichis ſpeciebus. Addidit quoque huic generi muticas *agroſtidis* ſpecies LINN. vt *ſtoloniferam* et *capillarem*, easque generali nomine *poas monanthas* appellauit, vt et *muticas feſtucas*, hinc *feſtuca fluitans* LINN. eſt *poa*

locuſtis teretibus multifloris, glumis floralibus exterioribus truncatis, interioribus bifidis. Ita porro cum *auena* LINN. et *airae* genus et *agroſtidis* ariſtatas ſpecies coniunxit. Neque enim hic characterem a numero folliculorum ſumere voluit et *auenae* tribuit calicem biglumem mucronatum, non ariſtatum, folliculum biglumem, cuius ex dorſo ariſta prodit, quae flexa in alium ductum finitur. Inter *auenas* *dianthas*, *anthoxanthum odoratum* quoque repoſuit, dixitque *auenam diantham, folliculo villoſo, calicis glumis inaequalibus, altera de imo dorſo, altera de ſummo ariſtata.* *Hierocloe* GMELINI ſiue *holcus* *odoratus* LINN. *auenae* etiam facta eſt ſpecies. *Bromum* ariſta recta, quae ſub apice glumae floralis exterioris prodire ſolet, ab *auena* differre, aſſumſit quidem, aſt obſcurum diſcrimen eſſe cenſuit, cum aliqui *bromi*, quibus debiliores ariſtae ſunt, eas non obſcurius inflexas habeant, quam aliquae *auenae*. *Dactylis glomerata* LINN. fit *bromus locuſtis tetranthis faſciculatis imbricatis* et nouo hoc genere non egere monuit. Antiquum et characteriſticum, ab HEISTERO antea aſſumtum nomen, *digitaria*, plantis reddidit, quae adeo vehementer a Linnaeanis *panicis* abludunt, vt nullo modo eo referri poſſint; ſunt *panicum ſanguinale* et *dactylus*, habentque pro nota: receptaculum tritici, alternis ſcrobibus excauatum, ad quas applicantur floſculi petiolati, quorum calix biglumis lineatus, altera gluma parua mucronata, altera maiore lineata; ita mucronata, compreſſa, vniflora locuſta oritur, floſque durus, nitens, ſiccus, linea quaſi, non penetrante, diuiſus apparet, in cauea vndique clauſa ſemen haeret compreſſum. Diuiſionem in duas glumas nunquam ſatis potuit diſtinguere Ill. Auctor. De *panici* charactere haec tradidit: *primus calix fit duabus glumis ouatis inaequalibus, ſequitur folliculus ouatus, cui tertia gluma calici-*

p. 227. p. 231. p. 233. p. 235. p. 238. p. 244. p. 249.

na congruit et ſe adaptat, eſt vbi quarta gluma acce-dit; glumae florales duae cartilagineae, exterior hinc conuexa, inde caua ſemiouatis et altera ſimilis, hinc con-caua, inde plana, intra has duas glumas ſtamina ſunt et ſemen. Cl. MIEGIO, qui habet tertiam glumam
p. 256. pro floſculo imperfecto, adſentire non potuit. Qua-tuor TOURNEFORTII genera nunc cum LIN-NAEO *polygoni* nomine comprehendit et dixit: *Cum* LINNAEUS *omnia tentaſſet, glandulisque videret ſe vti non poſſe, denique de ſeparandis his generibus de-ſperauit et glandulis vti deſiit. Neque aliud conſilium vidi, quod ſequerer.* Glandulas tamen aliquo modo adhuc aeſtimauit et ſpecierum duos ordines fecit, quorum poſterior glandulis ornatas continet, prior
p. 263. eisdem deſtitutas. *Aphanem* nunc *alchimillae* ſpe-ciem fecit, *camphoratam vaginis piloſis* edit. I. p. 183.
p. 281. cum LINNAEO *polycnemum* dixit et ex *marſilea quadrifoliata*, a *natante* diuerſa, cum Cl. JUSSIEU genus conſtituit nomine *lemna*, cuius character *ficui* affinis eſt, calix ſcilicet clauſus, globoſus, hirſutus, continet flores vtriusque ſexus, feminei ſunt ſemina in loculis calicis, per ſepta diuiſis, nidulantia, ouata, ſtamina breuiſſimis filamentis ad baſin ſeminum po-
p. 298. nuntur. *Betulam* et *alnum* ſeparatim conſeruauit
p. 312. et vtriusque characteres copioſe expoſuit. *Abietem, pinum* et *laricem* vero *pini* nomine coniunxit. De
p. 319. *iunipero mare* notauit; nullo modo poſſe tres flores admitti, qui tribus antheris praediti ſint; ſed glu-mam quamlibet petiolatam, fungo ſimilem, triangu-lam, ad baſin adhaerentes habere antheras globoſas quatuor et quinque, raro tres paulo vero interius duas et tres alias abſconditas, vt numerus a tribus ad octo, raro ad nouem ludat.

T. III. p. 18. *Muſcorum* recenſioni generalem hiſtoriam prae-miſit et varia, quae circa eorum ſtructuram partim Ipſe obſeruauit, partim de SAUSSURE ſua ſolertia detexit,

detexit, accurate deſcripſit, quae omnia in opere ipſo debent legi; nos ad genera modo reſpiciamus. In his plerumque DILLENIUM ſecutus fuit, vbi vero proprias leges idem Cl. Vir deſeruit, ab Eodem Noſter ſeceſſit. Aſſumſit itaque *lycopodium* LINN. cumque eo quatuor, antea diſtincta, genera coniunxit quidem, aſt flores femineos denuo pro gemmulis agnouit. *Sphagnum* et *phaſcum* LINN. p. 23.
priori conſeruato nomine, combinauit, huicque generi tribuit veras capſulas, ſpongia plenas, ſuperne operculo obtuſo tectas, quod diſcedit et capſulam ampliter apertam relinquit, ciliorum autem corona et calyptra caret, eaque nota ab *hypno* et *bryo* diſtat.
In *hypno* capſula, calyptra, operculum et cilia adſunt p. 26.
et florigerae ſetae baſin vagina folioſa ſuſcipit, hinc
multa *brya*, quae, licet habitum erectum parum ra- p. 36.
moſum oſtendunt, attamen ſetas, ex vaginis prodeuntes, habent, huc reduxit et generali titulo *hypna*
bryodea dixit; nec in *fontinali* DILL. verum ab p. 40.
hypno diſcrimen reperire potuit, petiolumque breuem quidem, aſt aliquem adeſſe inuenit, hinc et hoc
genus plane omiſit. In *bryo* LINNAEUM ſequi p. 42.
voluit et aliquas *mnii* et *polytrichi* ſpecies eo genere ſimul comprehendit. *Bryum* ergo erit, cui praeter antheras nil eſt flori ſimile, *mnium* autem, quod praeter antheras ſimul roſulas, ſcobe folioſa plenas, vel globulos nudos ſeſſiles, aut petiolatos obtinet; ab *hypno bryum* differt, quod ſetas abſque vaginis producat; obliquitatem calyptrae excludit, nec villo-
ſam calyptram attendit. Ad *mnium* itaque quas- p. 50.
dam etiam *polytrichi* LINN. ſpecies reduxit, *blaſiam* p. 57.
vero nunc ſeparauit, quae ſeta, globulo terminata, nuda, cum *mnio* quidem conuenit, aſt variis modis, docente SCHMIDELIO, ab eodem differt. Hanc, vt et *iungermanniam*, *marchantiam*, *anthoceron* et *ricciam* in muſcorum claſſe conſeruauit, eamque *hy-*

 drophace

drophace finiit. Nomen hoc, quod vacat, cum *hydrophace* BUXBAUMII *ſaluinia* dicta fuerit, impoſuit generi, *lemna* LINNAEO dicto, cum *lemna* Ill. Auctoris longe diſtet, de qua ſupra. Species noſtrates ſimpliciſſimae naturae eſſe, ex duplici cute conſtare et interpoſita celluloſitate vtriculoſa, absque
p. 70. vlla fabrica organica, vidit Ill. Auctor. Claſſ. XVII vnum *lichenis* genus continet, eſtque communis character, non vera habere folia, ſed cruſtas expanſas, magis ſimilares, varias equidem, plerumque ſiccas, coriaceas, aut fragiles, tamen etiam gelatinoſas; in nonnullis cruſta perobſcura vel nulla eſt, meraeque glebae, aut teretia fila, quas tamen a veris ſcutelliferis lichenibus ſeparare non poſſumus. *Lichenum* plura genera fecerat DILLENIUS, vnicum modo, ad naturae ductum propius, conſentiente HALLERO, LINNAEUS; corniculati enim, caui, polline pleni, indiuiſo nexu cum *coralloideis* cohaerent, cornubus bifidis et ſubdiuiſis, inde cum *pyxidatis*, quando mucro cornuum intumeſcit, inque cauum infundibulum mutatur et ſic *uſneam*, *pulmonarios* et alios, *tremellas* quasdam, vt et *noſtock* lichenibus adſociauit.
p. 105. In Claſſ. XVIII. cognita genera, *byſſum*, *conferuam*, *tremellam* et *vluam* retinuit. In vltima vero claſſe
p. 110. multum ab aliis receſſit. *Mucilago* continet plantulas fungoſae indolis, ſed pene filamentoſas, aut celluloſas, abſque capitulis, cruſta tectis. *Fuligo* autem plantas molles, butyro ſimillimas, quae celerrime in fuliginoſum atrum pollinem dilabuntur. Fuligini ſimiles, quae vero caput habent determinatae figurae, quae pediculi eſt erecti tenuiſſimi et cylindri craſſioris, cruſta autem deſtituuntur, *emboli* nomine exhibuit. *Botrytis*, quae *monilia* HILLII eſt, ſemina racemoſa vel ſpicata in petiolis ramoſis gerit; *lycogala* petiolum habet et ſphaericum caput, liquore aliquo plenum, in celluloſam naturam dif-

diffuſo. *Mucori* tribuit corticem et fabricam intus celluloſam, naturamque mollem; *aſpergillus* denique non habet corticem, ſed mera filamenta, ad lentem articulata. His omnibus vita breuis eſt et vnico *mucoris* genere a LINNAEO comprehenduntur. Quasdam *mucoris* ſpecies, *ſphaerocephalum* ſuum editione I. *Clathroidem* et *clathroidaſtrum* MICH. coniunxit et genus *trichiam* dixit, quod cum *arcyria* HILLII conuenit. Huius ſpecies cum *lycoperdo* quidem, cortice, polline ſeminali et celluloſa medulla, conuenire conceſſit, aſt differunt, cum ea celluloſa tela non membranis, ſed filis duriuſculis intertexatur et cum nunquam aut pulpae humidae ſimilis ſit, aut carnis ſciſſilis. In *lycoperdo* a LINNAEO non receſſit. Nouum porro genus eſt *ſphaeria*, eoque *lichen-agaricum* MICH. et *aecidium* atque *xilariam* HILLII exhibuit. Huius fructus, non flores, ſphaerici ſunt, puluere carbonario pleni, quem per orificium ſuum effundunt. Sphaerulae plerumque ſub cortice aliquo latent, ſolo oſtio conſpicuo. In *clauaria*, vt LINNAEUS fecit, *clauariam* et *coralloidem* MICH. et ita *meriſmam* HILL. quoque combinauit. Huius ſpecies naturam peculiarem habent ſebaceam, fungoſam, flexilem, ſolidam et ſimilarem, nulla intus diuerſi generis natura conſpicua, praeter fibras, quibus conſtant, nullo, praeter pollinem per epidermidem ſparſum, partium diſcrimine. *Pucciniae* MICH. ſiue *iſariae* HILL. ſpecies nullas quidem Ipſe Ill. Auctor vidit, a STAEHELINO autem aliquas depictas et deſcriptas accepit. Referunt habitu ſimplici et ramoſo *clauarias*, ſed globulis, in ambitu caudatis, ſolisque filamentis, in tranſuerſum diſpoſitis, conſtant, quae videntur in centro colligi. *Pezizam* LINNAEI in duo diuidit genera, *cyathum* ſcilicet, a MICHELIO *cyathoidem* dictum et *pezizam*, quorſum *fungoides* MICH.

 vel

vel *encoelia* HILL. pertinet. Huius caro propria in pleriſque fragilis, craſſa, in aliis membranacea et gelatinoſa, plerumque villo ſubtili tecta, caueam aliquam continet, qua nota ab *agaricis* diſſidet; *cyathus* quoque cauum ſurſum lateſcens intercipit, aſt cauea haec plena eſt ſeminibus, ſiue potius iunioribus plantulis, viuipara generatione ex planta matre productis, lenticulatis, de pediculo ſuſpenſis, in quo cum *puccinia* affinitatem oſtendit. *Boletus* MICH. quasdam *phalli* ſpecies LINN. continens, petiolum rugoſum, vt nonnullae *pezizae*, habet, ſed differt capitulo, quod non cauum eſt, ſed convexum, alias bracteatum, planum, multiforme, alias rugoſum, cancellatum, cylindricum, conicum, aut ouatum. *Phallum* MICH. retinuit, nulla addita definitione, cum plantam ipſam non vidiſſet. Nunc
p. 134. ad fungos veriores accedimus et hic iterum genera plura, quam LINNAEUS, pauciora, quam MICHELLIUS, recipit. Seſſiles et petiolatos fungos ſeparauerat olim, nunc autem genera a diuerſa faciei inferioris fabrica ſolum definiuit et ſeſſiles cum petiolatis coniunctim ſeruauit. *Agaricum* itaque quorſum pertinent *eluela* et *tremellae* quaedam ſpecies LINN. vtrinque ſibi ſimile eſt, ſiue inferior ſuperficies laeuis et ſimplex, nullis poris, aculeis etc. varia; plana ſuperficie a *clauaria* et *peziza* et, quod nulla granula ſiue flores proferat, a *lichene* differt. In *boleto* LINNAEUM ſecutus, duo genera MICHELLII et ita *poriam* et *ſoleniam* HILL. coniunxit, antiquum vero nomen, bonum et characteriſticum retinuit et hoc genus *polyporum*, prout et *hydnum* LINN. ſiue *erinaceum* MICH. *echinum* dixit et a poris atque aculeis duo haec genera definiuit. Fungos inferne lamellatos, *agarici* nomine a LINNAEO traditos, *amanitas* cum DILLENIO dixit, aliquos autem et eos, qui non veras laminas, ſed ſubtus

ramo-

ramoſas plicas habent, ſeparauit et genus inde condidit *merulii* nomine. Copioſas *amanitas petiolatas*, namque a No. 2338. ad No. 2486. continuantur, neque a figura depreſſa et conuexa pilei, neque ab annulis, aut aliis notis, maxime variantibus, ſed potius a laminarum colore diſtinguere voluit et hinc ord. I. lamellis albis, II. ochroleucis, III. flauis et ſic porro, praeditas ſpecies recenſuit.

Verum, nimis diu circa genera occupati fuimus, attamen adhuc monemus, nomina generica, antea aſſumpta, quandoque nunc cum aliis Linnaeanis commutaſſe; vt ſunt: *lapſana*, *crepis*, *calendula*, *vtricularia*, *erinus*, *trapa*, *phyſalis*, *menyanthes*, *ſtaphylaea*, *rhododendron*, *ſtellera*, *actaea*, *geum*, *caltha*, *eriophoron*, *ſcleranthus*, *hippophae*. *Calaminthan* ſuam commutauit cum *meliſſa* et *meliſſam* ſuam cum *meliſſophyllo*. *Foenugraecum* ſiue *trigonellam* nouo, aſt vetuſto nomine dixit *buceras*, ita et in *cruciatis* p. 192. *leucoii* nomen *cheirantho* praetulit et varias *heſperidis* et *arabis* ſpecies ad idem genus reduxit. Characterem enim *leucoii* in ſemine marginato, ſeptoque ſiliquae non fungoſo poſuit, caeterum flore cum heſperide conuenire monuit. Denique notemus, Ill. Auctorem plerumque antiqua et antea aſſumpta retinuiſſe nomina; inprimis diſplicuerunt Ipſi ea, quae ex graeca lingua compoſita fuerunt. Mentem ſuam, occaſione *ferri equini*, clare expoſuit, dicens: *Nomen latinum retinui, neque legem agnoſco vllam, quae obſcurius ex graecis fictum nomen pro characteriſtico ſubponat.*

Nunc de ſpeciebus dicamus, in quibus magis fere, quam generibus laborauit et, cum vicinae ſtirpes difficulter ſaepe ſeparari vel coniungi poſſint, anxie, vt Ipſe ſcribit praef. p. 23. per omnes partes floris plantaeque quaeſiuit, vt dilucidas diſcriminis notas detegeret; numeroſa adeo exempla eiusdem

ſtirpis, quoties licebat, conſuluit, vt et mutationes detegeret, quas aetas adfert, et, quae vni exemplo deeſſent, id alia ſupplerent. Colores non vndique reiecit, exiſtimauitque, ſatis facile eſſe paulo peritiori botanico diſtinguere, qui colores nominari mereantur, qui incerti ſint et variabiles. Notas plantarum in nomina, dilucide et latine colligit, barbara dubiique ſenſus vocabula euitauit; inde autem et factum, vt rariſſime nec Linnaeana, nec edit. I. ſtabilita, retinuerit, potius vbique fere noua conſtituerit. Triuialia nulla adhibuit, quae et olim ipſe LINNAEUS proſcripſit et, *neſcio*, dicit: *quid leviuſculi in plurimis videatur et difficillimum ſit, characteriſticum aliquid in vnam vocem ſtipare.* Synonyma, in priori opere plurima, inſigni labore, congeſſit et vel ideo enumeratione hac nullus carere poterit; nunc enim, ne in nimiam molem increſcat volumen, multa omiſit et aliquot modo nomina, bonarum iconum inprimis, adpoſuit. Plurimas autem plantas, tanquam veras ſpecies recenſuit, quas LINNAEUS omiſit, aut pro varietatibus habuit et ſcripſit: *non improbo viri Ill. conſilium, qui nullam plantam inter ſuas ſpecies retulerit, quam non Ipſe vidiſſet. Id volo, non debere quidquam veritati ſtirpium decedere, quas Ipſi videre non contigit, dum a gnaris hominibus lectae fuerint et ita deſcriptae, vt artis magiſtri adgnoſcant, ad naturam eſſe deſcriptas;* quare et iis ſpeciebus, quibus Linnaeanum opus deſtituitur, notam adiecit, vti aſteriſcum iis, quae poſt BAUHINORUM et SCHEUCHZERORUM labores ab Ill. Auctore lectae fuerunt. Speciebus omnibus breuem et concinnam, aſt ſufficientem et optimam deſcriptionem adpoſuit; DIOSCORIDIS et PLINII loca, in ſummam breuitatem contracta, inter notas recepit, ne veterum de plantis opiniones totae interirent; et virium denique medicarum compendium,

multo

multo vberius, quam in priori edit. collegit et obſeruationibus non ſolum aliorum, ſed et propriis medicis, oeconomicis, botanicis et criticis operi huic praeſtantiam ſummam conciliauit. Haec omnia exemplis nunc comprobemus et primo de ſpeciebus et varietatibus, in quibus Ill. Auctor et ab aliis, et ſemet ipſo, ratione prioris operis, receſſit, quaedam excerpamus, omnia enim recenſere, longum nimis et taedioſum foret.

Prodeant itaque primo plantae, quas coniunxit et deinde, quas ſeparauit. In *hieracii* genere plures admiſit varietates et in *hieracio murorum* LINNAEUM quidem ſecutus fuit, attamen *hieracium* emend. II. 102. et emend. III. 252 et 254 ac *pulmonariam gall. tenuifol.* TABERNM. adeo inſignes eſſe aſſerit, vt pro ſpeciebus haberi queant. *Senecioni iacobaeae* addidit *erucaefoliam* LINN. et *iacobaeam latifoliam* I. BAUH. *ſenecioni doronico* autem ſpec. 14. 15. 16 et 17. edit. I. p. 736. *ſolidagini virgaureae* vtramque ſpeciem ed. I. p. 729. *chryſanthemo leucanthemo* LINN. quae *matricariae* ſpecies eſt, *atratum* LINN. *bidenti. cernuae*, *coreopſidem bidentem* LINN. ſerio, cum nulla, praeter ſemifloſculos nota, diſtingui poſſit, ſimulque *bidentem minimam* dubie adiecit, quia in vulgari flores non raro ante plenam maturitatem erigantur. Tres, antea receptas, *lappas* coniunxit; *cirſium* 9 et 10 edit. I. p. 682. in No. 175. et *cirſium* 13 et 14 in 15. ſiue nunc in No. 180 vnit. *Valerianam* 6. et 7. ed. I. p. 665. *valeriana rubra* comprehendit. *Thymi ſerpilli* infinitae ſunt varietates, hinc et No. 1 et 3. edit. I. in No. 235. combinauit. *Bugulam geneuenſem* a *reptante* non differre credit; *anonidem mitem* a *ſpinoſa* edit. I. No. 3. diſtinctam, omiſit, etſi C. BAUHINI plantam differre adhuc exiſtimat, quam vero inter ſuas nondum inuenit. *Melilotum* 2. edit. I. ſiue *fruticoſam* can-

no. 62.
no. 67.

n. 362. *candidam maiorem* MORIS. nunc ad I. ſiue *vulga-*
n. 364. *rem* retulit. *Trifolio procumbenti* addidit *filiforme;*
ex *loto* 2 et 3. ed. I. p. 572. vnum fecit, ſcil. *lotum*
flor. vmbellatis, ſiliquis cylindricis rectiſſimis. Denta-
riam penta- et *heptaphyllam* No. I et 2. edit. I. nunc in
pentaphylla LINN. vnit quidem, aſt dixit: *duas ſpe-*
cies non immerito feceris, cum nimis certa foliorum di-
n. 476. *verſitas ſit. Cardaminem bellidifoliam* et *reſedifoliam*
LINN. etiam in edit. I. diſtinctas, coniunxit nomi-
ne: *cardamine foliis radicalibus petiolatis, ouatis, cau-*
linis ouatis, aut pinnatis obtuſis. Seneſcens enim
planta folia habet radicalia trilobata, vel duabus aut
quatuor pinnis aucta. *Alyſſon* I et 2 edit. I. con-
iunxit, ſiue *myagrum foetidum* LINN. *ſatiuo* addi-
dit; dixit vero hanc memorabilem varietatem, gla-
bram totam, foliis imis laciniatis, etiam ſuperiori-
bus acute dentatis, omnibus longioribus. *Veroni-*
cam proſtatam, ſiue *anguſtifoliam minorem* RIV.
antea pro varietate *veronicae teucrii* habitam, nunc
pro ſpecie quidem agnouit, aſt adhuc dubitauit,
num vere diuerſa ſit; ita et *veronicarum, fruticu-*
loſae et *alpinae*, no. 12 et 13. edit. I. diſtincta-
n. 566. rum diſcrimina quidem notauit, non autem ſepara-
tas conſeruauit. In *viola calcarata* no. 8 et 9. edit.
I. ſiue *violas montanas purpureas luteasque* coniunxit,
tricolorem LINN. autem denuo in duas ſeparauit
et a floris magnitudine inprimis differentiam ſumſit.
Anchuſam officinalem et *anguſtifoliam* LINN. vix dif-
ferre aſſerit et iconem Blackwellianam rhaetica ex-
n. 635. empla bene exprimere monuit. *Cyclamina* antea
diſtincta, ſpecie vna comprehendit, dicta: *cyclami-*
nus flore cernuo, ſegmentis ſurſum reflexis. Dianthum
n. 901. *proliferum* et *diminutum* in *tunica, capitulo compacto*
ouali, calice vniuerſali quadrifolio coniunxit, *diminu-*
tus enim habet calicem vniuerſalem quadrifidum et
duo paria ſquamarum acceſſoriarum; vidit et Ill.
Auctor ſpecimina, in quibus eadem radix et aliquos
flo-

flores aggregatos generat et nonnullis in ramulis ſimplices. *Tiliam foliis mollibus ſubhirſutis*, quae forte ſatiua eſt, cum ſylueſtri foliis firmioribus glabris, in edit. I. diſtinctam, nunc vnit. *Fragariae veſcae* plurimas enarrauit varietates, et eam *petalis viridibus ſerratis folioſis* a ZANON. T. 78. depictam, et a LINNAEO *muricatae* nomine diſtinctam, pro eiusmodi etiam aſſumſit. *Thaliſtrum* 1 et 2. edit. I. n. 1137.
in *thaliſtro anguſtifolio* ac no. 5. et 6. edit. I. in *foetido* n. 1140.
do LINN. combinauit; ſimulque dubitauit, an *alpinum* et *minus* LINN. a *foetido* vere diuerſum exiſtat. *Ranunculi aquatici* quatuor edit. I. conſtituerat ſpecies, nunc tres modo retinuit et no. 18. edit. I. *Foeniculum aquaticum cornutum C. B.* cum no. 17. ſiue *aquatico capillaceo C. B.* coniunxit, no- n. 1162.
mine: *ranunculus caule fluitante, petiolis vnifloris, foliis capillaribus, laciniis diuergentibus. Stipam iunceam* LINN. a *capillata* non diſcrepare exiſtimauit et plantam iunceo folio, flexuoſis quoque ariſtis or- n. 1513.
natam, ſe legiſſe retulit. *Milium confertum* ab *effuſo* non diſtinxit. Ex *ſalice vitellina* et *alba* vnam fe- n. 1635.
cit et ſcripſit: *hic inprimis experiri, quam difficilis ſit ſalicum hiſtoria* etc. dein pergit: *quare plurima omnis aetatis exempla ad meas deſcriptiones adhibui et paucas*, (tamen 21.) *propono ſpecies, qui malim pauper videri, vt nihil ſcribam, niſi certum. De ſynonymis, etiam Linnaeanis, omnino deſpero. Equiſetum paluſtre et limoſum* LINN. eadem eſt planta, modo terreſtris, modo in aquis naſcens; caulem anguſtiorem vel latiorem producit; auxit vero ſpecies *equi*- n. 1678.
ſeto caule ſulcato, vaginis ariſtatis, quod *variegatum Baſileenſe* dixerat C. BAUHINUS. *Lycopodium* n. 1718.
denticulatum et *helueticum* LINN. coniunxit et ſic in multis muſcorum, lichenum, fungorumque ſpeciebus diſſenſum animaduertimus, quem vero omnem recenſere nec licet, nec lubet.

Cum

Cum vero Ill. Auctor plurimis nouis acceſſionibus ſpecierum numerum auxerit, etiam harum quae-
no. 21. dam exempla repetamus. *Sonchum leuem* ab *aſpero*
22. et *anthemidem aruenſem* a *cotula* LINN. antea con-
103. iunctam, ſeparabat; et ab *achillaea atrata* nunc re-
104. mouit *tanacetum alpinum odoratum C. B.* nomine:
112. *achillaea foliis pinnatis, pinnis ſimplicibus glabris pun-*
223. *ctatis; mentham exiguam* et *aruenſem* LINN. nunc
224. non amplius coniunxit; *ladanum ſegetum* et *latifo-*
266. *lium* RIV. antea in *galeopſide ladano* LINN. combi-
267. natum, etiam diſtinctim recenſuit; foliorum enim latitudine et mollitie, florumque colore differunt;
n. 268. ſic et *cannabis ſpuria* et *flore maiore* RIV. in *galeopſi-*
269. *de tetrahit* LINN. vnitae, pro diſtinctis ſpeciebus iterum propoſitae ſunt; poſterior enim differt habitu duriore, caule hirto, calice magis campaniformi et breuiore, flore vnciali luteo, medio barbae ſegmento purpureo. *Lamium album* et *laeuigatum* LINN. recepit, antea coniuncta; *brunellam flore maiore* RIV. multa cum *vulgari* communia habere concedit, aſt differt foliis minus dentatis, flore vnciali in planta non maiori, ſpica quacunque folio maiori et calix, qui in vulgari ſolas tres ſpinulas ſuperne habet, in maiori in vera ſegmenta diuiditur. Cultura etiam minorem non mutauit. *Brunellam* vero *grandifloram flore albo*, antea no. 4. edit. I. diſtinctam,
n. 348. nunc *laciniatae* varietatem fecit. *Fumarias bulboſas*
349. denuo ſeparauit, differuntque inprimis caule bi- et multifolio, bracteisque integris et digitatis; alteram alterius adultiorem plantam eſſe negauit ideo, cum vtraque nunquam in vno, ſed ſemper diuerſis lecta fuerit locis. Ex duabus *ſcorpiuri* ſpeciebus, ed. I. p. 530. traditis, nunc tres conſtituit, praeter
n. 592. *annuum* enim et *perennem*, quos in *myoſotide ſcorpioide* LINNAEUS coniunxit, etiam *ſcorpiurum foliis ouatis, ſpica pauciflora, calicibus tomentoſis* diſtinxit.

Ex

Ex *primula veris* LINN. tres denuo fecit ſpecies et *ſaniculam alpinam rubram* TABERNM. a *primula auricula* LINN. nunc demum ſeparauit, dixitque *primulam* n. 613. *foliis ciliatis dentatis*, *ſcapo paucifloro*. *Gentianam foliis amplexicaulibus*, *floris fauce barbata* edit. I. no. n. 650. 2. in duas diuidit; an vero *campeſtris* et *amarella* 651. LINN. cum Suis eaedem ſint, dubitauit; vtrumque RENEALMII nomen, *opſantha* et *eyrythalia* vni ſpeciei adpoſuit. *Campanulam rotundifoliam* LINN. n. 700. in tres ſpecies ſeparauit et *alpinam* ſerras foliorum, 701. etiam quando in planitiem deſcendit, retinere, aſſe- 702. rit; *campanulam hybridam* ed. I. no. 17. pro varieta- 704. te habitam, nunc ſeparatim recepit. *Tragoſelini* 785. tres ſpecies denuo retinuit, cultasque diſcrimina ſua 786. retinere monuit. *Ceraſtium aquaticum* et *ſtellariam* 787. *nemorum* in edit. I. coniunxerat nomine: *alſine foliis cordatis petalis bipartitis*, priorem autem tubis quinis, ab altera, tubis tribus, differre, huicque capſulam *myoſotidis* eſſe, cognouit, hinc ſeparauit et *ceraſtium* pro *alſines*, *ſtellariam* pro *myoſotidis* ſpecie ex- n. 885. hibuit, ſimulque in hac *ſtellariam nemorum* et *dicho-* 886. *tomam* LINN. coniunxit; haec enim adultior planta, magis calua, ſolis ſuperioribus foliis reſiduis, dum nemorum dicta iunior ſit, foliis concinne cordatis, ciliatis et caule cubitali. *Geranium ſyluaticum* et *paluſtre* edit. I. no. 9. coniuncta, nunc ſeparauit, n. 932. ita et *ſemperuiuum tectorum* et *globiferum* LINN. in 933. *ſedo* no. 1. edit. I. combinatas, diſtinctim propoſuit; 949. e contrario autem *ſedum* no. 14 et 15 edit. I. in *ſedo* 950. *refixo* vniit. *Croci verni* plures varietates dari, 967. facile, *autumnalem* autem ad easdem pertinere, neutiquam conceſſit; differt enim tuba profunde trifida, in tria longa ſegmenta diuiſa, quorum finis aeque trifidus eſt, vti tota tuba ſpontanei *verni;* dein haec tubae cornua odorata ſunt et aromatica, non n. 1257. ita ſpontanei; hinc *vernum* exhibuit nomine: *cro-*

cus

n.1265. *cus tuba breuiſſima trifida.* *Ophrydem inſectiferam*
1266. LINN. in duas ſpecies, *myodem* et *arachnitem* ſeparauit et ſcripſit: *fuciſloram et muſciſloram orchidem ex intimo floris charactere ſeparaui, muſciſloram petala interiora filiformia, fuciſloram lanceolata, huic roſtrum in ſumma columna ſtaminea, muſciſlorae nullum noſtrae, appendix in imo petalo, cuius loco muſciſlora biſulcum habet finem; noſtrae tumores globoſi ſub ſtaminum columna et linea venoſa marmorea, quae omnia a muſci-*
n.1275. *flora abſunt.* *Orchidem militarem* LINN. in tres ſpe-
1277. cies diuidit, etenim n. 1275 ſiue *orchis militaris minor C. B.* habet ſtaturam humilem, bracteas maiores, ſpicam breuiſſimam, labellum breue totum punctatum, brachia et cruſcula breuia, petala interiora duo circa columnam ſtamineam conflexa. In no. 1276. ſiue *militari morio maiori* VAILL. ſtatura altiſſima, bracteae minores, flores triplo maiores, floris galea extus atropurpurea, brachiola anguſtiora quam 1275. neque ſerrata, cruſcula et pectus latiora, petala interiora recta; et no. 1277. ſiue *orchis maſcula* RIV. ab antecedente differt: galeae petalis exterioribus longioribus, longius antrorſum mucronatis, extus albis, internis lineatis non punctatis, corpuſculo longiori et cruſculis et iisdem gracilioribus, ſtatura humiliori; hinc vltimae addidit *orchidem ſimiam referentem* edit. I. no. 2. ſeorſim traditam. *Orchidem ſambucinam* LINN. ab *incarnata* non differre credidit. In *epipactidis* ſiue *ſerapiadis* ſpeciebus vbique fere a LINNAEO receſſit et omnes de nouo conſtituit, quarum recenſionem omittimus. *Iuncos* plures ſeparatim enarrauit, a LINNAEO
n.1324. pro varietatibus habitos; ex *iunco piloſo* e. gr. qua-
1325. tuor fecit ſpecies, ex *campeſtri* duas, et ſic saepius:
1326. *herniariam glabram* et *hirſutam* porro diſtinxit; in
1327. *hirſuta* glomeruli ſunt pauciflori, qui in *glabra* plu-
1329. rimos flores continent et flos multo maior pro fo-

lii

lii portione, bracteae albiſſimae. *Alnum incanam* an. 1330.
glutinoſa, quas coniunxit LINNAEUS, ſeparauit, 1631.
et de *incana* dixit: *vera mihi planta videtur, etſi omnino non differt, memorabilis certe varietas.*

Non autem dubiis modo plantis, accurate determinatis, vel illis, quas pro varietatibus aſſumſerant recentiores, proprio charactere diſtinctis, locupletauit ſpecierum numerum, ſed et plurimas, a recentioribus neglectas et in Ill. LINNAEI ſpeciebus nondum memoratas, e tenebris quaſi produxit, aliasque plane nouas, a nullo botanicorum excitatas, Heluetiae proprias nominauit et deſcripſit, iisdemque magnam huic hiſtoriae praerogatiuam conciliauit. Neque poſſumus illas, quae in priori editione deſiderantur et nunc acceſſerunt, ſunt enim trecentae et quinquaginta circiter, neque eas, quae in LINNAEI ſpeciebus deficiunt, enarrare, ſunt enim et harum nimis multae; ſeligamus quasdam.
Crepis calicibus muricatis noua ciuis, vt et *hieracium* no. 32.
foliis ouato lanceolatis dentatis petiolatis, petiolis den- 42.
tatis; nec non *ſolidago foliis tomentoſis ouatis ſemi-* 70.
pinnatis; porro *achillea foliis hirſutis pinnatis, pinnis* 110.
acute dentatis lateſcentibus; habitu haec *chryſanthemo corymbifero* ſimillima planta, ſed charactere diuerſa. *Conyzam capite nutante* I. BAUH. nuperi omnes ignorare videntur, dixit *buphthalmum foliis coniuga-* n. 119.
tis, flore nudo nutante. Filago alpina minor erecta 150.
SCHEUCHZ. eſt *filago caule ſimplici vmbella pauciflora, calicis baſi tomentoſa;* poſſet forte pro *gnaphalio alpino* LINN. haberi, cum et SCHEUCHZERUS ab Eodem citetur; aſt neque flores habet dioicos, neque ſarmenta procumbentia. *Locuſta ma-* n. 215.
ior RIV. eſt *valerianella foliis oblongis ſerratis, ſeminis corona tridentata. Mentha cataria minor alpina C. B.* non eſt *nepeta italica* LINN. cum folia ferat peracuta; dicitur *cataria tomentoſa foliis ellipticis* n. 247.
acute

n. 228. *acute ſerratis, verticillis ſparſis. Mentha foliis elliptico-lanceolatis, ſubtus tomentoſis, ſpicis cylindricis, ſtaminibus floris tubo aequalibus* poſſet forſan *menthae ſylueſtris* LINN. varietas eſſe, *nobilis* tamen quam
n. 355. praeterire noluit. Nouum eſt *ſpartium caule decumbente ramoſo, foliis ſolitariis ouatis, floribus longe petio-*
n. 407. *latis. Aſtragalus ſcapis aphyllis, foliis ouato lanceolatis glabris, ſiliquis inflatis hirſutis erectis* proximus *aſtragalo campeſtri* LINN. differt ſtipulis coloratis multo longioribus, foliis glabris, flore albo longiori, carina non violacea. *Braſſica alpina perennis*
n. 454. RUPP. eſt *turritis foliis glaberrimis curuis rotundis petiolatis, ſuperioribus amplexicaulibus ſagittatis obtuſis*, rariſſima dicitur et a nuperis ignorata. Planta
n. 491. rara eſt *alyſſoides fruticoſa leucoii folio viridi* TOURN. nominata *alyſſum foliis radicalibus petiolatis hirſutis, caulinis lanceolatis laeuiſſimis*, habet calicem tubuloſum, duobus foliolis in obtuſum calcar productis; addit: *ſtamina omnia glandula ſunt cincta, vt ſenae ſint, quatuor maiores, duo minores, fructus inflatus veſicae inſtar fere quadrangularis, ſtylo praelongo coronatus in fine craſſiori, ſeptum pellucidum valuis parallelum, ſemina in vtroque loculo fere ſena de ſuperiori parte pendula;* monuit porro Ill. Auctor, *ob characterem mixtum, fructus alyſſi, floris leucoii ſimilem et calcaria calicis, nouum genus conſtitui, quod Ill.* OEDERI *nomini dicaui, ne tamen nimium mihi ſumam, ſufficiat indicauiſſe.* Sit itaque *Oedera;* quicunque enim nouum genus conſtituit, eidem nomen imponere tenetur. Aph. 218. crit. bot. etſi genuini tantum botanici ſecundum aph. 211. nomina imponere debent, quis eam poteſtatem derogabit Nobili
n. 611. HALLERO! Noua eſt *primula foliis glabris ellipticis rugoſis ſerratis, floribus vmbellatis tubo longiſſimo*, pari-
n. 652. ter *gentiana floribus ſolitariis longiſſime petiolatis, fau-*
n. 742. *cibus fimbriatis. Caucalis procumbens* et *humilis* RIV.

nunc

nunc *caucalis foliis duplicato pinnatis, pinnulis longe confluentibus*, quae antea erat varietas *tordylii anthriſci* LINN. Noua iterum ciuis *laſerpitium foliis tri-* n. 796.
plicato pinnatis, pinnulis lanceolatis, inuolucris ſemitrifidis. Noua etiam *alſine caule flaccido dichotomo, fo-* n. 864.
liis linearibus acutis. Alſine etiam *hyperici foliis* VAILL. determinatur per *alſinem foliis lanceolatis, petalis bi-* n. 881.
partitis, petiolis vnifloris. Noua porro *myoſotis foliis glabris lanceolatis, petiolis infractis;* etiam *geranium foliis ſemiſeptilobis, rugoſis, dentatis, petalis planiſſimis, circumſerratis, indiuiſis. Sedum ſaxatile atro rubente flore* C. B. non eſt *ſedum rubens* LINN. neque enim caulem hirſutum habet, neque carinam calloſam, praeterea ſtamina decem. Nomen accepit *ſedum* n. 963.
caule folioſo erecto vmbellato humillimo, foliis teretibus, et *ſedum aruenſe flore rubente* C. B. quod LINNAEUS quoque ad *rubens* retulit, dicitur *ſedum cau-* n. 960.
le hirſuto, ramis ſimplicibus, floribus in alis ſeſſilibus; habet hoc decem quoque ſtamina, ſed quinque mature exareſcunt. Noua eſt *ſaxifraga foliis imbrica-* n. 981.
tis ouatis, caulibus reptantibus bifloris. Ruta ſylue- 1004.
ſtris CAMER. a *graueolente* diuerſiſſima foliis multo tenuius diuiſis, laciniis vltimis linearibus acutiſſimis. Noua *anemone tubis caudatis, inuolucris multifidis, fo-* n. 1148.
liis hirſutis pinnatis, pinnis acute lobatis; ſimilis *pulſatillae vernali* LINN. vtriusque diſcrimen copioſe notatum inuenies. *Iuncum foliis fiſtuloſis articulatis, panicula ſimplici, glumis ariſtatis*, olim pro varietate habuit, nunc verae differentiae notas reperit. Nouae plures ſunt *caricis* ſpecies, vt 1352. 53. 1385. et aliae. *Triticum leuiſſimum glaucum, locuſtis quadrifloris, duobus floribus ariſtatis, duobus mucronatis*, frumenti genus maximum eſt, quod in Thuringia et Heluetia colitur. *Arundo locuſtis vnifloris, ariſta* n. 1523.
ex imo dorſo florem ſuperante, hactenus forte cum *ramoſa arundine* fuit confuſa, quae vero mutica eſt.

 Per-

n.1555. *Perſicaria anguſtifolia* C. B. dicitur *polygonum foliis*
1556. *ouato lanceolatis*, *ſpicis ſtrigoſis*, *vaginis ciliatis;* et *perſicaria folio ſubtus incano* RAI. *polygonum foliis ouato lanceolatis ſubtus tomentoſis*, *ſpicis ouatis*, *vaginis ciliatis.* Prior habitu *acrem* refert, ſed nulla ineſt acrimonia et vaginae ciliatae, vt in *miti;* poſterior ſi varietas eſt, erit inter magis inſignes. Sed haec ſufficiant. Notamus denique in ſpeciebus ordinandis frequenter a ſe Ipſo et ab aliis Auctoribus, LINNAEO praecipue, receſſiſſe, easdemque ad alia genera amandaſſe, ita

Leontodon *hirtum* L.	fit ſpecies	rhagadioli no. 7.
– *hiſpidum* et *autumnale*	–	picris 25. 28.
Andryala *lanata*	–	hieracii 37.
Senecio *abrotanoides*	–	ſolidaginis 71.
Inula *montana*	–	aſteris 81.
Cnicus *oleraceus* et *eriſithales*	–	cirſii 173. 75.
Scabioſa *alpina*	–	dipſaci 200.
Thymus *acinos* et *alpinus*	–	clinopodii 237. 38
Stachys *ſyluatica* *)	–	cardiacae 276.
Thlaſpi *montanum* et *alpeſtre*	–	lepidii 518. 19.
Lithoſpermum *aruenſe*	–	heliotropii 594.
Onoſma *echioides*	–	ſymphyti 601.
Primula *farinoſa*	–	aretiae 623.
Phellandrium *mutellina*	–	ſeſeleos 763.
Athamanta *ceruaria*	–	ſelini 804.
Gypſophila *ſaxifraga*	–	tunicae 902.
Meſpilus *amelanchier*	–	pyri 1095.
Anthericum *liliaſtrum*	–	hemerocallis 1230
Cynoſurus *durus*	–	lolii 1419.
Elymus *caninus*	–	tritici 1429.
Bromus *pinnatus* **)	–	tritici 1431.
Melica *ciliata*	–	arundinis 1517.

Et

*) Florem habet ſtachydis, ob notam tamen characteriſticam galeae integrae vix poteſt cum ea manere, neque voluit ob minus acutas floris partes nouum genus condere.

**) Verum triticum vel ex notis LINNAEI eſſe, monuit

Et aliae plures graminum ac imperfectarum planta-
rum ſpecies, vti ex mutatis quoque, ac ſupra nota-
tis generibus facile eluceſcit.

Magna porro operi huic praeſtantia accedit ex
obſeruationibus vndique inſperſis, quae partim ge-
nera, partim ſpecies concernunt; ex harum inſigni
numero quasdam repetamus. *Aſter* ſiue *inula hele-* no. 72.
nium, ſpontanea planta minimum florem et radicem
gracilem habet. *Achillaea millefolium*, quando ca- n. 107.
lor aeſtiuus aduſſit, diuerſa videtur a ſe ipſa foliorum
laciniis magis capillaribus, totaque planta, et foliis
inprimis valde lanuginoſis; verum per omnes me-
dios gradus a vulgari in iſtam tomentoſam varieta-
tem degeneraſſe vidit. *Gnaphalium margaritaceum*, n. 146.
in America natum, et a BORNEMANNO miſſum,
ab Heluetica planta differt; rubiginoſis caulis pilis
et ſquamis calicis minus obtuſis. In *valeriana dioi-* n. 208.
ca flores mares cum ſexu femineo imperfectiori et 209.
femineos cum rudimentis ſtaminum, praecipue in
mare dicto, ſemen abortiuum cum tuba, ſtaminibus
breuiore, adeſſe, monuit; et in *celticae* aliis exemplis
ſtamina nulla, in aliis, etſi omnia ſua ſemina habent,
tria filamenta de flore eminentia grandes bifidas an-
theras ferunt, ſiue dioica planta eſt; fere vt prior,
ſiue tubae ſerius ſubnaſcuntur et tum demum, quan-
do ſtamina diſparuerunt. *Antirrhinum elatine* non n. 339.
eſt hybrida planta, quam duae ſpecies elatines pro-
duxerint, vt exiſtimauit LINNAEUS; non enim
eosdem locos natales habent, aruenſes ſunt *elatinae*
in tota Heluetia frequentes, vbi nuſquam *cymbala-*
ria reperitur, quae muraria planta eſt. *Lunaria re-* n. 500.
diuiua ab *annua* facile diſtinguitur etiam calice, qui
huic ſubhirſutus ex viridi purpureus, et flore, qui
inodorus eſt et purpureus; folia in *hortenſi* oppoſita
eſſe, aſſerit LINNAEUS, ſed ea in vtraque ſimilia,
ſcilicet inferiora coniugata, ſuperiora alterna vidit

Ill. Auctor, dixitque priorem *lunariam perennem, ſiliquis ouato lanceolatis*, huiusque petala pallide violacea et odorata eſſe, monuit. *Symphyti officinalis* varietatem inuenit flore, extus quinque petalis acceſſoriis ornato. Quinque in *cherleria*, a SEGUIERIO deſcripta, vera petala nunquam inuenire potuit, Eumque ſtamina omnia ex ambitu fructus filamentis capillaribus, non ex vnguibus nata, depinxiſſe monuit. In *ceraſtio ſtricto* LINN. duplex monſtrum vidit, aliud, quod petala, quae calicem ſolent duplo ſuperare, nihilo maiora, alterum, quod folia latiora et flores congeſtos abortiuos habebat. *Ericae vulgaris* ſingularem varietatem obſeruauit, quae multum Ill. Auctorem torſit: in ea omnia folia calcar habent et ima latiora, laxiora, a ramis diſtantia, et vere gnomoni ſimilia ſunt, quorum pars, ad ſex lineas longa, contra caulem deſcendit, longior et triquetra aſcendit. Eſt *erica tertia* CORTUSI, quam ex alpibus Helueticis attulit C. BAUH. apud I. BAUH. I. 352. *Tithymalum* inter plantas nectariferas retulit et de *euphorbia lathyris* ſcripſit: *ſi accurate requiſiueris, reperies, petala hac in ſpecie vera eſſe nectaria caua, ſuccum continentia, quae vtrinque corniculum exſerunt.* In *aquilegia alpina* nectariorum finem curuum quoque et inde diſcriminis notam non deſumendam eſſe, monuit. *Colchicum vernum* C. B. ab *autumnali* non differt, licet florem paulo ante folia proferat, quae vna cum flore ſuperſunt, idemque petala habet anguſtiora. Folia vero neque linearia eſſe, neque patula aſſerit, etſi perinde, vt petala, aliquanto quam alteri, ſunt anguſtiora. *Colchicum montanum* LINN. ſeparatim recenſuit. *Feſtuca decumbens* in glumae minoris exteriori cauea corpuſculum petiolatum, hirſutum, capitatum oſtendit, quod in ſupremo flore euidenter agnoſcitur, eſſe floſculum immaturum, quare ad *melicam* LINN. quidem

n. 600.
n. 859.
n. 892.
n. 1012.
n. 1044.
n. 1196.
n. 1255.
n. 1434.

per-

pertineret; ſed melicae character malus eſt, qui ab eiusmodi corpuſculo ſumitur.

Vires denique plantarum, et ab aliis traditas, citatis vbique Auctoribus, et Noſtri experientia obſeruatas, longe copioſius, quam in prima editione factum fuit, vbique expoſuit, eodemque labore gratiſſima medicis otia fecit; quicquid enim veteres et recentiſſimi de *polygala*, *belladonna*, *hyoſcyamo*, *ſtramonio*, *aethuſa*, *conio*, *vua vrſi*, *opio*, *aconito*, *colchico*, *larice*, *pino* et ſic de aliis annotarunt, ea omnia concinna breuitate repetiit et in rebus dubiis ſuam ſaepe ſententiam addidit. Ex illis, quae propriae ſunt Ill. Auctoris obſeruationes, quasdam ſeligamus, licet ſelectus in tanta rerum copia difficilis fieri poſſit. Occaſione *doronici pardalianches* litem GES- n. 88.
NERI cum MATTHIOLO aliisque recenſuit et cum ſalubris planta exiſtat, fabulam eſſe a COSTAEO prognatam, inde ad C. HOFFMANNUM, BOERHAAVIUM et PONTEDERAM propagatam, ex eius radicis vſu magnum GESNERUM interiiſſe, quem certiſſime peſtis peremit; monuit quoque, SCHULZIUM maiori errore fabellam ad anthoram tranſtuliſſe. *Abſinthium vulgare* princeps medica- n. 124.
mentum ſtomachicum, quod tonum ventriculi reparat, in cruditate acida magnum auxilium, longo vſu podagram auertit, meo, vt ſcribit, experimento, quare in ictero extractum, et in hydropis initiis vinum abſinthii ſummo cum fructu adhibuit. *Carduorum* ſicci flores optimum, quo lac coa- n. 167.
gulatur, fermentum praebent. *Cyani ſegetum* ſe- n. 191.
men amarum, ad dimidiam drachmam exhibitum, aluum ducit. De *valerianae officinalis* LINN. ante- n. 210.
pileptica virtute teſtimonia colligens, tandem ſcribit: *ego certe ad hyſtericos morbos nimiamque neruorum ſenſibilitatem frequenter cum bono effectu hac radice vſus ſum et in ipſa epilepſia non malo ſucceſſu.* In

nobili iuuene per ſeſquiannum paroxyſmos diſtuli, qui tamen, cum in Italiam rediiſſet, dicuntur rediiſſe et ipſi. Virginem vero patriciam, vere epilepticam, cuius paroxyſmum Ipſe videram, fideliter et absque recidiua
n. 221. *extracto ſucco ſanaui.* *Mentha pulegium* menthas ſuperat odore et vi, emmenagogum fidele praeſtat, non aqua quidem, etſi ea odorem accipit et oleum penetrantiſſimum admixtum habet, ſed infuſum vinoſum cum vino albo et chalybe, quod Ipſum nun-
n. 258. quam fefellit. Poſtquam de *marrubii vulgaris* viribus aliorum et de laudabili effectu in abſceſſu pulmonis Cl. DE HAEN teſtimonia adiecit, addit: *ego quidem in morbis ſimilibus cum difficili ſputorum exſcreatione infuſum aquoſum vtiliter dedi et in phthiſi ſatis profecta ſemel vidi vtile eſſe, non autem in aliis exemplis, potius vero mihi mouere videtur, quam*
n. 264. *reprimere.* *Betonica vulgaris*, in lacte cocta, ſalutaris eſt aduerſus vaccarum morbum ex victu paluſtri et *iunci* noxio genere natum, qui inteſtina inflammat; non quidem Ill. Auctoris, ſed DEJEAN diſtill. p. 165. obſeruatione, quam vero notaſſe iuuabit.
n. 362. *Melilotus officinalis* acris potius videtur planta, quam emolliens, vt irritet et diſcutiat potius, quam ſuppurationem promoueat. Cum caſu in ſemen lini
n. 580. ſeſe immiſcuiſſet, in angina nocuiſſe vidit. Occaſione *hyoſcyami* meminit, ſodalem ſuum Leidenſem, SIMONIUM, aconita, apocyna et belladonnae baccas impune deuoraſſe, ab hyoſcyami vero ſemine victum et mente alienatum, alteroque latere reſolutum, a BOERHAAVIO tamen ſeruatum fuiſſe.
n. 1421. Farina *ſecalis* plurimum continet acoris, vt Ill. Auctor in longa Goettingenſi vita nunquam eum panem ferre potuerit, quin ſodam ſentiret. Secali cornuto peſtilens ineſt vis, quando vberius in pa-
n. 1662. nem recipitur. Puellam, poſt plurimum *ſabinae* vſum, fetum legitimo tempore peperiſſe, aſt pecto-

ri

ri nocuiſſe, vidit. *Marchantia conica* acris eſt, peculiari odore et ſapore praedita, penetrabiles promittente vires, reſoluentes, antiſcorbuticas. De *fungorum* indole nociua generalem tractationem no. 2338 exhibuit. Praeter botanicas et medicas obſeruationes etiam oeconomicas vbique interſperſas deprehendimus. Omnium *globulariarum* folia exſiccata nigreſcere, ob *lycopi* vſum Gallos in nigris pannis tingendis excellere, *cytiſi laburni* materiem, non nigram quidem ebeno proximam, ſed flaueſcentem cum venis obſcurioribus duram et inuicti roboris ad clauos ligneos, inſtrumenta muſica, ad arcus vtilem eſſe, monuit. *Medicaginis falcatae* caules nimis duri videntur, neque ſatis erecti, hinc eius cultarum ſuadere noluit, quam LINNAEUS commendauerat. *Coronillam variam* autem, a MILLERO ob egregium pabulum cultam, pecora auide decerpunt, aſt quia ſemina non facile matureſcunt, culturam morari exiſtimauit. *Onobrychis* etſi aliquanto parcius, quam *medica violacea*, pabulum praebet et ſicca folia amittit, durisque caulibus pecori diſplicet, eſt tamen ex omnium vtiliſſimis plantis, quae in prata artificialia ſeri poſſunt. Cum enim regionum alpinarum indigena ſit, nullum, etiam macilentiſſimum, ſolum detrectare et in mera glarea, interque deciduos lapides ſatam, prouenire contendit; neque humida prata dedignari, neque, vt vulgo creditur, in aquoſis putreſcere, neque vllas coeli iniurias metuere, neque perinde boues inflare, per propria experimenta didicit. Radix *rubiae ſylueſtris* ſiccata pulcherrime rubet, neque puncto nigro vitiatur, quod in media fere medulla *rubiae zeylanicae* exiſtit et colorem corrumpit; quare Helvetiam omnium ad opera tinctoria pulcherrimam eſſe, et Smyrnenſi illi, *lizari* dictae, non cedere affirmauit. *Galii veri* radix rubro, vt rubia, tingit co-

n. 1889. n. 218. 220. 360. n. 381. n. 387. n. 396. n. 708. n. 710.

colore, etiam oſſa, et herba cum laneo filo et alu-
n.1029. mine macerata, luteum dat colorem. *Hippocaſtanum* non ad ambulacra ſolum vtilem, ſed et oues integris ſeminibus paſci et bene ab eo cibo ſe habere, inuenit; cum aqua in ſaponaceum gluten abeunt, quo lintea vtiliter eluuntur, vt ſaponis compen-
n.1084. dium fiat. *Lignum St. Luciae* et a *pruno mahaleb* et a *pado* deſumi et vtrumque lignum idem nomen
n.1204. gerere, vix dubitare licet. *Veratrum album* noxium integros montes, paſcuis deſtinatos, inutile occupare et nullo animali veſcum, praeter mulum, quem
n.1677. folia auide decerpſiſſe, vidit. De *equiſeto aruenſi* narrat: *cum ſeductus pulchritudine trifolii, equiſeto inquinati, famulus, qui boum meorum curam gerebat, ſemel aut iterum vaccam, nuper vitulum enixam, hac herba aluiſſet, ex diarrhoea immedicabili eadem periit. Quare magnis pecuniis noſtri arcanum redimerent, quo prata infauſtiſſima herbarum liberarent. Mihi neque aratrum, neque fimus, neque alia cura profuit. Equis non nocet, neque ouibus, porci noſtrates recuſant, cum in Suecia non detrectent. Radicibus tamen glandium ſimile aliquid ſaepe adhaeret, quod porcos credas requi-*
n.1681. *rere.* *Chara vulgaris* foetore cicutam aequat et ſuperat, hinc facile ANT. DE JUSSIEU credit, dum morbos epidemicos, inundationi Sequanae ſuperuenientes, etiam huius plantae venenatae efficaciae tribuit, cuius virus aquam ſtagnantium foſſarum corruperit.

Quo tandem ad finem perueniamus, de tabulis, eisdemque expreſſis iconibus monemus, omnes, quae in priori opere continentur, hic quoque adeſſe, acceſſit vero tabula II. quae ſiſtit *aſterem caule ramoſiſſimo, foliis ouato lanceolatis, ſubtus incanis, floribus vmbellatis*; et tab. XX. exhibens *ſelinum foliis triplicato pinnatis, pinnulis latiuſculis ſimplicibus et trifidis*; quod pro *caruifolia* I. BAUH. vel *angelica tenui-*

nuifolia R I V. aſſumſit. A tabula autem XXII. ad XLIV. quae omnes nouae ſunt, tota ſatyriorum familia, egregiis iconibus expreſſa; ſpecies integro ſuo habitu, florumque partes, vitro etiam conuexo adhibito, perfectiſſime delineatae fuerunt.

Et haec ſufficiant dicta de opere incomparabili, et ſine pari, et quod botanicis aeque ac medicis gratiſſimum eſt, vtiliſſimumque erit. Vnico hoc volumine integram quaſi accepimus bibliothecam, vbique et in characteribus genericis et in ſpecierum deſcriptionibus, in obſeruationibus, viribus medicatis, ſumma vbique Auctores, libros, diaria, diſſertationes citauit, et ad ſingula ſaepiſſime verba notam adiecit, ſuumque cuilibet tribuit. Hinc et praemiſit operi Auctorum nomina et librorum editiones, qui ad illud ſcribendum inſeruierunt et quorum index, chronologico ordine conſcriptus, 34. paginas impleuit.

VII.

Der Drontheimiſchen Geſellſchaft Schriften aus dem Daeniſchen überſezt. Kopenhagen bey F. C. Pelt. 8. *Erſter Theil* 1765. 16. *pl. tab. aen.* 6. *Zweyter Theil eod. anno.* 1 *Alph.* 2 *pl. tab. aen.* 14. *Dritter Theil.* 1767. 1 *Alph.* 11 *pl. tab. aen.* 11.

i. e.

Acta Societatis Nidroſienſis, ex Danica lingua translata. T. I. II. III.

Cum Danica horum actorum editio ad manus noſtras non peruenerit, ex Germanica verſione, in Dania ipſa facta, praecipua voluminum trium priorum contenta indicamus. Societas vero haec, quae

nunc nomen regiae ſocietatis ſcientiarum Noruegicae gerit, a ſumme venerando IOA. ERN. GUNNERO epiſcopo Nidroſienſi in Noruegia, viro ſcriptis theologicis et philoſophicis non minus, quam botanico opere egregio *) claro, circa annum 1761 fundata, inſignia egregii huius viri in hiſtoriam naturalem merita vehementer auxit. Socios potiſſimum laborum habet Cl. viros SCHOENINGIUM, SCHYTTIUM, MÜLLERUM, BERLINUM, TOENNINGIUM, STROEMIUM **) et Ill. DE SUHM, qui tamen non omnes diſſertationes ad hiſtoriam naturalem ſpectantes, ſed et commentarios alius argumenti cum ſocietate communicarunt.

In primo vero volumine ſequentes diſſertationes continentur.

P. I. 1) S. V. IO. ERN. GUNNERI diſſ. *de immortalitate animae.*
p. 1.

p. 54. 2) EIUSD. *animaduerſiones in locum* eccleſiaſt. cap. III. v. 19. ſequ.

p. 76. 3) Ill. DE SUHM *commentarii de genio ſeculi praeſentis decimi octaui ratione ſcientiarum;* pars prima.

p. 106. 4) Cl. SCHOENING *de annis annonae calamitate laborantibus* (Misjahre, Miswachs) *in dioeceſi Nidroſienſi inprimis obſeruatis.* Ex veterum recentiorumque ſcriptis ſummo ſtudio Cl. Auctor omnia collegit, quae a primis ad noſtra vſque tempora circa annos agrorum infoecunditate in Noruegia infauſtos notata fuerunt. Colligit vero ex his omni-
p. 134. bus 1) vt plurimum tres eiusmodi annos ſibi ſucceſ-

*) Vid. *floram Noruegicam* EIUSDEM. Nidroſiae 1766. in fol. vid. ſuper. p. 513.

**) Auctor hic eſt deſcriptionis praefecturae Sondmoerienſis in dioeceſi Bergenſi, quae danice prodiit a. 1764. Vol. II. in 4. et plura quae ad hiſtoriam naturalem pertinent continet.

ceſſiſſe 2) ſemper fere eo tempore, quo regio haec annonae caritate laborauit, maximam harengum copiam Noruegiae littora viſitaſſe et annonae defectum quodammodo compenſaſſe. Cauſſa huius rei poſita eſt in ventis, inprimis borea et euro, qui eodem tempore, quo frigoris vi et pluuia cerealium incrementum et maturationem impediunt, harengum etiam cohortes ad littora Noruegiae pellunt.

5) EIUSD. diſſ. *de granario publico in Noruegia exſtruendo.* p. 137.

6) S. V. GUNNERUS *de procellaria Groenlandica* (Hauheſt). Auis haec eſt *porcellaria* (glacialis) *albicans dorſo caneſcente* LINN. ſiue *equus marinus* WILL. cuius deſcriptionem etiam Cl. MARTIN in actis Stockholmenſibus *) dedit. Deſcribitur hic inprimis roſtrum, cuius ſtructura plane ſingularis eſt, variique errores circa hiſtoriam naturalem huius auis, qui ex vulgi relationibus orti ſunt, emendantur. Foueam, quam in abdomine obſeruavit Cl. MARTIN et ad ouum recipiendum fabrefactam eſſe putauit, Venerandus GUNNERUS inuenire non potuit. p. 154.

7) Ill. PETR. FR. SUHM *adnotationes* in hiſtoriam vniuerſalem ex Anglica lingua a Cel. BAUMGARTEN translata. p. 171.

8) I. C. GUNNERUS *de nonnullis colymbis.* Prima huius generis ſpecies eſt *colymbus arcticus* LINN. (*Hymber*). Digitos tres anticos, membrana coniunctos, vnum poſticum, etiam membrana inſtructum, habet. Nidificat in montibus littore vicinis, oua ponit duo, oui anſerini magnitudine, virideſcentia, punctis lineisque nigricantibus inſtructa. Ex pelle huius auis mitrae parantur. Altera eſt *colymbus arcticus collari rufo* ſiue *colymbus ſeptentrio-* p. 201.

trio-

*) Vid. Act. Suecic. Vol. XX. 1759. p. 94. Comm. noſtr. Vol. X. p. 202.

trionalis LINN. (*red throated duck or loon* EDWARDS tab. 97). Haec praecedente minor eſt, planeque ab ea diuerſa ſpecies, non ſexu tantum diſtincta. Tertia eſt *colymbus immer* LINN. ſiue *imber*, quae roſtrum habet, cuius mandibula ſuperior paullulum longior eſt inferiore, quae etiam verſus ſuperiorem ad apicem incuruatur. Macula ſcutiformis in pectore in hac ſpecie deficit, totumque corpus ſubtus albicans eſt. Ab hac ſpecie Venerandus GUNNERUS *mergum maximum Faeroenſem* WORMII ſiue *colymbum glacialem* LINN. ſeparat. His tribus *colymbi* ſpeciebus *columba* ſic dicta *Groenlandica* (*teiſte*) ſiue *colymbus grylle* LINN. additur, quam olim LINNAEUS ad *alcae* genus retulerat. Adduntur quoque variae obſeruationes de *anate fuſca* LINN. (*ſeeorren*) et de *ploto columbario* ſiue *columba Groenlandica minore* (*rotges*), quae *alca alle* a LINNAEO vocatur.

p. 231. 9) EIUSDEM *obſeruationes circa varia foſſilia in Nordlandia et Lapponia Noruegica reperta.* Varia indicantur loca, vbi in his regionibus nonnullae terrae ad pigmentum aptae, molybdaena, plumbi et cupri minerae, cryſtalli, margaritae etc. reperiuntur.

p. 242. 10) *Obſeruationes variae, ad eundem* S. V. GUNNERUM *miſſae* a viro Cl. ERICO SCHYTTE. Inſtituit eas anno 1758 et 1759. in loco Noruegiae *Lyngen* vocato. In ſpongia, recenter e mari extracta, motum Cl. SCHYTTE vidit alternum, cum ad ta-
p. 249. ctum ſe contraheret. Scilicet in media ſpongiae parte vermis reſidet et ope tentaculorum aut cirrhorum, qui e corpore ſuo, tanquam radii e centro, per totam ſpongiam excurrunt, eam contrahere valet *).
p. 244. Oleum tartari per deliquium frigoris vi in cryſtallinum

*) De animali ſpongiarum natura vide ea, quae in Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 678. et Vol. XV. p. 162. ſeq. adducta ſunt.

num magma mutari, Cl. Auctor obſeruauit. Lucidae partes in aqua marina obuiae, ſi eius aquae deſtillatio ſuſcipitur, non tranſeunt in vas recipiens. Aqua marina, in glaciem mutata, etiam phoſphoream indolem retinet. Hinc lux illa non a vermibus ori- p. 249. ri poteſt *). In *ceruo tarando* etiam bezoar bruni co- p. 247. loris reperitur. Finnici fungum igniarium, eodem modo, vti Sinenſes moxam, in doloribus variarum corporis partium adhibent.

11) *Catalogus nuptorum, natorum et mortuorum* p. 250. *in dioeceſi Nidroſienſi* a. 1758, 1759 et 1760. Anno 1758 matrimonium inierunt 1209 paria; nati ſunt 4925, mortui 3730. Anno 1759 matrimonium inierunt 1267 paria; nati ſunt 5137, mortui 4150. Anno 1760 matrimonium inierunt 1353 paria; 5454 nati, 4142 mortui ſunt, vt itaque tribus his annis 3494 plus nati, quam mortui ſint. Inter 16000 mortuos vnicus tantum eſt ab aliis occiſus.

12) *Pretia variarum mercium in dioeceſi Nidro-* p. 253. *ſienſi* ab anno 1755 ad 1760.

In tabulis ſex aeneis ſex aues deſcriptae delineantur.

In volumine ſecundo ſequentes commentarii reperiuntur.

1) S. V. GUNNERI *adnotationes in locum geneſ.* P. II. cap. 36. p. 1.

2) Cl. SUHM *genius ſeculi praeſentis ratione* p. 15. *ſcientiarum.* Pars ſecunda.

3) Cl.

*) *Nereidi noctilucae* LINN. plurimi recentiorum hanc lucem adſcribunt, vid. BASTER *opuſc. ſubſec.* I. t. 4. f. 3. GODEHAU *mem. preſ.* T. III. p. 269. Comment. noſtr. Vol. X. p. 399. et LINN. amoen. Vol. III. p. 203. t. 3. Comm. noſtr. ſuppl. Dec. I. p. 100.

p. 91. 3) Cl. SCHOENING *relatio de naufragio et aduentu* PETRI QUIRINI *Nobilis Veneti* in *Nordlandiae inſulam* Röſt 1432.

p. 146. 4) Cl. SUHM *obſeruationum in hiſtoriam vniverſalem Anglicam*, a beat. BAUMGARTENIO *translatam, continuatio.*

p. 216. 5) S. V. GUNNERI *deſcriptio ſquali lutei.* Eſt *ſqualus* (catulus) *dorſo ocellato mutico, pinnis ventralibus concretis, dorſalibus caudae approximatis, capite punctato* LINN. Exhibetur hic anatome horum animalium, inprimis partium, in femellis generationi dicatarum. In vagina reperiuntur oua, teſta cornea quaſi inſtructa, ex quibus fetus ibidem excludi videntur, cum ſquali viuipari ſint.

p. 230. 6) IDEM *de myxine glutinoſa* LINN. (ſleepmarken). Vermis hic anguillae ſimilis eſt, quapropter etiam a WILLOUGHBEYO et RAIO *lampetra coeca oculis carens* vocatur. Iis, quae de hoc verme Ill. LINNAEUS in ſyſtemate et deſcriptione muſei Adolpho-Friedericiano habet, addimus: plures poros in duas lineas diſpoſitos in abdomine ad carinae, a LINNAEO deſcriptae, latera reperiri, ex quibus non minus, quam ex ore et ano gluten viſcidum copioſiſſimum exſudat, ita vt tota aqua, cui immiſſus eſt hic vermis, in gluten vertatur. Adiecta eſt anatome eiusdem, ex qua patet, ſexu diſtinctum eſſe, nec ad androgyna pertinere. Illum piſcium cadauera intrare non minus, ac piſces viuos, in retibus captos, atque ad citiorem cadauerum, in mare natantium, deſtructionem vtiliſſimum eſſe, iam ex LINNAEO notum eſt.

p. 237. 7) IDEM *de delphino phocaena* (niſen). Anatome huius animalis, a BARTHOLINO aliisque tradita, hic emendatior exhibetur. Foraminulum ad oculos, quod ad organon auditus ducit, magnitudinem capitis aciculae habet, nec narium foramina etiam

iam maiora ſunt. Membrana ſingularis ſtructurae, in gyros conuoluta, impedit, ne aqua ex ſpiraculis ad tracheam tranſeat.

8) IDEM de *fele marina.* Eſt *chimaera* (mon- p. 248. ſtroſa) *roſtro ſubtus plicis pertuſis.* LINN. Argenteum magis colorem, quam flaueſcentem habet, cum maculis fuſcis. Oculi magni virideſcentes, et ſplendentes ſunt. In capitis anteriore parte plura foramina, in lineas diſpoſita et inter ſe communicantia, ex quibus gelatinoſum viſcidum exſudat, deprehenduntur. Communicant quoque cum cauitate narium. In maxilla ſuperiore dentes duo inciſores ſunt, lati, ſulcati quaſi, molaresque duo trigoni. In inferiore duo ſunt dentes, ſeu potius lamellae oſſeae. Teſtaceis victitat. Spiracula duo ſolitaria ſub collo, quatuor foraminibus inſtructa; branchiae tres. Pinnae pectorales ſeu laterales duae numerantur, maximae; ventrales duae ad latera ani; ani pinna vnica, quae in caudalem quaſi deſinit. Pinnae dorſales tres, quarum prior ſerrata, atque oſſe longo acuto inſtructa eſt. In poſteriore linea in vtroque latere deprehenditur, quae ad caput extenditur: cauda longiſſima in filum deſinit. Additur diſſectio huius piſcis. Duae aperturae vaginae ex- p. 259. teriores ſunt, inter quas pars eſt clitoridi ſimilis; totidem quoque vaginae et ouaria numerantur, a ſe inuicem ſeparata. Oua intus excludi videntur, vt in ſqualis. Mas penes duos habet et in capitis vertice faſciculum cartilaginoſum ſiue cirrum gerit, quem erigere et deprimere poteſt, penicillo terminatum; praeterea ante anum duo quaſi calcaria, aculeis inſtructa, habet, quae in fouea quadam latent. Quae S. V. GUNNERUS circa varias deſcriptiones huius piſcis, quae apud Auctores occurrunt, monet, omittimus.

9) IDEM

p. 284. 9) IDEM *de galeo nigro* (ſorthaae). Eſt *ſqualus ſpinax* LINN. Dorſum horum piſcium ex nigro coeruleum eſt, cum ſplendore argenteo, in abdomine vero atrum colorem habent. Dentes tribus ordinibus diſpoſiti ſunt. Retro oculos *) foramen eſt, quod nonnulli meatum auditorium eſſe putant; in oris vero cauitatem patet. Narium foramina in capitis apice deprehenduntur. Ante vtramque pinnam dorſalem ſpina eſt. Penes duo retrorſum imbricati ſunt aculeis oſſeis, qualis fabrica etiam in raia deprehenditur.

p. 291. 10) IDEM *de gorgonia reſedaeformi.* Hoc zoophytum, quod etiam Cl. PALLAS *gorgoniam reſedam*, LINNAEUS vero *gorgoniam lepadiferam* vocat, in mari Noruegico reperitur. CLUSIUS iam eius nomine *plantae marinae reſedae facie* mentionem fecit. Stirps dichotoma eſt, totaque obtegitur capſulis ſeminalibus campaniformibus, inferius ſeptem vel octo foliis clauſis. Exterius capſulae illae ſquamas imbricatas habent. Polypos eſſe has capſulas, Cel. Auctori veroſimile eſſe videtur. Stirps ſub capſulis his corticem calcareum oſtendit, qualis etiam capſulas obducit. Sub cortice pellucida membrana eſt, quae librum quaſi refert. Natura ſtirpis inprimis ad radicem oſſea, ramorum cartilaginea eſt.

p. 299. 11) IDEM *de ſqualo carcharia* (haa-ſkierding). Quanta ſit gulae in hoc piſce amplitudo, ex eo coniicere poſſumus, quod Cel. GUNNERUS refert: in ventriculo eius phocam bouis magnitudine et quatuordecim alios piſces repertos fuiſſe. Dentes inprimis accuratius hic deſcribuntur, qui in vtraque maxilla in tres ordines diſpoſiti ſunt. Differt tamen figura eorum, qui in inferiore ſunt, a figura dentium ſuperioris maxillae. Adiecta quoque eſt breuis huius piſcis anatome.

12) Cl.

*) In LINNAEI ſyſtemate edit. XII. p. 398. *ante oculos* hoc foramen ponitur.

12) Cl. CORNEL. MÜLLER *deſcriptio ralli aquatici* (vandhoen). Color et externus huius auis habitus breuiter deſcribuntur, eiusque differentia a *rallo crex* (ager-rixe) indicatur. p. 308.

13) Cl. HENR. TOENNING *deſcriptio cotti ſcorpii* LINN. (ſympe, vlk). Piſcis hic non adeo rarus eſt in oceano Noruegico. Dorſum coeruleum eſt rubris maculis diſtinctum, abdomen album in femina, rubrum in mare maculis albis variegatum. Membrana branchioſtega ſecundum Noſtri deſcriptionem, quae a deſcriptione aliorum Auctorum (vid. LINN. *ſyſt.* T. I. p. 452.) differt, radios tres: pinnae pectorales radios ſedecim: abdominales tres: dorſalis prior nouem, poſterior ſedecim radios habent. Analis duodecim, totidemque radiis caudalis pinna inſtructa eſt. p. 312.

14) *Nonnullae adnotationes et animaduerſiones in mappam regni Noruegiae nuper editam*, Auctore Cl. G. SCHOENING. p. 317.

15) *Nonnullae obſeruationes meteorologicae a menſe april.* 1761 *ad finem* a. 1762 Borgenſundii *ad oceanum ſeptentrionalem ſub* 62° 33′, *ſito, factae* a Cl. I. STROEM. p. 341.

16) Cl. IOH. DAN. BERLIN *obſeruationes meteorologicae* Nidroſiae a. 1762 *factae.* p. 366.

In volumine tertio reperiuntur ſequentes diſſertationes:

P. III.

1) S. V. IOA. ERN. GUNNERUS *de gorgonia flabelliformi.* Elegans haec *gorgoniae* ſpecies, quae, vt *gorgonia lepadifera* ſecundo volumine deſcripta, etiam in oceano Noruegico reperitur, a LINNAEO *gorgonia placomus* vocatur. Stirps lignoſa ſuberi ſimilis. Sub cortice calcareo ſubſtantia eſt coriacea, quae lignoſum corpus obducit; hanc continuum animal efficere, quod per flores, p. 1.

ex radiis octo, in centro coniunctis, compoſitos, nutrimentum ſuum capiat, Cel. Auctor autumat.

p. 13. 2) IDEM *de nonnullis ſeminibus et fructibus Americanis, quae ad litora maris Noruegici reperiri ſolent.* Mirum eſt quotannis in litore maris non ſolum in dioeceſi Nidroſienſi, ſed et in aliis Noruegiae prouinciis, colligi plures ſpecies ſeminum ignotorum, quae a ruſticis variis nominibus inſigniuntur, qui ex iis varia vtenſilia parant et remedii loco quoque adhibent. Has ſumme venerandus Auctor accuratius examinauit oſtenditque illam ſpeciem, quae omnium frequentiſſima reperitur, et *vettenyrer, löſnings-ſteen* etc. ab incolis vocatur, eſſe *fabam purgatricem latiſſimam ex inſula St. Thomae* BAUH. ſiue *lobum craſſum ex inſula St. Thomae* CLUSII *). Altera eſt *lobus peregrinus cartilagineus* CLUSII **). Reperiuntur porro legumina *caſſiae fiſtulae*, nux reniformis *anacardii orientalis*, *cucurbita lagenaria* (calabaſſe) et *cocos nucifera.* Semina haec, quae in America meridionali potiſſimum creſcunt, maritimo itinere in Noruegiam deferri nullum eſt dubium.

p. 28. 3) IDEM *de ſqualo maximo* LINN. (brugden). Maxima haec ſquali ſpecies, quae etiam omnes alias robore longum ſuperat, a Cel. Auctore primum deſcribitur. Pinna dorſalis anterior maior poſteriore eſt, pinna ani vero parua. Gula parua eſt atque in eius ventriculo, vt in balaena, vermes tantum, meduſae etc. reperiuntur. Nullos in hac ſpecie dentes Cel. Auctor obſeruauit ***), adſunt potius, vt in *balaena*, laminae corneae loco dentium.

4) IDEM

*) Planta, ex qua haec faba eſt, quam S. V. Auctor ex LINNAEO determinare non potuit, eſt legumen *mimoſae ſcandentis.* Vid. LINN. *amoen. acad.* Vol. VII. p. 477.

**) Eſt legumen *piſcidiae erythrinae* LINN. vid. *ibid.*

***) Ill. LINN. in *ſyſt.* edit. XII. conicos dentes ei adſcribit. Cl. BRÜNNICH in *ichthyologia Maſſilienſi* Hafn.

4) IDEM *de coryphaenoide rupeſtri.* Piſcis hic p. 43.
rariſſime in Noruegia reperiundus a piſcatoribus *ſalmo montanus* vocatur. Inter genera piſcium, a LINNAEO conſtitutorum, nullum eſt, ad quod Cel. Auctor commode referre eum potuit. Pertinet ad abdominales LINN. cum pinnae ventrales pone pinnas pectorales ſitae ſint. Longitudo totius corporis vlnam vnam cum ſemiſſe ſuperat. Caput maxime truncatum eſt, ſquamis minoribus obtectum: dentes plurimi acuti in vtraque maxilla in ordines diſpoſiti ſunt. Membrana branchioſtega radiis ſex inſtruitur. Corpus ipſum cathetoplateum eſt, in caudam acutiſſimam deſinens, quae longitudine reliquum corpus ter ſuperat. Linea lateralis aſpera eſt ſetis plurimis minoribus, argenteum ſplendorem obtinentibus. Anus vix 3′ a thorace diſtat. Dorſum dipterygium: prima pinna radios 10 habet, ex quibus primo oſſeus retrorſum dentatus eſt. Altera longiſſima per totam caudam fere excurrit 170 circiter radiorum: pectorales pinnae radiis 20: abdominales radiis 7, prioribus duobus dichotomis. Analis 193 circiter radiorum eſt. Ex his Cel. Auctor concludit, hunc piſcem nouum forte genus conſtituere. Cl. STROEM, qui in *deſcriptione dioeceſ. Sundmoerienſis* p. 269. de hoc piſce iam diſſeruit, eum medium genus inter *blennium* et *coryphaenam* conſtituere autumat, vocatque *coryphaenam dorſo dipterygio, radio primo pinnae dorſalis primae retro dentato.*

5) *Aphroditae aculeatae* LINN. *deſcriptio*, Au- p. 51.
ctore EODEM. Aphroditam hanc, vt alios taceamus, etiam Cl. PALLAS in *miſcellaneis zoologicis*

Vu 2 de-

Haſn. 1768. p. 6. etiam *ſquali edentuli* mentionem facit, qui ad Liburnum captus eſt, cuius vero caput tantum examinauit, qui forte eadem ſpecies eſt.

deſcripſit*). Inteſtinula coeca, quibus inteſtinum per totam longitudinem pinnatum eſt, Cel. GUNNERUS vaſa eſſe ſuſpicatur reſorbentia, quae in veſiculas inſeruntur, quibus haec inteſtinula terminantur.

p. 69. 6) *De tethyo ſociabili* Auctore EODEM. Deſcriptum eſt hoc molluſcum a Cl. BOHADSCH *de quibusdam animalibus marinis* p. 132. ſub nomine *tethyi faſciculati*, Ill. LINNAEUS vero illud ad *aſcidiae* genus refert, et *aſcidiam inteſtinalem* vocat. Addita eſt deſcriptio ventriculi, qui cum ventriculo *tethyi* ſuperius ex Cl. PLANCI deſcriptione adducti **) conuenit.

p. 88. 7) IDEM *de laro paraſitico* LINN. *mare, et ſkua* HOYERI *femina* (*laro catarracte* LINN.) Auctorum potiſſimum deſcriptiones in hoc commentario inter ſe comparantur.

p. 101. 8) IDEM *de laro tridactylo* LINN. (*krykkie*).

p. 107. 9) IDEM *de colymbo maximo* (*Hau-hymber*). Differentiae huius auis a *colymbo arctico* ***), quo cum inter omnes huius generis ſpecies maximam ſimilitudinem habet, indicantur. Suſpicatur Cel. Auctor, hanc ſpeciem marem eſſe *colymbi immer* ſuperius deſcripti ****).

p. 114. 10) *De lomuia ſeu colymbo troile* LINN. Has duas aues non inter ſe differre, vti multi autumarunt, ſed vnam eandemque ſpeciem eſſe, demonſtratur. Roſtrum huius auis cum roſtro *lari* multum conuenit.

p. 121. 11) *De pelecano criſtato* (top-skarven) *et muſtela gulone* LINN. (iaeruen). *Pelecanus criſtatus* ma-

*) Vid. p. 77. vid. Com. noſtr. Vol. XV. p. 244. cum qua deſcriptione haec omnino comparanda eſt. Vid. PALLAS p. 86.

**) Vid. ſup. p. 533.

***) Vid. ſup. p. 667.

****) Vid. ſup. p. 668.

magnam cum ea ſpecie huius generis ſimilitudinem habet, quae a LINNAEO *pelecanus carbo* dicitur. Differt tamen criſta ſuberecta, corpore atro immaculato, et rectricibus duodecim, cum *pelecanus carbo*, corpus nigrum ſubtus albicans et rectrices quatuordecim habeat. Figura *muſtelae gulonis* hic exhibita differt a figura KLEINII *). Pedes enim breuiores, cauda vero longior hic eſt, quam in figura Kleiniana.

12) *De genio ſeculi praeſentis.* Sectio tertia. Auctore Ill. DE SUHM. p. 125.

13) *Obſeruationum in hiſtoriam vniuerſalem, a* beat. BAUMGARTENIO *editarum, continuatio,* Auctore EODEM. p. 160.

14) *De inuentione fodinae cupri Meldalienſis.* Auctore Cl. GERHARDO SCHOENING. p. 265.

15) Cl. IOH. STROEHM *deſcriptionum inſectorum Noruegicorum* pars prima. Deſcribuntur hic inſecta 63, et nonnulli vermes. *Silpha thoracica* Auctoris Cl. aliquo modo ab ea, quam LINNAEUS deſcribit, differt, ideoque etiam hic delineata eſt. Delineantur quoque cerambyx inquiſitor, coccionella ſeptem punctata, leptura arietis, cantharis obſcura, elater aeneus, carabus hortenſis, ſtaphylinus erytropterus, libellula grandis, panorpa Germanica, tenthredo pratenſis, ichneumon comitator, et tipula cornicina. Porro chiton punctatus, helix domeſtica et hammonis, tandemque turbo bidentatus exhibentur. p. 338.

16) EIUSDEM *deſcriptio tringae ſtriatae* LINN. (fioerepeſt). p. 395.

17) EIUSDEM *deſcriptio gadi merlucioidis* (bürkelange). Similis eſt *gado merluccio* LINNAEI, ſed cirratus eſt, pinnaque ani oſſicula 70 habet: pecto- p. 399.

Vu 3

*) Vid. KLEINII quadrupedum diſpoſ. Lipſ. 1751. 4. tab. vltima.

pectorales 20: dorſalis prior 14, poſterior 56. A molua, inprimis maxilla inferiore, longiore differt.

p. 406. 18) EIUSDEM *continuatio obſeruationum meteorologicarum* a. 1763 *inſtitutarum.*

p. 416. 19) *Continuatio obſeruationum meteorologicarum Nidroſiae* a Cl. BERLIN *inſtitutarum* 1763. et 1764.

20) *Introductio in tonometriam ſeu facilis ac expedita ratio computandi harmoniam muſicam per logarithmos vna cum explicatione ac declaratione monochordii* a. 1752. *inuenti* Auctore EODEM.

p. 510. 21) *Obſeruationes circa varia corpora naturalia* ad S. V. GUNNERUM a Cl. OLAO RIE *miſſae.* *Verbaſcum thapſus* etiam in hominibus contra phthiſin a ruſticis in Noruegia vſurpatur. *Campanulae latifoliae* herba ad olera ſumitur.

VIII.

Commentatio prima de medicis equeſtri dignitate ornatis. Praemiſſa eſt diſſertatio de vera felicitate e ſtudio et exercitio artis medicae capienda, philoſopho aeque ac chriſtiano digna. Berolini, 1767. 4. pgg. 164. Typis Ioannis Georgii Boſſe. (Auctore IOANNE CAROLO GUILELMO MOEHSEN. Medic. Doctore et collegii medici Berolinenſis membro etc.)

Auctor huius commentationis propoſitum argumentum ſic pertractauit, vt in enumerandis medicis, equeſtri dignitate ornatis, breuiter vbique ordinis notitiam traderet, vt de ordine generoſitatis, et argumenta, vbi hiſtoriae ſcripta deficiebant, veluti de IOANNE SLOANIO, e ſuis cimeliis,

quae

quae haud contemnenda videntur, tanquam iconibus, aeri vel ligno inciſis, tabulis pictis, nummis, depromeret. Nos, ne ieiunum eorum catalogum conſcriberemus, praecipuos tantum, vbi plures ſuppetebant, deſcribendos exiſtimauimus. Orditur quidem a medicis equitibus apud Romanos, inprimisque ANTONIUM MUSAM commemorat.

Pergit deinde ad Melitenſes, inter quos equites p. 15.
fuerunt hi medici: MICHAEL SAVONAROLA, ANTONIUS TEBALDUS, PETRUS ARTENSIS DE SCUDALUPIS. Ex equitibus S. ſepulcri p. 19.
Hieroſolymitani praeter alios refert hos medicos: IOANNEM VESLINGIUM, BERNHARDUM VAN DEN BECK; ex equitibus Ordinis S. Catharinae in monte Sinai LEONHARDUM THURNEISSER; ex equitibus S. Spiritus de Saxia MICHAELEM MERCATUM, IULIUM DE ANGELIS; ex equitibus S. Chriſti PIUM NICOLAUM p. 32.
GARELLUM, AMARIUM ROGEIRA DA COSTA, EMANUEL MONTEIRO DE FONSECA, IACOBUM DE LARGE et praeter hos complures alios ex natione Hiſpanica; ex equitibus Ord. S. p. 34.
Michaelis ANTONIUM MUSAM BRASAVOLAM, IOANNEM BAPTISTAM CAPPONIUM, ANTONIUM DEIDIER, alios. Neque chirurgos hoc ordine ornatos praetermiſit, ſicut GERMANUM DE LA MARTINIERE, PIBRAC, PARCHET, GEORGIUM MARESCHALLUM; ex equitibus Ord. S. Ludouici IOSEPHUM PIT- p. 52.
TON DE TOURNEFORT; ex equitibus Ordinis p. 62.
Periſcelidis IOHANNEM WATSON; e numero p. 71.
equitum Baronettorum hos: IOHANNEM SLOANE, EDUARDUM GRAWES, EDUARDUM HULSE, GUILIELMUM DUNCAN DE MARYBONE; ex equitibus noui ordinis ſtellae polaris CARO- p. 84.
LUM LINNAEUM, NICOLAUM ROSEN et

p. 92. CHRISTIANUM RONNOW; ex equitibus ordinis Brandeburgici, cui nomen eſt *la generoſité*, medicum legatum FRIDERICUM LUDOVICUM BONETUM. Inſunt praeterea plura, ſicut narra-
p. 133. tiones de vitis medicorum et diſputatio de progreſſu artium et diſciplinarum ex Italia in terras ſeptentrionales, quae vero omnia proponere nimis longum foret.

p. 3. His praemiſſa eſt diſſertatiuncula de vera felicitate, e ſtudio et exercitio artis medicae capienda, philoſopho aeque ac homine chriſtiano digna, ad Cl. COTHENIUM. Ponit quidem veram illam felicitatem ſecundum THALETEM in ſanitate corporis, facultatum poſſeſſione et ingenii exercitio et robore. Neque vllum diſciplinarum genus eſſe exiſtimat, quod arte medica faciliorem homini viam monſtret ad talem felicitatem perueniendi. Namque medicum ex artis ſuae exercitio diſcere, quomodo et ſuae ipſius, et aliorum valetudini conſulat; quod vbi rite perceperit, et ad ſalutem aliorum conferre didicerit, nihil eſſe arte iſta praeſtantius, vel ad opes comparandas, vel ad miſerorum fortunam ſubleuandam. Denique etiam mentis facultates cum in diſcenda hac arte, tum in exercenda, quoniam pluribus aliis doctrinis ingenium ad hoc ſubactum eſſe oporteat, mirifice excoli et augeri, et patientiam, miſericordiam et omnem omnino humanitatem excitari, ali et confirmari.

IX.

De vita ANTONII MUSAE BRASAVOLI commentarius hiſtorico medico criticus, ex ipſius operibus erutus ab ALOYSIO FRANCISCO CASTELLANI, Philoſopho ac Medico Colleg. Ferrar. Mantuae excudebat Ioſeph Braglia. 1767. 8.

Indignatio quaedam aduerſus eos, qui BRASAVOLI, viri celeberrimi et meritiſſimi, memoriam nec pie ſatis, nec diligenter poſteris commendarunt, mouiſſe videtur Cl. CASTELLANUM, vt ipſe narrationem hanc de vita eius quam poſſet ſtudioſiſſime conſcriberet, et ea, quae BARUFFALDUS collegerat, examinaret accuratius atque augeret. In quo praeter alia monumenta, quibus hiſtoriae fides nititur, praeſertim ipſis BRASAVOLI operibus vſus eſt, in quibus ille de ſe vitaque ſua saepiſſime admonuit: quo labore hoc effecit, vt commentarius hic vberrimus fieret, ne minimis quidem, quae vllo in loco de ſe ipſo BRASAVOLUS dixerat, praetermiſſis, et ſaepe incerti rumores aut refellerentur, aut in certam fidem mutarentur. Fuit autem BRASAVOLUS, ſiue doctrinam, ſiue famam ſpectes, dignus tali honore. Non modo enim permulta ſcripſit, ſed, vt e catalogo operum eius, qui huic commentario inſertus eſt, apparet, multa quoque inchoata reliquit, de quibus ipſe quidem loquitur, quae tamen numquam in lucem prodierunt. Morborum curationibus ita diſtrictus fuit, vt ſingulis annis vltra mille et quingentos aegros curaſſe tradatur, quae narratio teſtimonio AMATI LUSITANI conſtat, ab eiusque fide tota pendet. Primus BRASAVOLUS gonorrhoeam virulentam deſcripſit, primus mercurii vim anthelminthicam defen-

defendit, primus HIPPOCRATIS aphoriſmos, cum PHILOTHEI in eos commentario graeco, latinos fecit, atque adeo inſtitutiones linguae graecae edidit. Botanicae diſciplinae inſtaurator fuit; diſcipulos habuit et multos, et nobiliſſimos; amicos autem eos omnes medicos, qui tunc celebriores fuerunt, in his quosdam, quos in itinere gallico ipſe ſibi conciliauerat; archiater etiam fuit Herculis Eſtenſis, ducis Ferrariae, et Alphonſi, patris Herculis, denique Pauli tertii, pontificis Romani.

Iam liceat, ſi qua reſtent de vita ipſa, breuem eorum ſummam tenuiter excerptam hic proponere, cum non aeque copioſi eſſe poſſimus, ac CASTELLANUS fuit, nec perſequi omnes tres libros, in quos hic commentarius diuiſus eſt. Itaque neglectis iis, quae ſecundo libro de ingenio moribusque BRASAVOLI, et tertio de nonnullis controuerſis incertisque rumoribus dicuntur, argumentum primi libri, qui ipſum vitae curſum proſequitur, repetemus, etiamſi maiora iam ſupra attigimus. Ferrariae a. 1500 natus eſt, et cum eligendum vitae genus eſſet, eam inter clericos agere primo placuit; ſed mox tranſiit ad iuris ſcientiam, in qua ipſa tamen non diu commoratus eſt, veluti vi quadam ad medicinam vocaretur. Cognitis ergo cum aliis, tum medicis doctrinis, per octo annos lector dialectices apud Ferrarienſes fuit, in eoque genere tam multa ſcripſit, vt eius intelligentiſſimus fuiſſe videatur. Sed et haec, et phyſicen, cuius lector poſtea ibidem fuit, vt erat illa aetas, iuxta ARISTOTELEM tractauit, cuius phyſicos libros etiam commentario illuſtrauit. Examen ſimplicium medicamentorum, quod edidit, aduerſarium habuit ALOYSIUM MUNDELLAM Brixianum, cui tamen BRASAVOLUS nihil reſpondit. Obiit in patria vrbe a. 1555, et quemadmodum vita factisque meruit, vt ad hunc

vſque

vſque diem laude atque fama floreret, ſic certum eſt, memoriam eius, etiam hoc Caſtellaneae pietatis monumento conſecratam, poſt multa ſecula ſalvam fore.

X.

ADAMI CHENOT philoſophiae ac medicinae Doctoris, rei ſanitatis Tranſyluanae phyſici regii, tractatus de peſte. Vindobon. Typis Io. Thom. Nob. de Trattnern 1766. 8. 14½ pll. ſine praef.

Inter libros vtiles, quorum ſummam noſtris Lectoribus adhuc debemus, non temere atque immerito hunc de peſte eſſe referendum, ex iis, quae accurate et aſſidue a Cl. CHENOT hac de re ſunt tradita, indicatis, elucebit. Ipſe enim Cl. Auctor morbi huius crudelitati interfuit et magna cum attentione atque ſtudio in eius ortum, cauſſas, ſymptomata, ſigna, progreſſum finemque inquiſiuit et methodum ei medendo aptam eſt perſecutus. In hunc modum itaque hic liber, quinque capita complectens a Noſtro conſcriptus eſt. Ac primum quidem origo, progreſſus fata et finis peſtis in Daciae Tranſiluanicae quibusdam locis ab initio octobris 1755. ad finem ianuarii 1757. exponuntur, vbi tabula mortuorum et curatorum addita eſt, dein de peſte in vniuerſum quaedam proponuntur, tertio de peſtis ſymptomatibus et vario eiusdem decurſu agitur, quarto methodus ei medendi declaratur et tandem eius arcendae atque praecauendae modus traditur.

Cauſſa peſtis hic deſcriptae, quae ab orientalibus maris mediterranei oris huc allata eſt, contagioſa, vt alia miaſmata contagioſa e. c. varioloſum ex vno ho- p. 33.

homine in alium migrat, non omnes tamen peſte corripiuntur, quibus cauſſa peſtis applicatur. Sunt, qui diu, noctu inter hos aegros verſentur et profecto miaſmate inquinentur, ab hoc morbo interdum ſemper, interdum per hebdomadas et menſes immunes. Conſentiunt enim medici, poſſe venenum peſtiferum in corpore humano aliquamdiu deliteſcere et ex facili peſtis decurſu in quibusdam patet, poſſe hoc miaſma cum humoribus ſine noxa interdum circumduci. Vidit Noſter ſenem ſeptuagenarium, qui e feneſtra domus infectae panem accepit et peſtem, qua tertio die mortuus eſt. Mala, quae a miasmate proficiſcuntur, ſunt virium debilitas, languor, proſtratio, pulſus ſine inſigni celeritate imbecillitas, temulentiae aemula capitis hebetudo, dolor, grauitas, ſtupor, vertigo, oculorum vigor a ſe ipſo alienus, linguae flacciditas, tremor, balbuties, materiae aeruginoſae reiectio, vrinae pallor, aliaque plura, quae in nullo alio morbo citius, frequentius, violentius ac in peſte apparent.

p. 42. Ex quibus patet, miaſma peſtiferum in neruorum ſyſtema ſuam potiſſimum vim exſerere. In primo ſaltem impetu nulla humorum corruptio proditur. Quapropter et veteres peſtem morbum cordis dixerunt non temere. Subitanea enim laſſitudo et arteriae debilitas indicant influxum ſpirituum vitalium in cor labefactatum. Eſt profecto maior et minor debilitas in his aegris. An hinc repetenda humorum reſolutio? Vnde ergo inflammatoria in nonnullis viſcoſitas?

p. 43. Nunc ſubiicit quaedam corollaria: an peſtis ſui iuris aliquando paucos tantum feriat et exſtinguatur? cur peſtis aeſtate et autumni initio latius diffundatur et ſaeuiat? cur peſtis hyeme ceſſet frequentiſſime, aeſtate rariſſime? cur hyeme, vere et aeſta-

aeſtatis initio carbunculi rariores? Qui homines magis, qui minus peſti obnoxii? Phlegmatici facilius emergunt cholericis et ſanguineis. Hydropici aegre peſte corripiuntur. Vir, phthiſi laborans et mulier, ſcabie inquinata, peſte infecti ſunt. Senes a peſte minus afficiuntur. Vir triginta quinque annorum, qui peſtem 1738 feliciter ſuperauerat, munere aegros ſubleuandi in noſocomio fungebatur et inter triduum peſte correptus peribat. Rarius vero eadem peſtis bis homines inuadit. Famulus tamen Noſtri ter peſtem expertus eſt. Ac primum quidem ſub finem iulii cum febre miti et bubonis germine per aliquot tantum dies. Secundo medio ſeptembre carbunculus occupabat angulum maxillae inferioris ſiniſtrae, non vero vacandum ei erat negotiis. Tertio menſe nouembri, praegreſſo leui horrore, bubo, rurſus poſt aliquot dies euaneſcens, apparebat. An eſt febris peſtilentialis ſine peſte? In nonnullis aegris peſte laborantibus, petechias vidit nullamque aliam, praeter petechias, eruptionem. Bubones et carbunculos in peſte non, vt SYDENHAMUS, reiicit.

Peſtis initium varia ratione prodebatur. Inſolita corporis inertia, grauitas, torpor, laſſitudo, inedia, lumborum moleſtia, capitis grauedo, hebetudo, obtuſus dolor, vagi cutis ſuccuſſus, phlogoſes et ſimilia nonnullos aegros tenebant. Alii vagas interea verſus inguina, axillas et parotides, vibrationes ſentiebant. Interdum materia oberrans figebatur et bubonem formabat. Alii febre intermittente laborantibus ſimiles ſe gerebant. Alii in febrem continuam ſimplicem, continuam putridam, inflammatoriam et ardentem incidere videbantur. Alii primis diebus in ſomnum erant procliues. Leuis vero et breuis horripilatio, calor fere naturalis ſuccedens, pulſus robore et velocitate ad naturalem accedens, laſſitudo p. 53.

exigua,

exigua, capitis grauitas, dolor mitis, mentis non magna hebetudo, ſitis vix vlla breuem morbum ſalutaremque exitum pollicebantur, praeſertim ſi bubo leuabat haec ſymptomata. Interdum, ſudore accedente, materia morbifica tota circa quartum diem diſſipabatur. His vero ſymptomatibus auctis cumque anxietate, cardialgia, delirio et ſopore coniunctis, morbus trahebatur. Acutior eſt peſtis, quae cum horroris calorisque diurna viciſſitudine, magna anxietate, ſubitanea et ingenti virium proſtratione cet. ingruit. Acutiſſimus eſt peſtis gradus, horrore diu et valide perſeuerante, quem nullus magnus calor ſequitur, pulſu celeriore languido inaequali, fere vacuo, vertigine, temulentia, balbutie accedentibus. His adiungebatur vt plurimum materiae virideſcentis, aeruginoſae et bilioſae eiectio, quam inter primum et tertium morbi diem breui mors ſequebatur. Signa externa peſtis ſolae petechiae erant latae, in multis tamen cadaueribus non apparebant.

p. 69. Permultum autem confert ad morbi huius hiſtoriam explanandam, prognoſin firmandam et therapiam illuſtrandam apoſtematum peſtilentium, bubonum ſcilicet et carbunculorum ratio. Bubo oritur ſaepenumero ſine vlla aegritudine. Carbunculus vero leni febre formatur. Vno ſeu altero apparente, ceſſabant ſymptomata. Oriuntur hi tumores plerumque ſub axillis et in inguinibus, rarius pone aures et peſti ſolummodo ſunt proprii. Quorum maturatio fit raro ſeptimo nonoque die, plerumque ad decimum quartum, imo vigeſimum. Bubo maturus, ſi duritiem nec vllam cutis mutationem excipias, cum abſceſſu plane conuenit. Sic non raro Noſter vere maturos incidi iuſſit, qui externe nondum maturi videbantur. Inciſionis retardatio hic

eadem

eadem affert incommoda, quae in abſceſſu quolibet. Bubo vel natura vel arte maturus, poſtquam inciſus eſt, pus album craſſum, laeue, aequabile effluit. Si ichoroſum eſt et ſanies coalitionem vulneris impedit et vlcus format, ab iis cauſſis, quae et aliis morbis interſunt, pendet. Scirrhos in veros quamquam raro abeunt bubones, tamen ipſe Cl. Auctor et tum in ſuo corpore et in alio ex peſte 1718 graſſante, hoc eſt expertus. Interim rarum hoc eſſe, exinde Noſter coniicit, quod nemo Auctorum, quos legit de peſte, eorum meminit et credit, ſcirrhoſos bubones non tam morbi, quam peruerſae medelae effectus eſſe. In moribundis bubones ſunt fuſci, nigri, cinerei coloris. Sunt et alii tumores, praeter bubones et carbunculos, farciminis inſtar interdum oblongi, alia loca corporis ſimul cum bubonibus et carbunculis occupantes, qualem vidit Noſter in puellae hypochondrio ſiniſtro, et qui, poſtquam ad minoris oui gallinacei magnitudinem excreuit, cum bubone ſub axilla ſimul euanuit. Durante morbo, raro bubones retrocedunt, et, ſi fit, moritur aeger. Liber aer hoc efficit. Buboni retropulſo plerumque ſucceſſit ophthalmia vel petechiae paruae vel vtrumque.

Ex his omnibus patet, bubonem peſtilentem eſſe tumorem phlogiſticum, in ipſo morbi principio natum, profunde latentem et dolentem, plus minusve cum dolore creſcentem, ſubinde ſine ſuppuratione euaneſcentem, ſaepius, vti alii abſceſſus, in eandem abientem. Carbunculorum ortus et ſitus, nec non febris tum praeſens ſunt diſtincta a reliquis abſceſſibus. Carbunculos ſine bubonibus apparuiſſe non credit Cl. Auctor, nec vnquam obſeruauit, bubones ſuperueniſſe carbunculis. Carbunculi omnes partes corporis externas occupant, vt mammam et linguam; de internis tantum ſuſpicatur. In capillata capitis parte vnum vidit, nec non in mulieris cuiusdam genitali- p. 73.

bus.

bus. Numerus carbunculorum varius eſt. In vno aegro duodecim Noſter numerauit. Omnium maximum vidit in milite, totum hypogaſtrium occupantem, ſanatum tamen, frigoris vero impatiens haec pars erat, hinc hyeme eamdem pelle leporina tegi oportebat. Hydatidibus et cauſticis puſtulis (*Brandblatter*) deſcriptis, carbunculum ita definit, vt ſit peſtilens tumor, ſumme phlogiſticus, ex exili puſtula cum ardoris ſenſu natus, celerrime progrediens, cutem adipemque eleuans, gangraenoſe depaſcens, et, gangraenoſis ſeparatis, vlcus cum ſubſtantiae iactura relinquens. Petechiis paruis, diſcretis, maculisque latiſſimis purpureis, vibicibusque conſideratis, ad peſtis diagnoſin et prognoſin progreditur Cl. Auctor. Diagnoſis certa eſt peſtis, bubonibus et carbunculis apparentibus, cum eius initium ſaepenumero cum aliis morbis conueniat. Quod ad prognoſin ſpectat, haec habet: aeger, qui viribus praeditus quartum diem morbi viuit, plerumque recuperat ſanitatem; lenis et aequalis calor, pulſus fortis, bubones et carbunculi cum leuamine aegri apparentes et leniter ſudantes cum ceſſatione nauſeae et anxietatis bonum pollicentur morbi exitum. Vomitus et alui fluxus ſine virium decremento et petechiae miliares, quarto ſeptimoue die apparentes, nullum vitae minantur periculum. Calor nimius et mitis, vterque malus, peior, ſi eſt inaequalis. Petechiae latae, nigrae ab initio conſpicuae, letales ſunt, ſerius apparentes, vix exitiales. Subita et ingens virium proſtratio cum fatuitate et balbutie coniuncta, letalis eſt. Nullus dolor, ardorque, pulſus vix ſano velocior et debilis, faciei et totius corporis liuor ſummam indicat imbecillitatem ſiue adſint eruptiones, ſiue non. Breuiter, quo ocyus, quo plura, quo grauiora conſpiciuntur ſymptomata, qualia vulgarium morborum funeſtos exitus indicant, eo peius res aegri, peſte infecti, agitur.

His

His praemiſſis, ad caput quartum de curatione pestis venit Cl. Auctor. Naturae motus, peſtiferum miasma expellendi, vtiliſſime verſus cutem fiunt. Quemadmodum nunc Cl. Auctor in toto morbi decurſu ad vires aegri ſedulo attendendum eſſe ſuadet, ſic et hic caute in diaphoreſi excitanda et ſuſtentanda et continuanda verſari oportet. Natura miasma expellit aut ſaltem deponit, vires modo adſint. Quod in bubonibus et carbunculis deponitur, non eſt omne miasma, quod corpori ineſt; reliqua inde eius portio per cutem excernitur. Perfecta miasmatis expulſio per ſe morbum non relinquit: depoſitio vero eſt morbus et expulſionis perfectae ſupplementum. Talis humorum motus vel ad miasma peſtiferum eliminandum, vel ad deponendum aptus eſt, qualis cernitur in continua febre ſimplice. Viribus deiectis, miasmatis exitus impeditur. In ſubita enim morte aut nihil aut valde parum miasmatis expelli vel deponi videtur. Nimius humorum motus miasmatis excretionem et abſceſſuum maturationem impedit. Miasmatis excretioni inſeruiunt materia perſpirabilis ac omnino vires vitales, ſolida iuſte tenſa, humores meabiles. Quo grauiora adſunt diapnoes impedimenta, eo minus exſpectari poteſt miasmatis expulſio et depoſitio. Apoſtemata ſine diapnoe non iuuant. Inde ea tantum ſenſibilis euacuatio prodeſt, quae ad diaphoreſin diſponit. Quidquid tandem ſpaſmos creat et fouet, diapnoen cohibet et miaſmatis expulſionem. His vniverſalibus monitis practicis, ad peſtem ſpectantibus, praemiſſis, traditur methodus medendi, quae in viribus cordis vel excitandis vel deprimendis ac iuſto humorum per vaſa libera motu potiſſimum verſatur. Quapropter medicamenta, quae excitante, ſtimulante, calefaciente, aromatica, antiſeptica, roborante, ſedante neruinaque pollent virtute, vt folia rutae, p. 96.

 ſcordii,

ſcordii, aurantiorum, radices angelicae, imperatoriae, ſerpentariae Virginianae e. s. p. camphora, myrrha, moſchus, ambra, opium, acetum, cortex Peruuianus, ſuccinata, acida mineralia, aliaque a Noſtro laudantur. Quibus ſubiunguntur quaedam de venaeſectione atque veſicatoriis. Venaeſectio multo rarius in peſte, quam in morbis acutis habet locum. Prorſus autem Cl. Auctor eam non reiicit. De cortice Peruuiano, quem adeo multi laudant in reſtaurandis neruis, putredine arcenda et in diapnoe ſuppreſſa reſtituenda, ideoque iure in peſte exhibent, monet Cl. Auctor, eſſe periclitandum, num cortex aliquid ſingulare in ſe habeat contra miasma peſtiferum? Atque tum potiſſimum ea ad capienda haec experimenta idonea iudicat corpora, quorum vires non penitus ſunt ſuppreſſae.

p. 146. Tum, quae interdum perturbant criſin, Noſter enarrat. Ac inprimis quidem hic nauſea, vomitus, diarrhoea, praecordiorum anxietas, ſyncope, cardiae ardor, delirium et haemorrhagia, fluxus menſtruus, lochiorum fluxus, qui puerperas, peſte correptas, e medio ſuſtulit, merentur attentionem. Emeſin Cl. Auctor, quam multi in peſte laudant, nocere, abſente craſſa materia, obſeruauit. Haemoptoen, mictum aut aluum cruentam non obſeruauit. Letales pronunciauit haemorrhagias, DIEMERBROECKIUS, haemorrhoidibus exceptis, ſi abundans euacuatur cruor.

p. 169. Haec methodus ad adultos ſpectat, iam de tenera aetate, etiamſi eadem methodus et eidem aetati conuenit, pauca monet. Sat conſtans enim eſt Auctorum obſeruatio, teneram aetatem peſte magis, quam adultos affici. Id quod eius teneritas et ſumma irritabilitas, nec non difficultas, ei aetati medicinam faciendi, demonſtrant. Eo igitur inprimis eſt enitendum, vt remedia, quae diaetam potius, quam medicinam ſapiunt, eligantur. Inde cum lactantium praecipuum ſit remedium lac nutricis, diaetam nutricis ordinat eique varia pro rei neceſſitate

pro-

propinat remedia. In acidis, infantibus praebendis, magna eſt adhibenda cautio. Tandem multa porro lectu digna de topicis remediis in carbunculis et bubonibus peſtilentialibus, quorum alia reiicit, alia laudat, a Noſtro proponuntur, nos vero pauca tantummodo de carbunculis internis addere poſſumus. HELMONTIUS aliique, cadaueribus apertis, ſe eſcharam, carbunculi effectum, in ventriculo repeiſſe, teſtantur, indeque et DIEMERBROECKIUS alia forſan viſcera etiam ita affici poſſe collegit. Summa anxietas, inquietudo, debilitas, vomitus continuus aegrorum id indicant. Haec autem ambigua cenſet Noſter indicia, et putat, dolorem fixum internum, cum ardore coniunctum, magis magisque increſcentem, certius eſſe ſignum interni carbunculi; medelam vero difficilem tum iudicat.

Omnes cautiones, quas arcendae peſtis cauſſa excogitarunt, eo redeunt: vt conſortium cum infectis et ſuſpectis euitetur, dein miasma, ſiue ſit in aere aut in fomite, deleatur, tandemque vt corpus humanum contra peſtis inſultus roboretur. Ac primum quidem obtinetur potiſſimum fuga, per quam vero non omnibus ſeſe a peſte liberare licet, ergo et alia remedia recenſet. Optime proſpicitur ſaluti ſuſpectorum et publicae ſecuritati, ſi primo alterove, quo noſocomia ingrediuntur die, horis matutinis ſudant, dein balneo vtuntur, mundataeque veſtes induuntur, his quarto die reiteratis, ſeptimo die, ſi ſani manent, ſanorum conſortio reſtituuntur. *Quod ſi* enim inquit, *ſic probati homines ſani manent, nihil vetat eosdem ſeptimo die hominum conſortio reſtitui, vt minimum mihi dabitur, viginti dierum moram cum tripli ci quadruplici ſudatione, balneatione et veſtium alterna mutatione omnem ſecuritatem largituram eſſe, quae hucusque a ſimplici, duplici, immo et triplici quarentana ſine his expectari et obtineri potuit.* p. 193.

p. 210. Miaſmatis communicatio his quatuor fit modis: primo, per hominem, peſte laborantem, ſecundo, per hominem ſanum quidem, miaſma tamen peſtiferum exhalantem, tertio, per aerem ſeu vehiculum, peſtiferis halitibus praeditum et quarto, per fomitem, cui res munda applicatur aut immiſcetur. Ad res infectas purificandas commendat aerem liberum, ignem, aquam et ſuffitus. Aer liber atque purus in intima penetrat, vapores imbibit, ſeparat, mouet atque diſſipat. Ignis omnia penetrat, expandit, reſerat, diuidit, ſoluit atque mouet. Aqua perficiuntur lotiones, haec vero coagula ſoluit, ſordes abſtergit, diuidit, diluit et aufert. Suffimentis tribuitur inuoluendi et immutandi effectus. Haec quatuor, cautelis quibusdam additis, magis iuuant, quam conſuetudo res, miaſmate peſtifero inquinatas, quam diutiſſime recondendi.

p. 223. Tandem ad corpus humanum contra peſtis inſultus muniendum ſeſe accingit Cl. Auctor. Ac, annonae, munditiei, conuentuum publicorum, nuptiarum, funerum, ſepulcrorum, ſpectaculorum, templorum, fori et ſimilium ratione a magiſtratu habita, omnes cautiones, quae poſſunt et debent adhiberi, in circumſpecto rerum non naturalium vſu cernuntur. Neceſſe itaque eſt, vt earum vſus ita moderetur, quo nec in exceſſu, nec in defectu peccetur. Catharſes et venaeſectiones ſi conſuetudo et neceſſitas vrgeat, non plane reiicit, minime autem iis aeque ac fonticulis vim peſtis arcendae tribuit ſingularem. Fonticulos habentes, peſte perierunt, et lue venerea, hydrope, vlceribus antiquis et ſcabie laborantes, peſte ſunt correpti. Medicamentum, peſtem praeſeruans, nullum nouit Noſter. Fumum nicotianae non contemnit. Sputatio num iuuet, omnino dubium eſſe videtur Noſtro, cum nullum habeat indicium, ex ſaliuae,

cum

cum peſtifero miasmate coniunctae, deglutitione os ſeu ipſum ventriculum topice affectum eſſe, ideoque animi fiduciam conſtantiamque plus valere contra peſtem, quam maſticatoria, arbitratur. Quod ſi vero quis nicotianae et maſticatoriorum vſu ſeſe munire poſſe autumat, vitet ſitim et exſiccationem. Amuletis prorſus improbatis, optimum fore retur, ſi vnusquisque ea vſurpat, quibus cum euphoria ceterum vſus eſt, quae laedant, fugiat.

Cum vero, peſte graſſante, omnibus non queat p. 243. praeſcribi viuendi norma, nec idonea, quae praeſeruant, praecipi a medicis remedia, conſultum Noſtro videtur, vt talia, qualia non nocent, in officinis pharmaceuticis proſtent, ne plebs ſolo fato et peſtis ſaeuitiei eſſe relicta videatur et vt fiducia et animi tranquillitas, non exiguum aduerſus peſtem praeſidium, eo magis augeantur. Atque hic potiſſimum humectantia, diluentia, reſoluentia, leniſſime ſtimulantia ad ſe et excretiones blande promouendas iuuant. Valde ſtimulantia peſtem potius accerſunt, quam arcent. Aquam, quae calorem et motum humorum temperat, ſolida laxat, emollit, fluida attenuat et demulcet, porro inutilia, noxia, acria, peregrina abſtergit, obuoluit, educit, in prophylaxi valde ſuadet. Conſuetudini autem hic aliquid eſſe tribuendum, exemplo chirurgi probat, qui ab ipſo peſtis initio interfuit aegris, vxoremque in eodem, quo ipſe degebat, conclaui, peſte infectam habuit, ſpirituoſos liquores non contemnens, nunquam tamen ad ebrietatem, nihilominus tamen integra ſemper fruitus valetudine, nec tabaco nec maſticatoriis, quae BRUCKMANNUS, peſtis medicus, a peſte quoque non affectus, etiam neglexit, vſus eſt.

XI.

The preſent method of inoculating for the ſmall-pox. To which are added ſome experiments, inſtituted with a view to diſcouer the effects of a ſimilar treatment in the natural ſmall-pox. By THOMAS DIMSDALE M. D. London printed for W. Owen 1767. 8. 10 pl.

i. e.

Methodus inoculationis variolarum nunc vſitata, vna cum experimentis nonnullis ad effectus ſimilis regiminis et medendi methodi in variolis naturalibus detegendos. Auctore TH. DIMSDALE M. D. *).

Cum Cl. huius libelli Auctor non ſolum inter eos ſit, qui nouam illam methodum inſitionis variolarum, quam vulgo Suttonianam vocant, primum feliciſſimo cum ſucceſſu imitati ſunt; ſed et ipſam hanc methodum empiricam ad theoreticas regulas examinauerit, variaque in ea emendauerit; non longius differendum eſſe putauimus, quo minus de hoc opere ad Lectores noſtros referamus.

Agit vero Cl. Auctor primum de aetate et temperamento eius, in quo inſitio fieri debet, annique
p. 9. tempore ad hanc operationem apto. Nullum infantem ante ſecundum annum varioloſo veneno inficit, cum hac aetate pluribus aliis morbis obnoxii ſint, facile ſub variolarum eruptione conuulſionibus corripiantur, omniaque remedia recuſent. Plures quoque puſtulae in eiusmodi infantibus, quam in adul-

tis

*) Prodiit etiam verſio Germanica ſub titulo: THOMAS DIMSDALE *Unterricht von der gegenwärtigen Methode die Kinderblattern einzupfropfen. Nebſt einigen Verſuchen die natürlichen Blatetrn auf eine ähnliche Art zu behandeln. Aus dem Engliſchen überſezt von* CARL FRIEDRICH TIEMANN, A. M. *Leipzig.* 1768. 8.

tis prodeunt. Ceterum homines omnis aetatis ad hanc operationem apti ſunt. Excludit tamen Cl. Auctor eos, qui inſigni humorum acrimonia aut pluribus diaetae vitiis obnoxii ſunt. Omni quoque anni tempore inſitio fieri poteſt, cautione habita, ne tunc inſtituatur, quando alii morbi epidemici graſſantur, quapropter vernum et autumnale tempus minus idonea huic negotio eſſe iudicat. Iam ad ipſam prae- p. 17.
parationem accedens monet, conſilium medici, illam dirigentis in eo verſari debere, vt humorum copia, in iis, qui ea abundant, minuatur, debiliores contra roborentur, tandemque primae viae purgentur. Plethorici nouem vel decem ante operationem dies ſola diaeta vegetabili vtantur, liquoribusque ſpirituoſis et aromatibus omnibus abſtineant, terque puluerem ex granis octo calomel, totidemque granis *pulveris de chelis cancrorum compoſiti* Diſpenſ. Londinenſis, tartarique emetici octaua parte grani, vel ſulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis granis duobus compoſitum, ſumant. Haec doſis, quae adulto dari debet, in debilioribus feminis et infantibus minor, eorumque viribus magis adaptata ſit; quibus etiam diaetam magis nutrientem concedendam eſſe, quilibet perſpiciet. In feminis vt plurimum ſtatim poſt catameniorum effluxum inſitio inſtituatur, vt morbus ante eorum reditum iam penitus ſuperatus ſit. Vidit tamen Cl. Auctor catamenia varioloſum morbum, inſitione excitatum, non peiorem reddidiſſe, imo grauidas, quae grauiditatem diſſimulauerant, ex inſitione abortum non expertas eſſe.

Inciſionem ſcalpello inſtituit, quod ſtatim ante operationem materia, ex puſtula alius varioloſi effluente, madefecit. Nullo filo vtitur, neque locum emplaſtro tegit. In puſtulis, quarum pure inſitionem Cl. Auctor inſtituit, eligendis, nullum tempus totius morbi reliquis praeferendum eſſe monet, cum vel a prima

eruptione tenuis lympha, in eiusmodi puſtulis contenta, ſi vulneri immittitur, variolas excitet. Credit quoque Cl. DIMSDALE ſub ipſa febre varioloſa prima, tenue pus maiorem actiuitatem habere, quam id, quod in puſtulis, quae iam diutius ſubſtiterunt, inueniri ſolet.
p. 30. Contagii progreſſum, mutationesque in vulnere obſeruandas accuratius deſcribit, cum ex iis prognoſis de natura morbi formari queat. Secundo poſt operationem die, quo vulnus macula aurantii coloris cinctum eſt, medicamentum ex calomel et puluere compoſito chelarum cancri ana granis tribus, tartarique emetici decima parte grani aegro porrigit, eumque in febre, quae eruptionem comitatur, reiterare iubet, alteroque die infuſum laxans ex ſenna, manna et tinctura ialappae exhibet, quo quatuor vel quinque deiectiones ſequantur. Si conſueto tempore nulla mutatio in vulnere obſervatur, puluerem ſupra deſcriptum, ſique aluus non reſpondet, vnciam vnam ſalis Glauberiani exhibet. Huius enim remedii vſus inflammationem et eruptionem accelerat, totumque morbum mitiorem reddit; quo tardius enim vulnus mutatur et eruptio fit, eo difficilioris quoque curationis morbus ſubſequens eſſe ſolet.

p. 35. Iam ad regimen accedimus, quod aegri ſub variolarum eruptione ſeruare debent, in quo noua haec methodus a reliquis hactenus vſitatis vehementer recedit. Simulac enim ſigna febris eruptionis ſe oſtendunt, poſt purgantis operationem abſolutam, aeger in aërem liberum procedere et in eo verſari debet, niſi maxima adſit debilitas vel ſumma tempeſtatis inclementia. Corpus vero in libero aëre aeger exerceat, non quietem ſeruet. Si ſitis vrgeat, frigidam aquam potet. Si languor adſit, paullulum vini vel ſerum lactis vinoſum Noſter concedit, et, eruptione plenarie facta, carnis etiam tene-

rae

rae vſum. Hoc regimen licet iis regulis, quae ab omnibus aliis circa methodum medendi variolis traditae ſunt, plane ſit contrarium, ſummum tamen aegris vſum praeſtat. Si aluus vel leniter adſtricta ſit, ſtatim purgantia leniora in ipſo morbi decurſu exhibeantur, cum maturatio horum remediorum vſu acceleretur, non retardetur. Si vulneris ſuppuratio longius protrahitur, leni emplaſtro v. c. cerato albo tegatur, purgantiaque leniora exhibeantur.

Varia deinde de ſymptomatibus minus conſue- p. 42. tis, quae in aegris, variolis artificialibus laborantibus, obſeruantur, Cl. Auctor monet. Si nauſea et vomitus ſub variolarum eruptione accedunt, crebriore aquae calidae potu vel leni emetico vomitum adiuuat, aut laxans porrigit. Nonnunquam exanthema eriſypelatodes variolas artificiales comitatur, quod haud raro confluentes variolas vel petechias mentitur. Quod ſi accidit, aegri domi ſedeant frigidaque aqua abſtineant, lectum vero non petant, ſeroque lactis vinoſo vel alio remedio analeptico vtantur. Nonnunquam vulnus tantum infectionis ſigna p. 47. oſtendit, febrisque adeſt varioloſa ſine variolis erumpentibus, quo in caſu aegros a contagio omni in poſterum liberos manere, Cl. Auctor obſeruationibus probat. Atque haec praecipua ſunt, quae ipſam methodum concernunt, cuius in vniuerſum praeſtantiam pluribus argumentis probare annititur.

Eadem quoque methodo in variolis naturalibus p. 61. peſſimae indolis vſus eſt, ſique confluentium metus adeſſet, aëre frigido, remediis antimonialibus et mercurialibus, potuque frigido adhibito, morbum mitiorem reddidit, ita vt ex quadraginta eiusmodi aegris, ne vnicus quidem periret. Eruptione enim hoc regimine retardata, ſemper morbus in naturalibus variolis lenior eſſe ſolet. Sub maturatione puſtularum vnciam ſemis mixturae, ex ſpiritus vitrioli acidi

parte vna, et ſpiritus vitrioli dulcis partibus duabus compoſitae, ad libras tres aquae vel infuſi pectoralis, quo aegri pro potu ordinario vtuntur, addit. Annexae ſunt plures aegrotorum, qui, variolis naturalibus vel artificialibus laborantes, methodi huius praeſtantiam experti ſunt, hiſtoriae, de quibus nihil hic addimus, cum in vniuerſum libelli huius praeſtantia, methodique in eo deſcriptae fama tanta ſit, vt omnino dignus iudicandus ſit, qui ab omnibus, qui medicinam faciunt, ſtudioſe legatur.

XII.

Nytt och nu för tiden antagit Kopp-ympningsſätt; jämte några förſök, ſom viſa, at ſamma Methode med framgång blifoit nyttjad i naturliga Koppor, af THOMAS DIMSDALE, Med. Doctor. Öfoerſatt på Svenſka ifrån tredje Engelſka Uplagan. Stockholm, tryckt hos Iohan Georg Lange, 1769. Praeter praefationem pagg. 148.

h. e.

Noua et noſtro tempore recepta variolas inſerendi ratio, cum experimentis, quae docent, eandem methodum in variolis naturalibus probe ſucceſſiſſe, Auctore THOMA DIMSDALE. Verſa in linguam Suecanam ex editione tertia Anglicana.

Memorabilis eſt haec verſio, tam ob Auctorem ſuum Regis Sueciae Archiatrum et collegii medici Praeſidem Ill. BAECK, quam ob praefationem eiuſdem, forma litterarum ad medicum Suecicum quendam, concinnatam. Quum enim ex impenſa

penſa hac a primario regni medico opera, laetiorem ſucceſſum nouae methodi ominari licet: tum magni intereſt, expertiſſimi perſpicaciſſimique viri iudicium de dubiis quibusdam et diſcidio obnoxiis in vrbe variolas inſerendi caſibus cognoſcere, quod ipſum in praefamine tulit. In hoc igitur nobis praecipue ſubſiſtendum eſt.

Ruri inprimis exiſtimat, nouam iſtam methodum conuenire, vbi parciores ſunt medici, et multis per pagos diſperſis ſimul variolae inſerendae ſunt. Nec putat ibidem noſocomia tanto numero ſufficere poſſe. Legimus hic breuiter initium Dimsdalianae artis progreſſumque deſcriptum et ſcripta, quae de illa prodierunt, indicata. Praef. p. 5.

Aegrius Noſter infantes ante aetatem duorum annorum admittit. Praeparationem, quam varii medici ſuperfluam iudicant, omitti non vult, ne in hominibus quidem apparenter ſanis; morbosque indicat, in quibus illa plane carere non poſſumus. Remedium autem in hunc finem, vt ſponte liquet, non varium adhibet, ſed ſecundum cuiusuis hominis naturam definit. Ex efficaci aëris renouati et aquae frigidae in febribus putridis vſu, vlterius demonſtrat frigoris virtutem in morbo iſtis affini, variolis, additis dilucidis quibusdam de hac re caſibus varioloſis, quos enarrare ſub iſto caloris abuſu, qui ruri adhuc in Suecia obtinet, tanto magis opus fuit. p. 13. p. 14. p. 22.

Praefert cum DIMSDALIO puncturam, lanceola factam, omiſſis vnguentis et emplaſtris, incilioni et deligationi vulgari. CHANDLERUM tamen erroris arguit, dum praerogatiuam nouae methodi puri tenui et aquoſo tribuit. Reditum vero morbi ob mitem variolarum naturam et exiguum numerum non metuit. Quod autem inſitione praegreſſa denuo in illuſtriſſima coniuge Ducis *de Boufflers* eruperint, emplaſtro impoſito tribuendum arbitratur. p. 33.

Nouam

Nouam autem epocham inſitionis variolarum in Suecia annus 1769 conſtituit, quo ipſo regiae familiae eandem ſubire placuit, quam feliciſſimam futuram patriae ſuae merito Ill. Auctor auguratur.

XIII.

Obſeruationes clinicae ad ductum medicationum in noſocomio generali Varſauienſi. Varſauiae et Dresdae apud Mich. Gröll. Faſcicul. I. 1767. $3\frac{1}{2}$ pl. Faſcicul. II. Praefatur aliqua de ſignis morborum. 1768. 8. min. pl. $4\frac{1}{2}$. c. praef.

Iam antequam Cl. SAUVAGES noſologiam methodicam cum viris eruditis communicauerat, morbos in ſyſtematicum redigere ordinem apud animum conſtituiſſe Cl. Auctorem, qui noſocomio Varſauienſi praeeſt, in praefatione legimus. Rei autem difficultate iam perterritus et Cl. SAUVAGES opere, in quo denominationes et deſcriptiones morborum imperfectas et arbitrarias detexit, prorſus ab hoc conſilio abreptus, mutauit mentem et ſemioticam morborum condere et tradere annititur. Atque hoc ſubinde in his faſciculis praeſtabitur a Cl. Auctore, quorum duos iam examinabimus et quorum quatuor volumen ſiſtent, cui titulum praeponere quodque indice finire Noſter pollicetur.

p. 15. De variis febrium ſporadicarum ſpeciebus cum agat in hoc primo faſciculo Cl. Auctor, quaedam de pulſu febricitantium, vt ſigno febris pathognomonico, inſpergit, illumque, a Noſtro curatis aegris, vti ex aliis febris ſymptomatibus luculenter patebat, vere febricitantibus, nullumque prorſus febrilem habentibus pulſum, vt ſignum febris dubium quo-

dam-

dammodo reddit, ita tamen, vt neutiquam aſſerat, febres plane ſine pulſu febrili eſſe, verum fieri poſſe, vt ſaepenumero febre non ſolum in corpore haerente, ſed actualiter laborante, quibusdam temporibus nullus febrilis pulſus adſit, quin ne celer quidem, etiamſi ſola celeritas ad febrilem pulſum definiendum Noſtro non ſufficere videtur. Atque hoc illuſtrat ſynocho paraemaſtica, in qua non ſemper aderat pulſus febrilis, aliisque exemplis.

Criticis diebus defenſis, mentionem facit Noſter ſcabiei periodicae, per corticem Peruuianum curatae, quae per tres annos durans, die ſemper ſeptimo apparebat et, aſthmate relicto, mox ceſſabat. p. 24.

Tetano, ex abuſu ſpiritus vini orto, per venaeſectionem, ad triginta vncias curato, quem tetanum ex ephemerina appellat, miram ſatis conſpirationem obſeruauit Noſter inter icterum et vlcus pedis. Quod ſi bene ſuppurabat, icteritius color dereliquit cutem et, ſuppuratione cohibita, icterus cutem iterum occupabat. Hunc morbum nominat migrationem materiae icteritiae. p. 34.

Viro, tuſſi aſthmatico concutiente laboranti, dedit Noſter ſyrupum nicotianae cum bono ſucceſſu, ac arbitratur, non ſolum nicotianae acre ſcillae et narcoticum opii ſimul ineſſe, ſed et vtrumque in ea quaſi ſuperare. p. 53.

Alter faſciculus complectitur ſigna morborum, quae iam a Noſtro in ordinem ſyſtematicum ſunt redacta. Quorum denominationes aeque ac morborum nomina tanta ſcatent obſcuritate, vt ne temere Cl. Auctor, meliora et clariora eſſe ab iis, quibus diſpliceant, excogitanda, exigat. Id quod vero vt Lectores intelligant, claſſes et ordines ſignorum praecipuas trademus. Claſſis prima *holoptica* (*integralia*) complectitur, quae in *ſomatica* (*habituoſa*), *proſapica* (*vultuoſa*) *phoretica* (*lata*) aliaque diſpeſcun- p. 5.

ſcuntur. Altera claſſis *megacinetica* (*magnalia*) continet, quae in *cyclotica* (*circulatoria*), *ſphygmica* (*pulſatoria*), *proica* (*reſpiratoria*), *vretica* (*vrinaria*) *dynamica* (*actiua*) *algetica* (*dolorifica*) *prattica* (*actoria*) diuiduntur. Claſſis tertia *treplica* (*nutritioſa*) quarta *cryptica* (*interiora*) quinta *autotica* (*peculiaria*), ſexta *typica* (*formalia*) ſiſtit, quarum ordines mittimus. Speciminis loco addit pulſuum enumerationem, atque reſpirationis et vrinae genera. Tempus, quo mingitur, dum attendit, vrinam potus, ſanguinis, iudicii, laboris conſiderat.

p. 30. Tum morbos per aeſtatem in noſocomio obſervatos, tradit, quorum duos liceat commemorare; acineſiae maxillae a ſingulari cauſſa, a ſaliuatione nimirum, minus recte abſoluta, vbi maxilla prorſus non moueri, nec aliter liquores niſi per dentium interſtitia ſorberi poterant; et diſcineſia doloroſa ſimilis, quae erat concretio gingiuarum cum interna ſuperficie genarum. Haec concretio cultro eſt ſublata, qua occaſione Noſter de directione et ſitu fibrarum earumque arcto commercio et neruorum conſenſu diſputat.

XIV.

Specimen inaugurale de duplici febrium indole Praeſide CHRISTIANO GOTTLIEB KRATZENSTEIN. Reſp. et Auctore *Ioanne Clemente Tode.* Hafniae litteris Steinianis 1769. 8. pag. 52. ſine dedicatione.

Cum de febribus in vniuerſum iam multum diſputatum ſit ac profecto magna ſatis, praecipue in iis ſymptomatibus, quae febribus ſunt communia, cernatur difficultas, cumque ſignum illud alias pathognomonicum febris, quod in pulſu celeriori

multi

multi ſeu potius fere omnes quaerunt, a nonnullis *) iam quoque in dubitationem vocetur, Noſter, ad febres omnino conſiderandas earumque diuiſiones conferendas accedens, duplicem febrium indolem in hoc ſpecimine inaugurali cum aliis viris eruditis proponere auſus eſt. Cuius perfectior indagatio praeſtantiſſimum iis promittit compendium, quos minus iuuat docte diſtinxiſſe, quam tuto ſanaſſe morbum.

Quanta ſit in frigore, calore, febrilique debilitate differentia, attendendum eſt. Delirium in febribus admodum eſt diuerſum, in aliis in furioſam audaciam pronum, in aliis deſipientiae et formidini ſimilius eſt. Hoc ſummam prodit debilitatem, illud nimias vires indicat. Praecipua eſt differentia ſymptomatum, cauſſarum atque auxiliorum febrilium et diuerſa indoles. Primum itaque in ſymptomatibus febrilibus ordinandis verſatur Noſter, earumque aſſociatione in his vel illis febribus demonſtrata, duplicem febrium indolem contemplatus eſt, quae in inflammatione et putredine cernitur et inflammationis, purae ac impurae, a Cl. SAUVAGES excogitatae, nititur fundamento; ac omnes omnino febres in inflammatorias et putridas diſpeſcuit. p. 7.

Antequam haec paulo accuratius a Noſtro indagantur, ad cauſſas febrium ſeſe conuertit, quae, cauſſis omnino cum GAUBIO in potentias nociuas et ſeminia morboſa diuiſis, in his potiſſimum duobus ſpectantur: in vi nimirum frigoris tam in ſeminio febribus parando, quam in eo euoluendo, dein in contagio. Haec febrium putridarum, illa inflammatoriarum eſt cauſſa. Nec minus vero ſimile videtur Noſtro, communem febrium cauſſam proximam in ſenſorio communi ſeu origine neruorum, ſtimulo quodam vario modo cum corpore communicato, affecto, eſſe quaerendam. Qui ſtimulus ſi a p. 19.

natura

*) v. ſupra p. 700.

natura ſuſtentatur, inflammatorias, ſi vero a vi morbi et corporis debilitate infringitur, putridas inducit febres.

p. 27. Quod prognoſin attinet, aſſerit Noſter, eandem diſcrepantiam, quae in ſymptomata et cauſſas febrium cadit, ſignis quoque prognoſticis earum ineſſe. Pulſuum robur augeri, vrinas tingi in putridis febribus, non mali ominis eſſe ſolent. Omnino autem in inflammatoriis morbis molimina critica frequentiora ac perfectiora, quam in putridis exſpectari poſſunt.

